Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sacraromanarota0002emma

EMMANUELE CERCHIARI

# CAPELLANI PAPAE ET APOSTOLICAE SEDIS

## AUDITORES CAUSARUM SACRI PALATII APOSTOLICI

SEU

# SACRA ROMANA ROTA

AB ORIGINE AD DIEM USQUE 20 SEPTEMBRIS 1870

RELATIO HISTORICA - IURIDICA

VOLUMEN II

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXX

# CAPELLANI PAPAE ET APOSTOLICAE SEDIS

## AUDITORES CAUSARUM SACRI PALATII APOSTOLICI

SEU

# SACRA ROMANA ROTA

AB ORIGINE AD DIEM USQUE 20 SEPTEMBRIS 1870

RELATIO HISTORICA - IURIDICA

SYNTAXIS CAPELLANORUM AUDITORUM

ALMA COLLEGE
262.222
LIBRARY
C334
Alma, California

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXX

6252

IMPRIMATUR:

Fr. Albertus Lepidi, Ord. Praed., *S. P. Magister.*

IMPRIMATUR:

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., *Vices gerens.*

Auctor sibi vindicat et reservat omnia iura proprietatis ad tramites vigentium legum.

# CAPELLANI PAPAE ET APOSTOLICAE SEDIS
# AUDITORES CAUSARUM SACRI PALATII APOSTOLICI
SEU
# SACRA ROMANA ROTA

---

# PARS ALTERA

---

## CAPUT I.

**Huius partis ratio et methodus.**

1. – Complemento argumentoque simul ad huc usque tradita maxime est hominum series qui officio audiendi causas s. p. a., vice Papae pro tempore viventis, ab romanae curiae exordiis ad diem usque 20 septembris 1870, ita, non intermissa continuitate, functi sunt, ut primis, tanquam radicibus truncus aut tectum fundamento, necti ostendantur novissimi.

2. – Hactenus igitur narratis Capellanorum Papae et apostolicae sedis Auditorum causarum s. p. a., per chronologicum Romanorum Pontificum ordinem distributa, heic nomina sequi oportet.

3. – Attamen, non tot quot fuerunt re ipsa; sed quot huius operis instituto sufficiant.

4. – Nam hodie quotquot facto nostri homines per septem soecula fuerint, perquireretur incassum; *capella* enim *Papae scripturam non requirebat;* textus praesertim antiqui, vel deperditi sunt, vel hominum nomina per unam initialem literam non raro innuunt.

5. – Ad rotale autem archivium Capellanorum Auditorum nomina, in posteritatem servanda, reponi nonnisi serius occeptum est, nempe soeculo XV, a pontificatu Martini V: at etiam tunc ne universa quidem; nam saltem ad alteram usque medietatem insequentis soeculi XVI non cuncta Auditorum admissionum documenta, non universa notariorum Manualia, non omnia Auditorum Diaria vel libri Decisionum particulares, neque causarum acta, asservata sunt. Adeo ut, ne nimius manca eorumdem series nominum per id temporis evaderet, necesse fuerit ad plutea Vaticani archivii confugere.

·6. - Ceterum absoluta, quo hodie detinemur, impossibilitas omnia nostrorum hominum nomina reperiendi, instituto quin officiat, iuvat. *Unum* enim in hoc perficiendo opere constitutum est, nempe in complementum et argumentum eorum quae in prima parte de Rotae tribunale et Auditorum Rotae collegio scripta sunt, talem legenti nominum Capellanorum Auditorum seriem praebere, cuius praecipue assidua continuitate solide probetur officium Capellanorum causarum Auditorum semel exordiis romanae curiae constitutum et per septem soecula laboriose evolutum, etsi ob passas variis temporibus immutationes varias, unum tamen in sua natura pro causis Orbis idemque semper fuisse. - Ipse autem seriei integritatis defectus quam bene ostendit quousque iuridico-christiano principio romana curia moderata fuerit, quo hominum non nomina sed gesta in posteritatem servanda esse aestimatum est, et quandonam reipsa Auditorum coetui collegialitas recognita fuerit atque ad unguem ad rationem perfecti collegii sese gerere Auditorum collegium incoeperit.

7. - Quapropter, prouti summopere Rotae Auditorum nominum inquisitionis eorumque chronologiae satagendum fuit a die quo rigide exsecutioni demandata est Sixti IV lex de duodenario Auditorum numero, utpote exinde moderata fuerint officia Decanatus, Camerariatus et alia rotalis collegii officia et iura; ita quidem, pro praecedente aevo, eiusmodi inquisitioni sollicitudo paullo maior erat impendenda ea quam chronologiae nominibusque asservandis impenderunt Papae et ipsi Capellani Auditores (qui ad ea posteritati commendanda tunc profecto non adhibuerunt mentem), tanta, scilicet, qua abunde quae fusius tradita in prima operis parte fuerunt, probarentur.

8. - Ad haec dumtaxat - non autem ad narrandas singulorum hominum res - Capellanorum Auditorum hoc in opere cathalogus componendus erat et collocandus: abs re igitur esset quidquid de unoquoque diceretur quod pressius in institutum non spectaret. Quapropter ea tantummodo Capellani Auditoris uniuscuiusque quibus reipsa tribunalis et collegii Rotae historia conflata est, tradam: in hoc quoque Rotae Auditorum regulam factumque sequutus, quibus usque solemne fuit de quolibet Auditore ea dumtaxat adnotare quae illi, qua Rotae Auditori a die nominationis ad diem quo Rotam promotione vel morte dereliquit, evenerunt. Quae antea gesserat, quae extra Rotam illi contigerint, quae post Rotam relictam illi devenerint, nisi iis Rotae res arcte contingerentur, utpote ad Rotam non pertinentia, scriptis consignare Rota consulto diligenterque omisit; et merito: falces in alienam messem mittenda non est. Regulae ideo exemplo-

que constanter adhaerens, nisi historiae vel narrationis ratio secus suadeat, regulae exceptionem non faciam.

9. – Singula quoque singulorum Capellanorum Auditorum a Regestris RR. Pontificum aliisque aliquot textibus archivii Vaticani et a rotalibus genuinis documentis colligam et exponam; ex relatu Scriptorum, nonnisi singularia et solidis historicis argumentis vallata, sumam.

10. – Ne autem operi ornamentum desit, brevissimam summam rerum tribunalis et collegii Rotalis quae per unumquodque soeculum acciderunt, unicuique soeculo praeponam, indigitatis iis ex Auditoribus cuiusvis soeculi qui hac illave de causa notatu digniores floruerunt. [1]

11. – Denique Capellanorum Auditorum nomina, quovis soeculo, per uniuscuiusque Papae pontificatum, ceu superius *n. 2* innui, distribuens, notitiam notabilium quae quilibet Romanus Pontifex, pro tempore, pro Rota egit aut constituit, praemittam.

12. – Hac ratione opus longum laboriosumque absolutum, in Rotae laudem lectorumque utilitatem cessurum fore confido.

## CAPUT II.

### Capellanorum Papae et Apostolicae Sedis Tribunalis seu Sacrae Romanae Rotae generales notae per soecula XII et XIII.

1. Soeculo XII Capellanorum Papae, causarum Auditorum tribunal generatur, quatenus ex assumpto communi iure in canonici auxilium, regula ducitur, solis cardinalibus qua Papae consiliariis, solisque Capellanis Papae, qua eiusdem Cubiculariis, seu sacri palatii Proceribus, esse deinceps committendas causas a christifidelibus ad Papae iudicium libere delatas, quas Papa non per se, sed per alium audire decreturus foret.

2. – Eiusdem tribunalis cunabula, soeculo XIII, fovet Innocentius III, a quo primitus plasmatum, ab Honorio III et Gregorio IX veluti in pueritiae vim adducitur.

3. – Ast, cum nulla speciali specificaque lege cautum tunc temporis esset quaenam causae pleno iure ad Papae forum pertinerent, iudicis officium tam in personis quam in palatio instabile mansit ad annum usque 1245.

[1] Dicam semel pro semper: cum hae summae, compendia eorum sint quae fuso calamo in 1ª huius operis parte exposui et probavi, heic a citationibus abstineam.

4. - Exinde factum fuit quod nullus ex tot Papae Capellanis per id temporis dici constanter potuerit Auditor causarum, sed ii tantummodo et tunc dumtaxat Auditores causarum dicti sunt qui reipsa causas audiere et dum reipsa illas audiendi muneri incubuerunt.

5. - Verum, anno 1245, lato ab Innocentio IV in primo generali Concilio Lugdunen. decreto, in cuius vim appellationes, si ad sanctam sedem fierent, in certis causis beneficialibus pleno iure ad forum Papae pertinuerunt, notabilis causarum numerus ad apostolicam sedem devolvi occepit. Deinde, *sacri palatii apostolici cause:* deinde, stabile in palatio officium iudicum, quibus nomen unum congruit, scilicet: *Auditores causarum curie domini pape*, vel, *sacri palatii apostolici.*

6. - Adolescentiam ita veluti ingressum, Capellanorum tribunal adolescentiae languorum et imperitiarum expers non est. Adhuc enim consilia ab extra petit, et gressus tentans, suo se modulo non aeque metitur: siquidem qui nonnisi mandato ab homine causas s. p. a. audiebant Capellani, nihilominus sese habent *generales Auditores curie domini pape.*

7. – Ast medicina in promptu est: Clemens enim IV Capellanos in adsessores Papae, cum Capellano unius causae auditore iudicantis, assumens, id efficit ut Capellanis consilia dent Capellani, ac unius ceteri omnes sint Coauditores; cardinales vero Capellanis Auditoribus de generali mandato abnuentes, Papae prius, postea vero ipsis Capellanis, hos non alia frui nisi delegatorum Papae potestate persuadent.

8. – Itaque plenae florentisque adolescentiae vigorem nanciscitur Capellanorum Auditorum tribunal. Ipsi enim non amplius tantum Papae sed et apostolicae sedis Capellani praedicantur; et merito: officium quippe vice Papae viventis causas audiendi stabile in palatio et in personis commune, nonnisi stabile apostolicae sedis officium effectum fuerat.

9. - Quantum autem ad haec illorum qui tunc temporis Capellani Auditores causarum floruerunt, sapientia et prudentia contulerit, deficientibus hodie documentis, non aeque aestimaretur. Unum noscimus, Gulielmum Durandi, de quo Baldus adnotat, ceterorum qui eum praecesserant iurisconsultorum opera omnia novisse, eorumque suis operibus opiniones retulisse, sed suam ut plurimum vel noluisse vel nescisse super vexatis iuris quaestionibus pandere.

10. – Ceterum, infantes, pueri, adolescentes, non a semet, sed a parentibus suis nutriuntur, instituuntur, usque dum, facti maiores,

sibi aliisque sufficiant. Et undenam Capellanorum Auditorum exordienti tribunali nutrimentum ac institutio uberius obvenissent, quam ab Innocentio III, Innocentio IV, Clemente IV, quos merito sera posteritas appellavit iuris luminaria et patres?

11. – Retexens igitur in sequentibus paginis quae Romanorum Pontificum et Capellanorum Auditorum nomina et gesta per saecula XII et XIII quoad Rotam fuerunt, multa – etsi summis labiis – de illis, pauca admodum de istis, tradere cogor: opus ad historiae iura exigendum est.

## CAPUT III.

### Soeculo XII.

Quamvis, uti fuse disserui in prima huius operis parte, ab Lucio III initia Capellanorum Papae Auditorum causarum s. p. a. repetenda sint, illorum nominum seriem tamen nonnisi ab Innocentio III exordiri hoc in meo opere duxi, quippe quod Regestra Lucii et illius successorum usque ad Innocentium III desiderantur; et reipsa, concistorium solemne in quo audiebantur causae ter in hebdomada, ante Innocentium III *in desuetudinem iam devenerat*,[1] idque Innocentius ipse in pristinum restituit.

## CAPUT IV.

### Soeculo XIII.

### § I.

### Innocentius III.

*(Ian. 1198 – 16 iul. 1216).*[2]

« Innocentius III, Papa, ex patre Trasmundo de Comitibus Si-
« gniae, matre vero Claricia de Nobilibus Urbis, fuit vir perspicacis
« ingenii et tenacis memoriae, in divinis et humanis literis erudi-
« tus ..... Primum in Urbe, deinde Parisiis, tandem Bononiae, scho-
« lasticis studiis insudavit ..... Fecit ante Pontificatum libros *de miseria*
« *conditionis humanae*, et *de Missarum misteriis*, et *de quadripartita*

[1] Balut., *Gesta Innoc. III, auctore incognito sed coëtaneo.* Edit. Parisiis, Muguet, MDCLXXXII.

[2] Idem, l. c.; Potthast, *Regesta Romanorum Pontificum:* Reg. Innoc. III, in fine.

« *specie nuptiarum:* post pontificatum autem libros *Sermonum*, *Epi-* « *stolarum*, *Regestrorum*, et *Decretalium:* quae manifeste declarant « quantum fuerit tam in humano quam in divino iure peritus,....

« Defuncto Celestino ..... Cardinales ..... ad Septa solis mona- « sterii Clivi sauri ..... consenserunt in ipsum, propter honestatem « morum et scientiam literarum, eum in Summum Pontificem eli- « gentes, flentem, eiulantem et renitentem, vocantes ipsum Innocen- « tium cum prius Lotharius vocaretur ..... tunc erat annorum 37 .....

« Celebrata est eius electio VI idus ianuarii anno incarnationis « dominicae 1198 .....

« Inter omnes pestes habuit venalitatem exosam, cogitans qua- « liter eam posset a Romana Ecclesia extirpare. Statim ergo fecit « edictum ut nullus officialium Curiae suae quicquam exigeret, prae- « ter solos scriptores et bullatores ..... Fecit igitur Ostiarios a Nota- « riorum cameris amoveri ut libere ad eos pateret accessus ..... Ter « in hebdomada *solemne consistorium*, quod in desuetudinem iam deve- « nerat, publice celebrabat *in quo*, auditis querimoniis singulorum, « *minores causas examinabat per alios,* maiores autem ventilabat per « se tam subtiliter et prudenter, ut omnes super ipsius subtilitate ac « prudentia mirarentur, multique literatissimi viri et iurisperiti Roma- « nam Ecclesiam frequentabant, ut ipsum dumtaxat audirent, magis- « que discebant in eius consistoriis, quam didicissent in scholis, « praesertim cum promulgantem sententias audiebant ..... Ob hoc « ad eius audientiam tot et tantae coeperunt de toto Orbe causae « perferri, ut plures et maiores causas ipse diffinierit quam a longis « retro temporibus in Romana fuerint Ecclesia diffinitae ..... ».[1]

Officia et officiales apostolicae Cancellariae ordinavit.[2]

Statuit, illum cui media causae cognoscenda committerentur, melius esse vocandum Auditorem, quam Cognitorem vel Exsecutorem.[3]

Cum Romanus Pontifex factus fuit, Raynaldum, notarium, *Vices-agentem Cancellarii* invenit: post hunc autem, Iohannes tit. S. M. in Via lata *diaconus cardinalis*, et Iohannes tit. S. M. in Cosmedin *diaconus cardinalis* Cancellariae praefuerunt, sub nomine *Cancellarii*. Deinde Raynaldus, acolythus et Capellanus, et Thomas S. R. E. subdiaconus et notarius, neapolitanus electus.[4]

Obiit Perusii die 16 iulii 1216.[5]

[1] Balut., l. c.
[2] Idem, l. c.
[3] Vol. III, pag. 8, n. 8.
[4] Potthast, l. c., pag. 467.
[5] Idem, l. c., pag. 460.

Auditores in causis quas per alios examinavit, dedit vel concessit, praeter cardinales, acolythum, subdiaconos, prothonotarios, quos omnes Magistros et Capellanos suos vocavit: et etiam episcopos, uti eruitur ex suis Regestris. Horum nonnulla heic insero.

CAPELLANORUM AUDITORUM CAUSARUM NOMINA:

Magistri:

1. *P.*, subdiaconus et Capellanus pape. [1]
2. *Odo*, subdiaconus et Capellanus. [2]
3. *Andreas*, subdiaconus et Capellanus. [3]
4. *Raynaldus*, acolythus et Capellanus. [4]
5. *Angelus*, subdiaconus et Capellanus. [5]
6. *Iacinthus*, subdiaconus et Capellanus. [6]
7. *L.*, subdiaconus et Capellanus. [7]
8. *G.*, subdiaconus et Capellanus. [8]
9. *T.*, subdiaconus et Capellanus. [9]
10. *A.*, subdiaconus et Capellanus. [10]

## § II.

## HONORIUS III.

*(18 iul. 1216 - 18 mart. 1227).*

Cencius Sabellius, romanus, card. tit. S. Luciae in Orthea, electus fuit in Summum Pontificem triduo post obitum Innocentii III. [11]

Decreta Alexandri III contra religiosas personas, claustra sua deserentes ut legum et physicae studiis aequo plus incumberent, decreto suo novo confirmavit, quod postea a B. Raymundo collectioni *Decretalium Gregorii IX* insertum est in *lib. III, tit. L, cap. X.*

Obiit XV kal. aprilis 1227. [12]

[1] Vol. III, pag. 8, n. 9.
[2] *Reg. Vat.*, 7, cap. 245.
[3] [4] Vol. III, pag. 9, n. 10,
[5] *Reg. Vat.*, 7, cap. 178, 193.
[6] Ibi, cap. 46.
[7] Ibi, 8, cap. 45.
[8] Vol. III, pag. 14, n. 12.
[9] Ibi, pag. 15, n. 14.
[10] Ibi, pag. 17, n. 15.
[11] POTTHAST, l. c., I, pag. 468.
[12] Idem, ibi, pag. 679.

*Vice-Cancellarium* habuit Rainerium, priorem S. Fridiani Lucani, Wilhelmum qui aliquoties se dixit Cancellarium et fuit etiam notarius, denique magistrum Guidonem Capellanum et notarium, uti ex *Potthast l. c.*

Causas vel per se videns vel per alios, complures in eis deputavit in Auditores cardinales, compluresque Capellanos; inter hos recensentur sequentia

CAPELLANORUM AUDITORUM CAUSARUM NOMINA:

Magistri:

11. *T.*, subdiaconus et Capellanus pape. [1]

12. *A.*, subdiaconus et Capellanus pape. [2]

13. *Gratia*, Capellanus. [3]

14. *Petrus de Collemedio*, Capellanus, [4] serius a Gregorio IX missus ad Tholosanum Comitem, apostolicae sedis Legatus. [5] qui mense iunio 1229 Tholosanam ecclesiam conciliavit; [6] forte primus ex Capellanis Auditoribus causarum quorum opera in legationibus apostolica sedes usa est. - Obiit cardinalis, creatus ab Inn. IV. [7]

15. *R.*, subdiaconus et Capellanus. [8]

16. *R.*, Capellanus. [9]

17. *Hermannus*, Capellanus. [10]

18. *Albertus*, subdiaconus et Capellanus. [11]

## § III.

## GREGORIUS IX.

*(19 mart. 1227 - 22 aug. 1241).*

Natione Campanus de Anagnia, patruelis fratris Innocentii III filius, cognominabatur antea Hugo, cognomine Hugulinus. Die 19 martii 1227 electus fuit in Summum Pontificem. [12]

[1] Vol. III, pag. 15, n. 14.
[2] Ibi, pag. 17, n. 15.
[3] Ibi, pag. 18, n. 16, et pag. 19, n. 18.
[4] Ibi, pag. 19, n. 17.
[5] Ibi, pag. 21, nn. 22 et 23.
[6] MANSI, *Concil.*, vol. XXIII, col. 99 et 100.
[7] EUBEL, *Hier. cath.*, I, pag. 7.
[8] *Reg. Vat.*, 9, cap. 532.
[9] Ibi, anno II, cap. 678.
[10] Ibi, l. c., cap. 680.
[11] Ibi. l. c., cap. 747.
[12] POTTHAST, l. c. pag. 680.

Beato Raymundo de Peñafort commisit collectionem Decretalium conficere, eamque Bononiensi Studio misit ut ea uterentur omnes tum in iudiciis tum in scholis. [1]

Sunt qui asseruerunt, Hugonem Auditorem causarum fuisse; sed Capellanis accensitum fuisse constat; non constat autem eidem fuisse commissas causas, ita ut reipsa saltem semel Hugo, auditorem in causis datum vel concessum egisse, dicendus sit.

*Vice-Cancellarium*, eo Pontifice, egerunt magister Martinus, Magister Bartholomaeus, magister Guillelmus, Frater Iacobus Ordinis S. Dominici, magister Sinibaldus, quem ex Auditore contradictarum prius promovit ad Vice-Cancellariatum, deinde ad cardinalatum, eidem tit. assignans S. Laurentii in Lucina, ei relicto officio et nomine Vice-Cancellarii. [2]

Obiit die 22 augusti 1241. [3]

In causis quas per alios examinavit, et cardinales Auditores dedit vel concessit et Capellanos; inter hos haec recensetur

CAPELLANORUM AUDITORUM CAUSARUM NOMINA:

Magistri:

19. *Octo*, subdiaconus et Capellanus, [4]
*Petrus de Collemedio*, Capellanus, [5]
20. *Iohannes Spat.*, subdiaconus et Capellanus, [6]
21. *Iohannes de Sancto Germano*, Capellanus. [7]

## § IV.

## CELESTINUS IV.

*(25 oct. 1241 - 10 nov. 1241).*

Guifredus Castiglionaeus, mediolanensis, electus die 25 octobris 1241, obiit die 10 novembris eiusdem anni. [8]

[1] *Corpus Iuris Canonici*, in principio.
[2] POTTHAST, l. c., pag. 639.
[3] Idem, l. c., ibi.
[4] Vol. III, pag. 19, n. 19.
[5] Ibi, pag. 21, n. 23. Hoc (uti alia inferius - ceu v. g. nn. 96 et 113) nomen bis collegi, ut aliquot saltem exemplis pateat officium audiendi causas hinc iam ab hoc remoto aevo coepisse in personis aliqua perpetuitatis nota indui.
[6] Ibi, pag. 20, n. 20.
[7] *Reg. Vat.*, 16, f. 107v, anno VI, c 381.
[8] POTTHAST, l. c., pag. 943.

## § V.

### Innocentius IV.

### (*25 iunii 1243 - 7 dec. 1254*). [1]

Sinibaldus Fieschi, ianuensis, celeberrimus iurisconsultus, quem nostri passim memorant sub nomine: *Innocentius*. - Fuerat Capellanus Auditor contradictarum sub Honorio III; sub Gregorio IX Vice-Cancellarius, sibi retinens officium et nomen Vice-Cancellarii etiam cum existeret cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina.

Electus fuit in Papam die 25 iunii 1243. [1] Obiit die 7 decembris 1254. [2]

In Concilio Lugdunensi I, in quo excommunicationis poena animadvertit in Fridericum II, Imperatorem, inter alia, sanxit, causas appellationum in provisionibus vel electionibus, postulationibus factis ad personatum, dignitatem vel canoniam, in personam vel formam devolvi ad sanctam Sedem: [3] exinde hae causae pleno iure cum ad forum papale pertinuerint, officium iudicum in apostolico palatio stabile factum est. Capellani vero harum causarum Auditores, coeperunt sese vocare « *Generales Auditores curie domini pape:* » non tamen - uti ex Regestro illius scatere videtur - ante annum 1253.

*Vice-Cancellarium* egerunt, Ipso sedente, frater Iacobus Buoncambius Ordinis Praedicatorum, magister Martinus (vel Marinus) et Guillelmus, magister scholarum Parmensium. [4]

*Ad Cardinalatum* promovit Petrum de Collemedio;

*Ad Episcopatum*, Martinum; Vernacium.

Inter aliorum qui sub ipso floruerunt, sequentia recensere est

Capellanorum Auditorum causarum nomina:

Magistri:

22. *Matthaeus de Alperino*, Capellanus. [5]

23. *Iohannes de Sancto Germano*, subdiaconus et Capellanus, anno 1253, postea factus notarius. [6]

24. *Simon*. [7]

[1] Potthast, l. c., pag. 943.
[2] Idem, l. c., pag. 1283.
[3] Mansi, *Concil. general.*, anno 1245. - Vol. III, pag. 22, n. 28.
[4] Patthast, l. c., pag. 1283.
[5] *Regestr. Inn. IV*, anno viii, n, 5366, anno x, n. 5986; Vol. III, pag. 23, n. 30.
[6] Vol. III, pag. 33, n. 37.
[7] *Arch. Vat.*, I, 4; IV, 115, 601, 602.

25. *Adenulphus*, Capellanus, nepos Gregorii IX, canonicus Parisiensis. [1]

26. *Bonioannes*. [2]

27. *Martinus*, postea Mantuanus episcopus, antea Capellanus: [3] die 18 martii 1254, praedicatur curie pape generalis Auditor causarum. [4]

28. *Vernacius*, Capellanus, postea electus Reginus, [5]

29. *I. Asten*. [6]

30. *Ubaldus*, Capellanus pape. [7]

31. *Martinus Ispanus*, Capellanus, [8]

32. *Guilelmus Bardini*, Capellanus, *curie domini pape generalis Auditor*, anno Innocentii undecimo mense augusto (1253). [9] Erat praepositus Foroiuliensis.

33. *Bernardus*, [10] decanus Ulixbonensis.

34. *Marinus*, prior Wimarensis, Capellanus. [11]

35. *Rostandus*, subdiaconus et Capellanus. [12]

## § VI.

### Alexander IV.

### (*12 dec. 1254. - 25 maii 1261*).

Raynaldus Conti, signinus, electus die 12 decembris 1254. Obiit die 25 maii 1261. [13]

*Vice-Cancellarium* egerunt Guillelmus, magister scholarum Parmensium, magister Rolandus, et magister Iordanus, subdiaconus et notarius. [14]

[1] Vol. III, pag. 24 sqq., n. 32.
[2] *Arch. Vat.*, I, 4; IV, 367.
[3] *Regestr. Innoc. IV*, anno XI, n. 7530; Eubel., l. c., I, pag. 339.
[4] Vol. III, pag. 30-31, n. 34.
[5] *Regestr. Innoc. IV*, anno XI, n. 7530.
[6] *Arch. Vat.*, I, 4; IV, 367; *Regestr. Inn. IV*, n. 3141.
[7] *Regestr. Inn. IV*, anno XI, n. 7295.
[8] *Regestr. Inn. IV*, anno XI, n. 6913. - Vol. III, pag. 32, n. 25.
[9] Vol. III, pag. 27, n. 33.
[10] Vol. III, pag. 30, n. 34.
[11] *Regestr. Inn. IV*, anno XI, n. 7432.
[12] Vol. III, pag. 32-33, n. 36.
[13] Potthast, l. c., pag. 1286 et pag. 1472.
[14] Idem, l. c., pag. 1452.

Capellanum, Auditorem causarum in illius Regestro inveni

Magistrum

36. *Martinum* (seu *Marinum*, positum supra, n. 34) domini pape Capellanum, priorem Wimarensem; postea archiepiscopum Bracharensem. [1]

## § VII.

### Urbanus IV.

*(29 aug. 1261 - 2 oct. 1264).*

Iacobus, natione Gallus, humili ortus genere, electus fuit die 26 augusti 1261. Fuerat Capellanus apostolicae sedis eiusque ad complures provincias legatus. Obiit Perusii die 2 oct. 1264. [2]

*Vice-Cancellarium*. Eo regnante successive gesserunt magister Iordanus, notarius, et Michaël de Tholosa. [3]

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

### Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

37. *Navarrus*. [4]

38. *Garinus*, decanus Catalaunen., Capellanus noster, *nostrique palatii causarum generalis Auditor*. [5]

39. *Delphinas de Neapoli*, Capellanus, ac palatii eiusdem domini (pape) generalis Auditor. [6]

40. *Gheraldus*, abbas Lesatensis, Capellanus noster, nostrique palatii causarum generalis Auditor. [7]

41. *Bernardus Hispanus*, Capellanus noster, partibus datus Auditor. [8]

42. *Michaël de Tholosa*, Capellanus ac ipsius (pape) palatii causarum generalis Auditor; postea Vice-Cancellarius. [9]

43. *Gregorius de Neapoli*, domini pape Capellanus, ac causarum domini pape auditor generalis. [10]

[1] Vol. III, pag. 38, n. 38.
[2] Potthast, l. c., pag. 1474 et pag. 1540.
[3] Idem, l. c., pag. 1540.
[4] *Regest. Urbani IV*, nn. 980, 1004, 1013, 1015, 1032, 1079, 1119.
[5] Ibi, n. 992; *Arch. Vat.*, U. 4, III, 40; *Reg. Clem. IV*, n. 750.
[6] Ibi, nn. 992, 996, 1038, 1082, 1084, 1119.
[7] Ibi, nn. 1006, 1060, 1107, 1126.
[8] Ibi, nn. 1049, 1100.
[9] Ibi, n. 1049; *Arch. Vat.*, U, 4, III, 98; Vol. III, pag. 44, n. 41.
[10] Ibi, n. 1049.

44. *Matthaeus de Salerno*, postea electus Salernitanus. [1]

45. *Renerius de Pissiaco.* [2]

46. *Petrus Vetus* (*aut* dictus Veteris), decanus S. Hilarii Pictaven. [3]

## § VIII.

### Clemens IV.

*(5 febr. 1265 – 29 nov. 1268).*

Guido Grossus, Gallus, olim advocatus et Ludovici IX Regis Franciae consiliarius, Urbano IV, defuncto, successit in romanum Pontificatum VI nonas oct. 1264, assumpto sibi nomine: Clemens IV, qui a Perusiis die tantummodo 22 februarii 1265 electionem suam notificavit: degebat enim Apostolicus Legatus in Anglia, ubi in Papam est electus. Obiit die 29 nov. 1268. [4]

Eo sedente, ceu fusius retuli in prima huius operis parte, Capellani Auditores causarum in collegiale tribunal coaluerunt: multaque circa eos et iudiciorum praxim ipsum statuisse refert in suo *Speculo* Gulielmus Durandi, uti item huc illuc in citata prima parte narravi.

*Vice-Cancellarium* habuit Michaëlem de Tholosa. [5]

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

#### Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

47. *Elyas Peleti*, canonicus Belvacensis; Capellanus et generalis Auditor causarum palatii apostolici. [6]

48. *Iohannes*, Capellanus, et generalis Auditor, etc. [7]

49. *Petrus Rostandi*, seu Rostannus aut Rostagni, Capellanus, et generalis Auditor etc. – Gregorius X, anno III (1274) pontificatus sui, eum vocat *Capellanum sedis apostolice.* [8]

50. *Gulielmus Durandi*, decanus Carnuten., Capellanus et generalis Auditor etc. – Vulgo noscitur sub nomine *Speculatoris.* [9] - Natus

[1] *Regestr. Urbani IV*, n. 1084; *Arch. Vat.*, U. 4, III, 133.
[2] Ibi, n. 1111; *Arch. Vat.*, U. 4, III, 160.
[3] *Arch. Vat.*; v. 3, III, 504, 505, 506; U. 4, III, 252.
[4] Potthast, l. c., pag. 1542 et pag. 1648.
[5] Idem, pag. 1648.
[6] *Regestr. Clem. IV*, nn. 141, 622, 1152; Vol. III, pag. 49, n. 43.
[7] Ibi, n. 636.
[8] Ibi, n. 672; Vol. III, pag, 53, n. 44.
[9] U. Chevalier, *Repetoir des sources*, etc. Bio-Bibliographie; Schulte, *Geschichte der quellen und Litteratur des Canonischen Rechts.* Stuttgart, II, 1877.

circa ann. 1230 Puimesson (Herault). Henrici de Segusia, cardinalis Hostiensis, auditor et discipulus fuit, ac doctor in utroque renunciatus.[1] Ordinem S. Dominici, iuvenis adhuc, amplexus est.[2] Quamvis ex initio sui operis, quod « Speculum iuris » (unde illi Speculator vulgo nomen fuit) ipse inscripsit, idem non dicat sese fuisse in subdiaconum et Capellanum Auditorem causarum s. a. palatii a Clemente IV electum, Subdiaconus tamen et Capellanus Auditor causarum s. a. palatii reipsa fuit, uti ipse de se confitetur et Regestra papalia ostendunt. Floruit sub Clemente IV, Gregorio X, et successoribus istorum, missus a Nicolao III anno 1278 cum Giffrido Bononiam ad cogendos Potestatem et Consiliarios illius civitatis ut solemniter confirmarent pacta Romae iam inita cum apostolica Sede.[3] Utrum Romam reversus mox fuerit, non constat; ast certe anno 1282, regnante Martino IV, Rector Vicarius in spiritualibus Romandiolae et Massae Trabariae erat.[4] Inibi ei notificata fuit sua ad episcopatum Mimaten. electio, ab illius ecclesiae Canonicis facta anno 1285: de qua ipse relationem faciens Honorio IV, tunc temporis sedem apostolicam gubernanti, sese dispositioni Pontifici tradidit. Hic vero, cum processum electionis et inquisitionem super electum examinari fecisset a ravennatensi archiepiscopo et ab hoc utrumque approbandum esse accepisset, Gulielmus iussit episcopatum acceptare.[5] Vixit ad annum 1296, quo, mense novembri, ex hac luce migravit Romae, et sepultus fuit in ecclesia S. M. supra Minervam in Capella omnium Sanctorum.[6]

Coram eo sub Clemente IV saepius disceptata fuit quaestio utrum Auditores causarum s. a. palatii fuerint ordinarii vel potius delegati; et ipse cum sentiisset eos esse ordinarios in cognoscendo, delegatos autem in sententiando saltem in causis appellationum, auctor probabiliter fuit quod Capellani procederent sub eodem Clemente IV et Gregorio X, in vim commissionis generalis sine speciali commissione in causis tamen appellationis, devolutis ad s. sedem, in vim decreti Innocentii IV, uti fusius retuli suis locis in prima operis parte.

« Speculum iuris » uti dixi, scripsit quod serius Ioannes Andreas, Baldus de Ubaldis aliique iurisconsulti additionibus et theorematibus locupletarunt. Hoc in opere « multa veterum scriptorum ipse sibi « sumpsit et ad verbum descripsit, quae postea Ioannes Andreas in

[1] Quetif Iac. et Eschard, *Scriptores Ord. Praed.*
[2] Ibi, l. c.
[3] *Regestr. Nicolai III*, nn. 268, 269, 272 etc.
[4] *Regestr. Martini IV*, anno II, n. 267.
[5] *Regestr. Honorii IV*, n. 285.
[6] Bernino, *La S. R. Rota*, pag. 274.

« Additionibus suis passim notavit atque prodidit ». [1] Praeterea in vulgum edidit Gulielmus « Rationale divinorum in VIII libros » et « Repertorium iuris » et quaedam alia. [2]

51. *Giffridus de Anania*, Capellanus et generalis Auditor etc. Nomen huius Capellani Auditoris, quod inveni in Regestro Nicolai III, qui hunc misit cum Gulielmo Durandi in Romandiolam, heic colloco. etsi neque ex Regestro Clementis IV, neque ex illo Gregorii X et aliorum umquam ostendatur. Fuerat Giffridus, uti Gulielmus, Ordinis S. Dominici.

## § IX.

### Gregorius X.

### (*1 sept. 1271 - 10 ian. 1276*).

Thedaldus, ortus Placentiis ex Vicecomitum stirpe perantiqua, die 1 septembris 1271 Clementi IV successit. Obiit die 10 ianuarii 1276. [3] Fertur ipsum fuisse « mirae experientiae in soecularibus, « quamvis modicae literaturae, nec intendisse pecuniarum lucris sed « pauperum eleemosinis ».

Ad Capellanos Auditores quod attinet, iste Pontifex nil novi in inductis et servatis illorum stylis constituit.

*Vice-Cancellarium* gesserunt Magister Ianonus Leccacorvi, Magister Lanfrancus archidiaconus Pergamensis.

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

#### Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

52. *Guilelmus de Mariscen.*, Capellanus et causarum p. a. generalis Auditor. [4]

53. *Raymundus*, Capellanus et item generalis Auditor. [5]

54. *Aymericus Guilloti*, Capellanus et item generalis Auditor. [6]

55. *Grimerius*, Capellanus et generalis Auditor, qui fuit promotus ad archiepiscopatum Aquensem. [7]

56. *Arditio*, Capellanus et item generalis Auditor. [8]

[1] *Vita Gulielmi Durandi* in « *Specul. iuris cum Ioannis Andreae, Baldi de Ubaldis ... theorematibus* », Venetiis, 1576, parte I.

[2] Ibi, l. c.

[3] Potthast, l. c., pag. 1651 et pag. 1702.

[4] *Regest.*, nn. 325, 336, 337, 786; Schede Garampi, *Ber.*, ep. 169, 170.

[5] Ibi, nn. 425, 427.

[6] Ibi, nn, 435, 1050, 1055.

[7] Ibi, nn. 435, 1055. - Vol. III, pag. 53, n. 44.

[8] Ibi, n. 729.

## § X.

### Innocentius V.

*(21 ian. 1276 - 22 iun. 1276).*

Petrus de Tarantasia successit Gregorio X, electus die 21 ianuarii 1276, assumpto sibi nomine: Innocentius V. Hic, qui in archiepiscopatu non peregerat annum, in cardinalatu non perfecerat annum, neque in pontificatu potuit per annum residere, quippe qui die 22 iunii illius anni 1276 decessit. « Licet multa facere proposuisset, « morte praeventus, nil notabile fecit ». [1]

Ipsene incoepit Capellanis Auditoribus auferre qualificativum *generalium* Auditorum curie domini pape eosque iubere ne procederent nisi in vim specialis et non generalis commissionis? Speculator testatur huiusmodi morem cum Gregorio X finem accepisse, uti fuse in prima parte, suis locis, retuli.

## § XI.

### Hadrianus V.

*(11 iul. 1276 – 18 aug. 1276).*

Octobonus de Flisco, nepos Innocentii IV, electus fuit defuncto Innocentio V, die 11 iulii 1276, et nomen sibi imposuit: Hadrianus V. « Nondum promotus in sacerdotem, nec coronatus, nec consecratus, « Viterbii moritur » die 18 augusti illius anni. [2]

## § XII.

### Ioannes XXI.

*(8 sept. 1276 - 20 maii 1277).*

Magister Petrus, Hispanus, in diversis scientiis famosus, electus die 8 septembris 1276, die 20 maii 1277 Viterbii « cadente super « eum pallacio in quo habitabat, obiit et sepultus est ibi ».

*Vice-Cancellarius*, Magister Petrus de Mediolano. [3]

[1] Potthast, l. c., pag. 1704 et pag. 1708.
[2] Idem, l. c., pag. 1709
[3] Idem, l. c., pag. 1710.

## § XIII.

### Nicolaus III.

*(25 nov. 1277 - 22 aug. 1280).*

Iohannes Caietanus, romanus, die 25 novembris 1277 successit Iohanni XXI, et sibi nomen indidit: Nicolaus III. Obiit die 22 augusti 1280. « Hic fuit multum compositus homo in moribus: unde et « apud multos *el composto* appellabatur et erat de pulchrioribus Cle- « ricis mundi. Commendabatur etiam de magna prudentia et matura « responsione » [1]

Ex documento secreti archivii Vaticani penes *Armad. XIII, caps. VI, n. 30*, patet, Capellanis Auditoribus causarum s. p. a., non amplius fas fuisse sibi nomen dare: « *generales* Auditores » cum inibi simpliciter appellentur: « Capellani et Auditores sacri palatii ».

*Vice-Cancellarius*, Magister Petrus (Peregrossi) de Mediolano. [2]

Gulielmum Durandi, Capellanum, misit cum Giffrido Bononiam legatum apostolicae sedis. [3]

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

57. *Dominus Comes de Canale,* Capellanus et Auditor sacri palatii. [5]

58. *Iohannes de Rocha,* Capellanus et Auditor s. p. [4]

59. *Dominus Nicolaus de Canino,* Capellanus et Auditor s. p. [4]

60. *Dominus Guido de Noara,* Capellanus et Auditor s. p. [4]

## § XIV.

### Martinus IV.

*(22 febr. 1281 - 28 martii 1285).*

Simon, natione gallicus, electus die 22 februarii 1281 Viterbii, obiit Perusii die 28 martii 1285. [5]

[1] Potthast, l. c., pag. 1712.
[2] Idem, l. c.
[3] *Regestr. Nic. III,* n. 268, 269, etc.
[4] *Arch. Vat.,* Armad. XIII, caps. VI, n. 30.
[5] Potthast, l. c., pag. 1756 et pag. 1794.

*Vice-Cancellarium*, Eo sedente, gessit Magister Petrus Peregrossi de Mediolano. [1]

Unum Capellanorum Auditorum nomen qui sub eo floruerunt inveni in Regestro Nicolai IV, [2] nempe:

Magister:

61. *Nicolaus de Terracena*, Capellanus et a. p. Auditor causarum.

## § XV.

## Honorius IV.

*(1 aprilis 1285 - 3 aprilis 1287).*

Iacobus de domo Sabellorum, romanus, electus die 2 aprilis 1285, obiit Romae die 3 aprilis 1287. [3]

*Vice-Cancellarium* gessit Magister Petrus Peregrossi de Mediolano. [4]

Iussit episcopatum Mimaten. Gulielmum Durandi acceptare, uti supra, *pag. 14*, retuli.

## § XVI.

## Nicolaus IV.

*(22 februarii 1288 - 4 aprilis 1292).*

Frater Hieronimus de Marchia Anconitana, loco Ascoli, electus die 22 februarii 1288, obiit 4 aprilis 1292. [5]

*Vice-Cancellarium*, Eo sedente, gessit Iohannes, decanus Baiocensis. [6]

Praeter « quemdam Magistrum Nicolaum de Terracena, Capellanum Martini IIII, *et ipsius Palatii Auditorem causarum* » [7] floruerunt, Eo sedente,

Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

62. *Giffridus de Placentia*, Capellanus et palatii pape Auditor. [8]

63. *Rogerius de Salerno*, Capellanus et palatii pape Auditor. [9]

[1] Potthast, pag. 1795.
[2] Citat. *Regestr. Nic. IV*, n. 5174.
[3] Potthast, l. c., pag. 1795 et pag. 1823.
[4] Idem, l. c., pag. 1825.
[5] Idem, l. c., pag. 1826 et pag. 1914.
[6] Idem, l. c., pag. 1915.
[7] *Regestr. Hon. IV*, n. 283.
[8] *Regestr. Nic. IV*, n. 5174.
[9] Ibi, n. 3975.

64. *Matthaeus Protonobilissimus de Neapoli*, Capellanus et palatii pape Auditor. [1]

65. *Huguitio de Wercellis*, Capellanus et palatii pape Auditor. [2]

## § XVII.

### Celestinus V.

(*5 iulii 1294 - 13 novembris 1294*).

Petrus de Murrhone, electus die 5 iulii 1294, papatui cessit et expresse renunciavit die 13 novembris 1294, Neapoli. [3]

## § XVIII.

### Bonifatius VIII.

(*24 decembris 1294 - 11 octobris 1303*).

Benedictus Caietanus, de Anagnia, ad scientias omnes, sed praecipue iuris se applicuit: advocatum in curia gessit; deinde Papae notarium; postea cardinalem expeditorem ad casus collegii declarandos seu ad exteros respondendum; electus fuit die 24 dec. 1294. Obiit Romae die 12 octobris 1303. [4]

*Vice-Cancellarium*, Eo sedente, gesserunt successive: Magister Petrus de Piperno, *Petrus S. Mariae Novae diac. cardinalis* et Papinianus, Parmensis episcopus. [5]

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

#### Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

66. *Bartholomaeus*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [6]

67. *Raynerius de Casulis*, Capellanus pape, ac Auditor causarum palatii pape. [7]

68. *Papinianus*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [8]

[1] *Regestr. Nic. IV*, n. 5858.
[2] Ibi, n. 6105.
[3] Potthast, l. c., pag. 1915 et pag. 1921.
[4] Idem, l. c., pag. 1923 et pag. 2023.
[5] Idem, l. c., pag. 2024.
[6] *Regestr. Bonif. VIII*, nn. 517, 1834, 4182; *Regestr. Bened. XI*, n. 29.
[7] Ibi, n. 853.
[8] Ibi, n. 914; *Reg. Bened. XI*, n. 504.

69. *Guidottus*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [1]

70. *Hugulinus*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [2]

71. *Raynerius de Vichio*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [3]

72. *Altegradus de Landenaria*, canonicus Ravennaten., Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [4]

73. *Bartolinus*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [5]

74. *Onufrius de Trebis*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [6]

75. *Guillelmus Accursi*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [7]

76. *Symon de Marvilla*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [8]

77. *Bernardus Royardi*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [9]

78. *Beltramnus*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [10]

79. *Nicolaus*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [11]

80. *Guido de Anagnia*, Capellanus pape ac Auditor causarum palatii pape. [12]

81. *Guidoctus de Mediolano*, Auditor apostolici palatii. Die 11 februarii 1306 non erat amplius sacri palatii Auditor causarum. [13]

82. *Nicolinus de Camilla*, canonicus Ambianensis, Capellanus dicte sedis ac apostolici palatii Auditor. [14]

[1] *Reg. Bonif. VIII,* n. 2745. Num idem ac inferius n. 81?
[2] Ibi, n. 2861.
[3] Ibi, nn. 2987, 3700.
[4] Ibi, n. 3749; Schede Garampi, *Bon. VIII,* VI, 306 in *Arch. Vat.*
[5] Ibi, nn. 3793, 3859, 4182.
[6] Ibi, nn. 4063, 4931; Schede Garampi, *Bon. VIII,* VII, 136 in *Arch. Vat.*
[7] Ibi, n. 4063.
[8] Ibi, nn. 4063, 4931.
[9] Ibi, nn. 3976, 4182; *Reg. Bened. XI,* n. 29.
[10] Ibi, n. 4770; *Reg. Bened. XI,* n. 29. *Arch. Vat.*
[11] Ibi, nn. 3859, 4931.
[12] Schede Garampi: « Guido de Anagnia, Canonicus Parisien. Auditor causa- « rum palatii sub Bonifacio VIII. (*sic*) » *Arch. Vat.*
[13] Schede Garampi: « 1302. 6. feb. Guidoctus de Mediolano, Auditor apostolici Palatii. Instrum. ». « 1306. 11 febr. Guidoctus olim causarum Sacri Palatii Auditor. « Instrum. ». *Arch. Vat.*
[14] Vol. III, n. 48, pag. 67. Anno 1301 iam erat defunctus (ibi).

# CAPUT V.

## § I.

## Soeculo XIV.

**Capellanorum Papae et Apostolicae Sedis Tribunalis, seu Sacrae Romanae Rotae notae generales per soeculum XIV.**

1. – Soeculo XIV, Capellanorum Papae et apostolicae sedis tribunal, veluti adolescentiam egressum, iuventutem ingreditur, et fit sui iuris. Profecto e Papae consistorio evulsum suas recipit ordinationes et statuta ac Auditores in speciales, veros officiales Papae et apostolicae sedis assumuntur, ac tribunal proprium nomen sortitur: *Rota;* a Romano Pontifice potius in ordinationem tribunalis, quam in augmentum honoris hominum illius, leges feruntur; Auditores ab Ordinariorum quorumcumque iurisdictione eximuntur.

2. – Et ipsi delatas suo iudicio causas stylum tractandi per se ordinant, causas in tres gradus dividentes: huic stylo immutationem inducunt, choros seu Turnos Rotae creantes; decisiones suas separatim glossis adornant et publici iuris faciunt.

3. – Celebriores iurisconsulti in Rotae Auditores assumuntur, inter quos Oldradus de Ponte, Aymericus Gerardi, Aegidius Bellemera, etc. Ex eis unus tanta vitae sanctimonia praefulget, ut coeliculorum honores meritus fuerit: Bertrandus de Sancto Ginesio.

4. – Tanti tribunalis, tantorum hominum sapientiam miratu dignissimam aestimarunt homines: ideo, ars nova typis libros cudendi vix ac populis Dei libros praebuit, rotales decisiones Auditorum Rotae porrigere sategit.

5. – Vere vita exuberans iuventus, quae morbo carere nequibat. Reipsa, magnum occidentale schisma oritur; Rotae Auditores magna ex parte Antipapis favent eosque sequuntur; inter hos (dolendum sane!) Aegidius Bellemera. Et deficiente soeculo et Rotam defecisse visum est: ceterum, saeviente schismate, quid non est visum defecisse? Ast ad breve tempus; nam soeculo insequenti, uberiori saniorique vita Rota vivet.

## § II.

## Benedictus XI.

*(22 octobris 1303 - 7 iulii 1304).*

Nicolaus Bocasinus, electus die 22 octobris 1303, obiit die 7 iulii 1304. [1]

*Vice-Cancellarium habuit* Papinianum episcopum Parmensem. [2]

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

### Capellani Auditores causarum s. a. p.

Magistri:

83. *Guidoctus*,[3]
84. *Beltramnus*,[4]
85. *Boxolus*,[5]
86. *Symon*,[6]

qui, Boxolo excepto, causas audiendi muneri incubuerant etiam sub Bonifacio VIII.

## § III.

## Clemens V.

*(5 iunii 1305 - 20 maii 1314).*

Bertrandus de Guitto, electus in Papam die 5 iunii 1305, sedem transtulit Avenionem, ibique mortuus est die 20 maii 1314. [7]

Duabus constitutionibus *Dispendiosam* et *Saepe contigit* iudices a Papa delegatos solvit ab rigida iudiciorum solemnitatum iuris observantia in certi generis causis. [8]

*Vice-Cancellarium* habuit Magistrum Petrum Arnaldi, Petrum tit. S. Priscae cardinalem, Petrum de Podio. [9]

[1] Potthast, l. c., pag. 2025 et pag. 2037.
[2] Idem, ibi, pag. 2038.
[3] *Regestr. Ben. XI,* n. 169.
[4] Ibi, n. 317.
[5] Ibi, n. 457.
[6] Ibi, n. 1301.
[7] Balutius, *Vitae Paparum Avenionensium,* edit. Parisiis, 1693, tom. I, *Vita Clementis V.*
[8] Cfr. Par. I, *Generalia de Rotalibus iudiciis.*
[9] Baumgarten P. M., *Von der apostolischen Kanzlei.* Köln. 1908, pag. 90-91.

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Episcopatum:* Galassus Albertini. [1]

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

87. *Alanus de Perusio*, Capellanus et palatii apostolici Auditor. [2]

88. *Albertus.* [3]

89. *Hugo Geraldi.* [4]

90. *Franciscus de Molliano* (seu *Maliano*), [5]

91. *Bernardus Royardi* (alias *Boiardi*), archidiaconus Xantonen. [6]

92. *Gregorius de Placentia.* [7]

93. *Salso.* [8]

94. *Sycardus de Vauro.* [9]

95. *Berengarius de Olargiis.* [10]

96. *Aymericus Geraldi* (alias *Gerardi*), [11] anno 1337 auditor causarum tercii gradus, [12] deinde episcopus Carnoten., [13] denique mense septembris 1342 cardinalis, creatus a Clemente VI. [14]

97. *Alanus Venatoris.* [15]

98. *Galassus Albertini*, promotus a Clemente V ad episcopatum Castellanen., [16] deinde in Regestro de nomine ecclesiae suae vocatus Castellanus.

99. *Sanson de Calvomonte*, archidiaconus Avalonen. in ecclesia Eduen. [17]

100. *Gaucelmus Iohannis Deuza*, Vice-Cancellarius Iohannis XXII. [18]

[1] Eubel, *Hier. cath.*, I, pag. 177.
[2] *Regestr. Clem. V*, n. 3312.
[3] *Arch. Vat.*, Coll. 492. A. f. 2.; *Regestr.*, n. 3388.
[4] Ibi, C. 5, IV, 380; *Regestr.*, nn. 3844, 7975.
[5] Ibi, C. 5, IV, 1178.
[6] Ibi, 1310 ian. et febr. *Instrum.*; *Regestr.*, nn. 3873, 4021, 4933.
[7] Ibi, C. 5, VIII, 564; *Regestr.*, nn. 3926, 9597, 9648, 9838.
[8] *Regestr. Clem. V*, n. 7975.
[9] *Arch. Vat.*, C. 5, III, 1019; *Regestr.*, n. 7975.
[10] Ibi, C. 5, VIII, 746; I. 22, I, p. 4, ep. 1134; *Regestr.*, n. 9809.
[11] *Regestr. Clem. V*, n. 10207.
[12] *Arch. Vat.*, I. 22, VII, ep. 97, p. 55.
[13] Eubel, l. c., pag. 17 et 173.
[14] Idem, l. c.; Balut., l. c., in *Vita Clementis VI.*
[15] *Arch. Vat.*, C. 5, IX, 151; *Reg. Clem. V*, n. 10225.
[16] Eubel, l. c., pag. 177; *Regestr.*, n. 10247.
[17] *Regestr. Clem. V*, n. 7975.
[18] Ibi, 6631. Cfr. Baumgarten, l. c., pag. 96, nota 2.

## § IV.

### Iohannes XXII.

*(7 augusti 1316 - 4 decembris 1334).*

Iacobus de Portu (d'Euse), quondam Avenionensis episcopus, « vir non multum magnus in statura, sed in scientia magnus et « habens testimonium bonae vitae », electus in Papam die 7 mensis augusti 1316, obiit Avenione die 4 decembris 1334. [1]

Iohannes XXII primam edidit Rotae constitutionem in statutis et ordinationibus anni 1331, quorum initium est *Ratio iuris*. Haec constitutio legebatur quotannis die aperitionis Rotae. [2]

*Vice-Cancellarium* egit, Eo regnante, Gaucelmus Iohannis Deuza, Petrus (Textoris), Petrus de Pratis. [3]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Patriarchatum:* Bertrandus de Sancto Ginesio.

*Ad Episcopatum:* Bartholomaeus Grassus, Bertrandus de Deucio, Adam Orleton, Alexander Kyninmond.

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

101. *Bartholomaeus Grassus* qui anno 1318 factus fuit episcopus Foroiulien. [4]

102. *Stephanus Hugoneti*, canonicus Albien., Auditor causarum sacri palatii et Curiae Legati Italiae. [5]

103. *Gulielmus Revelli*. decanus de Burlasis dioecesis Castren., Auditor causarum sacri palatii et Curiae Legati Italiae. [6]

104. *Iacobus de Actis de Mutina.* [7]

105. *Guigo de Sancto Ginesio.* [8]

106. *Petrus Guillelmi.* [9]

[1] Balut., *Vitae Papar. Avenion., Vita Iohannis XXII.*
[2] Cfr. vol. III, pag. 69, n. 50.
[3] Baumgarten, l. c., pag. 96-104.
[4] Eubel, *Hier. Cath.*, I, pag. 262.
[5] *Arch. Vat.*, 1323, 12 mart. *Instrum.*; Io. 22, III, 1041.
[6] Ibi, 1323, 12 mart.; AA. *Instrum.*
[7] Ibi, Io, 22, III, 1154 et VI, ep. 87.
[8] Ibi, 1329, 8 mart. *Instrum.*
[9] Ibi, I. 22. II. p.e 1.a ep. 932.

107. *Oliverius de Cerseto* (alias, *Serbeto*, aut *Corseto*), decanus ecclesiae S. Ularii Pictavien., Auditor causarum palatii; [1] anno III Benedicti XII Auditor causarum primi gradus palatii apostolici. [2]

108. *Franciscus de Amelia*, legum doctor. Huius memorat Fastolf in decisione diei 15 ian. 1337. [3]

109. *Petrus Fernandi*, canonicus Palentinus, legum professor. [4]

110. *Bertrandus de Sancto Ginesio*, Capellanus Papae, Auditor causarum primi gradus palatii apostolici die 27 iulii 1332. [5] – Patriarcha Aquileiensis et sanctimonia vitae Beatis scriptus.

111. *Guigus de Sancto Germano.* [6]

112. *Alanus de Gars*, Capellanus domini Papae, causarum palatii apostolici Auditor, in Romana curia defunctus die 13 augusti 1348. [7]

113. *Aymericus Gerardi*, Auditor secundi gradus sacri palatii [8] – anno 1337 tercii gradus – deinde « profundissimus iuris utriusque doctor » creatur episcopus Carnoten. et denique cardinalis a Clemente VI, mense septembris 1342. [8]

114. *Petrus de Talliata.* [9]

115. *Bertrandus de Deutio*, [10] Uticensis, utriusque iuris doctor, promotus in Auditorem contradictarum, deinde factus archiepiscopus Ebredunensis an. 1323 [11] et tandem cardinalis, creatus a Benedicto XII. [6]

116. *Aegidius de Benevento*, iuris canonici doctor, fit archiepiscopus Toletanus, et anno 1350 mense decembris cardinalis creatur a Clemente VI. [11]

117. *Petrus Placentis.* [12]

118. *Buxolus de Parma*, Auditor causarum palatii. Anno 1337, sub die 28 aprilis Magister Bosulus, canonicus Tornacen., Capellanus pape praedicatur Auditor causarum tertii gradus palatii apostolici. [13]

[1] *Arch. Vat.*, 1329, 8 mart.; Io. 22, V, part. I, ep. 339.
[2] Ibi, *B. XII*, an. III, part. I, n. 371.
[3] Ibi, 1329, 8 mart., *Instrum.*; *B. XII*, an. III, part. I, 86 et 330; anno V, 538
[4] *Arch. Vat.* 1329, 8 mart., *Instrum.*; *B. XII*, anno III, p. I, 89.
[5] Ibi, 1329, 8 mart. *Instrum.*; 1332. 27 iul. *Instrum.*
[6] Ibi, 1329, 8 mart. *Instrum.*; I, 22, VI, 1214.
[7] Ibi, 1329. 8 mart. *Instrum.*; 1348. 13 aug. *R. C.* 331, p. 23.
[8] Ibi, Io. 22, VI, ep. 97, p. 55.; *B. XII*, anno III, p. I, n. 393; Baluz., *Vitae Papar. Avenion., Vita Clementis VI.*
[9] *Arch. Vat., B. XII*, III, p. II, 330.
[10] Ibi, Io. 22, VI, 1177; Eubel, l. c. I, pag. 243; Baluz, l. c.; *Decisiones* Fastolf sub die 27 ian. 1337.
[11] Baluz., l. c.; *Arch. Vat., B. XII*, III, p.e 2, 485; Baluz., l. c.
[12] *Arch. Vat.*, 1329. Obl. T. 6, p. 79; 1329, 8 mart. *Instrum.*
[13] Ibi, Io. 22, VI, 789; 1337, 28 apr. *Instrum.*

119. *Raymundus Subirani*, Capellanus pape et Sacri Palatii tertii gradus causarum Auditor, anno 1322, augusti 2. [1]

120. *Gulielmus de Duroforti;* episcopus Lumbarien. anno 1363. [2]

121. *Iohannes de Allodiis.* [3]

122. *Rolandus de Scarampis.* [4]

123. *Ademarus*, seu *Ademarius, Roberti.* [5]

124. *Guilelmus de Norvico.* [6]

125. *Durandus de Sancto Salvatore.* [7]

126. *Bernardus de Novodopno.* [8]

127. *Thomas Fastolf*, Auditor causarum palatii. [9] – Suas Rotae Decisiones in vulgum edidit et passim cum Novis et Antiquis typis editae inveniuntur. Anno 1352 episcopus Meneven.

128. *Hermannus de Praga*, Auditor causarum primi et secundi gradus: tercii gradus sub Benedicto XII. [10]

129. *Oldradus de Ponte de Laudo.* [11]

130. *Gondisalvus Bonihominis;* [12] die 27 iulii 1332 Calaritan. archiepiscopus, olim capellanus pape et Auditor causarum primi gradus palatii apostolici.

131. *Rigaudus de Asserio.* [13]

132. *Iohannes de Ros.* [14]

133. *Adam* (Orleton), canonicus Hereforden, quem Iohannes XXII anno 1317 fecit episcopum Hereforden. [15]

134. *Berengarius de Olargiis.* [16]

135. *Raimbaldus de Rechignovoisin.* [17]

136. *Reginaldus* (alias *Rainaldus*) *de Sancta Artemia.* [18]

[1] Sauerland., II, n. 2137.
[2] *Arch. Vat.,* Io. 22, X, p.e 1.a ep. 241; Eubel, l. c., 323.
[3] Ibi, *B. XII,* III, p.e 2, 347.
[4] Ibi, *B. XII,* IV, p.e 1, 193.
[5] Ibi, *B. XII,* III, p.e 2, 330.
[6] Ibi, 1337, 28 april. *Instrum.*
[7] *Decisiones Fastolf* sub die 27 ian. 1337; *Arch. Vat., B. XII,* VII, 16, p. 116
[8] *Arch. Vat., B. XII,* VII, 382, 387.
[9] Illius *Decisiones;* Eubel, l. c., pag. 351.
[10] *Arch. Vat., B. XII,* III, p. 1, n. 393.
[11] *Consilia* ipsius Oldradi et *Decisiones* Fastolf.
[12] *Arch. Vat.,* 1332, 27 iulii, *Instrum.*
[13] Ibi, Io. 22, I, part. I, ep. 1134; Io. 22, T. 1, Sec. ep. 300.
[14] Ibi, Io. 22, II, part. I, ep. 233.
[15] Ibi, Io. 22, I, part. III, ep. 2919; Eubel, l. c., I, pag. 285.
[16] Ibi, Io. 22, I, part. IV, ep. 1134; Io. 22, T. 2, Sec. ep. 657.
[17] Ibi, Io. 22, T. 2, Sec. ep. 727.
[18] Ibi, Io. 22, II, part. I, ep. 311; Io. 22, part. II, ep. 1552.

137. *Borgia.*, Benevent., Auditor causarum tertii gradus palatii apostolici. [1]

138. *Petrus Albi*, Capellanus pape et apostolici palatii primi gradus Auditor causarum. [2]

139. *Alexander Kyninmond*, capellanus pape et causarum palatii apostolici Auditor; anno 1329 fit episcopus Aberdonen. a Iohanne XXII.[3]

## § V.

## Benedictus XII.

### (*16 decembris 1334 - 25 aprilis 1342*).

Iacobus Furnerii, alias Novelli, monachus Cisterciensis, magister in sacra theologia, creatus Papa die 16 decembris 1334, obiit die 25 aprilis 1342. Palatium Papae aedificavit Avenione quo sedem audientiae causarum Palatii constituit. [4]

Reservationes beneficiorum, similes illis quas Iohannes XXII fecerat, et ipse fecit paullo post initum pontificatum, constitutione *Ad regimen* diei 10 ianuarii 1335, qua per hyerarchicas series offitialium apostolicae sedis enumerans primus Capellanis Auditoribus causarum sacri palatii apostolici specialem certumque locum constituit immediate post Auditorem contradictarum: [5] ex quo cum orta fuisset contentio inter eosdem offitiales, Benedictus bulla diei 1 octobris eiusdem anni *Cum, sicut accepimus*, Capellanos Auditores declarat esse et fuisse Papae familiares, commensales domesticos ac illius et apostolicae sedis speciales ac veros officiarios. [6]

Anno 1340 constitutionem edidit circa reformationem advocatorum et procuratorum palatii apostolici, quae incipit: *Decens et necessarium* quaeque quotannis, altera ex Rotae constitutionibus, legebatur in die aperitionis Rotae. [7]

*Vice-Cancellarium* habuit Petrum de Pratis. [8]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Bertrandus de Deucio.

Praeter omnes fere Capellanos Auditores qui sub Iohanne XXII floruerunt, sequentes inveniuntur in Regestro

[1] *Arch. Vat.*, I, 22, T. 3, p. 277.
[2] Sauerland, II, n. 2137.
[3] Eubel, l. c., I, pag. 63.
[4] Balut., *Vitae Papar. Avenionen. Vita Benedicti XII.*
[5] Cfr. vol. III, pag. 79, n. 52.
[6] Vol. III, pag. 81, n. 53.
[7] Ibi, pag. 82, n. 54.
[8] Baumgarten, l. c., pag. 104.

Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

140. *Petrus Raymundi de Montebruno.*[1]

141. *Guillermus Audeberti*, praepositus S. Petri Arien. Morimen. dioecesis, Auditor causarum secundi gradus palatii apostolici,[2] utriusque iuris professor, creatus episcopus Apten.[3]

142. *Bartholomaeus Aversanus*, Capellanus et Auditor causarum secundi gradus palatii apostolici.[4]

143. *Rolandus Regin*, Capellanus et Auditor causarum secundi gradus palatii apostolici.[5]

144. *Iohannes de Sinemuro*, Capellanus et Auditor causarum secundi, olim primi, gradus palatii apostolici.[6]

145. *Petrus Burgundionis*, Capellanus et Auditor causarum palatii apostolici.[7]

146. *Iohannes de Corzeto.*[8]

## § VI.

## Clemens VI.

*(19 maii 1342 - 6 decembris 1352).*

Petrus Rogerii, ordinis S. Benedicti, doctor sacrae theologiae, electus die 19 maii 1342, obiit die 6 decembris 1352.[9]

« Ante ... benedictinum Palatium (Avenione) aliud valde misterio-
« sum et pulchrum et capellam amplissimam nimiumque decoram,
« *sub qua modo causarum* et contradictarum *audientiae tenentur*, a
« fundamentis grossissimis fecit aedificari ».[10]

Dominicus Bernino in suo opere *Il tribunale della sacra Rota Romana*, pag. 59, asserit, Clementem VI « ... in Avignone, nell'anno
« ottavo del suo Pontificato con distinta Bolla in data del primo [*b*]
« giorno di Luglio 1349., ordinò che contro gli Auditori di Rota

[1] *Arch. Vat.*, 1334, 3 ianuarii, *Instrum.*
[2] Ibi, *B. XII*, anno III, p. 1, n. 393.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, 1337, 28 aprilis, *Instrum.*
[5] Ibi, 1337, 28 aprilis, *Instrum.*
[6] Ibi, 1337, 28 aprilis, *Instrum.*
[7] Ibi, 1338, *Instrum.*, p. 23.
[8] Ibi, l. c.
[9] Baluz. *Vitae Papar. Avenion., Vita Clementis VI.*
[10] Idem, l. c.

« proceder non si potesse da alcun Giudice senza espresso consen-
« timento de' Pontefici da esprimersi da loro con documento preciso,
« in cui si facesse distinta et espressa menzione, derogatoria di simile
« proibizione ». Et in margine: « *b - Extat in Archivio Rotae* ».

Verum huiusmodi Bullae, seu Brevis (prout idem Bernino in Indice, sub litera *C* et voce *Clemente VI*, documentum appellat) in archivio Rotae mihi datum non fuit sive originale exemplar, sive copiam, vel aliud quodvis vestigium reperire. Sed neque in eiusdem Clementis VI regulis Cancellariae, quibus, de illarum tempestatum more, clementina ordinatio inserta inveniri deberet, prout similem ordinationem suis regulis inseruit Gregorius XI [1] cuius tamen nil rotale archivium servat. Quinimmo nullus ex subsequutis romanis Pontificibus – ipsis Gregorio XI et Clemente VII non exceptis – de data Rotae Auditoribus ab Clemente VI exemptione mentionem utcumque fecit. Ast in *Arch. Rot.;* Invent. *X* et *XII*, de ea fit memoria. Itaque si reipsa documentum extiterit, post Bernino, qui opus edidit anno 1716, deperditum est: praecise, scilicet, ubi archivii cartae non amplius capsa, sed apposita sede religiosissime servabantur et usque, deinceps, servatae sunt.

*Vice-Cancellarium* sub Clemente VI egit Petrus de Pratis. [2]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Aymericus Gerardi, Ademarius Roberti, Aegidius de Benevento.

*Ad Episcopatum:* Aymericus Gerardi, Iohannes de Blaudiaco, Amanerus de Moca, Thomas Fastolf.

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

### Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

147. *Wilelmus de Noviuto*, discretus vir sacri palatii Auditor; [3]

148. *Iohannes de Blaudiaco*, discretus vir sacri palatii Auditor; [4] promotus ad episcopatum Nemausensem, anno 1348 [5] et ad cardinalatum ab Innocentio VI. [6]

[1] Ottenthal, *Regul. Cancell.*: cfr. Vol. III, pag. 89, n. 56, § 52
[2] Baumgarten, l. c., pag. 105.
[3] *Arch. Vat.*, Armad. XV, caps. XI, n. 7, p. III.
[4] Ibi, 1344, Obl. T. 6, p. 218[t].
[5] Eubel, l. c., I, pag. 378.
[6] Balut., l. c., col. 341; Eubel, l. c., pag. 19.

149. *Amanerus de Moca*, discretus vir sacri palatii Auditor: [1] promotus ad episcopatum Burdegalen. anno 1347. [2]

150. *Petrus Alamandi*, discretus vir sacri palatii Auditor. [3]

151. *Bernardus Hugonis de Cardalliaco*, discretus vir sacri palatii Auditor. [4]

152. *Guittus de Campigio*, die 2 septembris 1349 iam defunctus. [5]

153. *Sancius Canal*, praepositus Aquen., anno 1347 spoliatus fuit. [6]

154. *Gibertus* seu *Eibertus Flaningi*, 11 oct. 1348 iam defunctus. [7]

155. *Iohannes Ricaldi*, quondam auditor sacri palatii, die 5 novembris 1348. [8]

156. *Heliotus de Narnia*, bone memorie die 2 sept. 1349. [9]

157. *Iohannes Audeberti*. [10]

158. *Guilelmus de Lenne*, decanus ipsius ecclesie, legum doctor; fit episcopus Cicestren. anno 1362 ab Innocentio VI. [11]

159. *Iohannes de Aurelia*, legum doctor; promotus ad ecclesiam Corfien. anno 1376. [12]

160. *Bernardus Folcault;* anno 1362 episcopus Oscen. [13]

161. *Iacobus de Mutis* (*Romena*), canonicus Ostien., legum doctor; anno 1363 episcopus Marsicanus. [14]

## § VII.

## Innocentius VI.

### (*18 decembris 1352 - 12 septembris 1562*).

Stephanus Alberti, doctor legum, electus die 18 decembris 1352, obiit die 12 septembris 1362. [15]

*Vice-Cancellarium* habuit Petrum de Pratis, Petrum de Monterucco. [16]

[1] *Arch. Vat.*, Armad. XV, caps. XI. n. 7, p. III.
[2] Eubel, l. c., pag. 155.
[3] *Arch. Vat.*, l. c.
[4] Ibi, l. c.
[5] Ibi, l. c.; 1349, R. C. 339, p. 31t.
[6] Ibi, 1347. - R. C. 325, p. 28t.
[7] Ibi, 1348, 11 oct. - R. C. 331, p. 25.
[8] Ibi, 1348, 5 nov. - R. C. 331, p. 26.
[9] Ibi, 1349, 2 sept. - R. C. 339, p. 32.
[10] Ibi, 1349, 2 sept. - R. C. 339, p. 32.
[11] Eubel, l. c., pag. 193.
[12] Idem, l. c., pag. 217.
[13] Idem, l. c., pag. 396.
[14] Idem, l. c., pag. 342.
[15] Balut., *Vitae Papar. Avenion., Vita Innocentii VI.*
[16] Baumgarten, l. c., pag. 107.

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Iohannes de Blaudiaco.

*Ad Episcopatum:* Ludovicus Tézart, Guilelmus de Lenne, Aimericus d'Hugues, Simon de Subdiria, Bernardus Folcaut, Petrus Corsini.

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

162. *Bernardus de Caulasone*, archidiaconus Elnen. [1]

163. *Gerardus de Podiofalconis.* [2]

164. *Thomas de Amantis.* [3]

165. *Petrus de Croseto.* [4]

166. *Aimericus (d'Hugues)*, iuris utriusque professor; anno 1361 episcopus Lodoven. [5]

167. *Petrus Corsini*, Fesulanus, decretorum doctor; anno 1362 episcopus Vulterran. [6]

168. *Petrus de Serlupis*, de Urbe, legum doctor; anno 1365 episcopus Tricaricen. [7]

169. *Pontius Barrerie.* [8]

170. *Symon de Subdiria* (alias *Suberia*), factus fuit ab Innocentio VI Cancellarius Sarisburensis, et anno 1361. episcopus Londonien. [9]

171. *Thomas*, frater praedicti Symonis, prout testatur Horbot, *decis. 6, de elect. in Novis*, cum praedicans legum doctorem et romanae Rotae Auditorem. [10]

172. *Ludovicus Tézart*, utriusque iuris professor; episcopus Baiocen. promotus anno 1360 ab Innocentio VI. [11]

173. *Nicolaus Brancatius*, canonicus Neapolitanus, legum doctor, quem anno 1367 Urbanus V promovit ad archiepiscopatum Baren. [12]

174. *Cerretanus de Cerretanis*, decretorum doctor; anno 1365 episcopus Cusentinus. [13]

[1] *Arch. Vat.*, 1354, 6 ian. (Urbis) *Instrum.*
[2] Ibi, 1356. - Cod. Cam. 378, p. 5.
[3] Ibi, 1361, 9 oct. Obl. T. 35, p. 8; G. 1, Ind. III, p. 66[1].
[4] Ibi, l. c., U. 5, Ind. IV, p. 85.
[5] Eubel, l. c., pag. 323.
[6] Idem, l. c., pag. 568.
[7] Idem, l. c., pag. 524
[8] *Arch. Vat.*, 1361, 9 oct. Obl. T. 35, p. 8; U. 5, Ind. III, p. 58[1].
[9] Ibi, 1361, 9 oct. - Obl. T. 35, p. 8; Balut., l. c., col. 1280; Eubel, l. c., pag. 324.
[10] Balut., l. c., col. 1280. *Vita Innocentii VI.*
[11] Eubel., l. c., I, pag. 127.
[12] Idem, l. c., pag. 132.
[13] Idem, l. c., pag. 229.

175. *Matthaeus*, praepositus S. Ambrosii Mediolanen., decretorum doctor; anno 1370 episcopus Olenen. [1]

176. *Marinus de Iudice*, canonicus Amalfitanus, decretorum doctor; anno 1375 episcopus Stabien. [2]

## § VIII.

### Urbanus V.

*(28 octobris 1362 - 19 decembris 1370).*

Gulielmus Grimoardi, decretorum doctor, monachus ordinis S. Benedicti, qui in iure legerat Avenione, creatus Papa die 28 octobris, ex hac vita migravit die 19 decembris 1370. [3]

*Vice-Cancellarium* habuit Petrum de Monterucco. [4]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Episcopatum:* Nicolaus Brancatius, Cerretanus de Cerretanis, Guilelmus de Durofort, Iacobus de Mutis (Romena), Bernardus de Bosqueto, Matthaeus, Marinus de Iudice, Petrus de Serlupis.

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

177. *Bonifacius de Vitalinis*, qui prothonotarius cum esset, confitetur tamen se esse et Auditorem causarum s. p. a. « de quorum numerus « sum unus ». [5] Probabiliter floruit sub Urbano V.

178. *Petrus Flandrini*, dioecesis Vivariensis,

179. *Guillelmus Noelleti*, archidiaconus Carnoten.,

180. *Petrus de Vernhio*, archidiaconus Rothomagen.,

« et isti tres erant etiam Auditores Sacri Palatii », omnes eodem anno 1376 cardinales creati a Gregorio XI. [6]

181. *Petrus de Sortenacho;* anno 1374 episcopus Vivarien., dein creatur cardinalis a Gregorio XI, anno 1375. [7]

[1] Eubel, l. c., pag. 393.
[2] Idem, l. c., pag. 487.
[3] Balut., *Vitae Papar. Avenion., Vita Urbani V.*
[4] Baumgarten, l. c., pag. 108.
[5] Ita ipse, in suo *Comment. in Clementin.*
[6] Balut., l. c., Vita Gregorii XI.
[7] Eubel, l. c., I, pag. 21 et 565; *Conclusiones* Bellemerae.

## § IX.

### Gregorius XI.

*(30 decembris 1370 - 27 martii 1378).*

Electus in Papam die 30 decembris 1370, « prout Domino pla-« cuit, die 27 mensis martii anni ... 1378 in pace quievit ». [1]

Vocabatur Petrus Rogerii; creatus cardinalis cum nondum attigisset decimum octavum annum suae aetatis, « totus ingeniosus et « aptus ac studio litterarum valde intentus, volensque in eis profi-« cere amplius, post promotionem suam ad statum huiusmodi, accer-« sitis sibi notabilibus Çlericis quos secum continue habuit, audiendo « et legendo circa legalem scientiam diutius insudavit, et adeo in « ipsa profecit, quod unus de profundioribus et sufficientioribus totius « orbis in ea fuit effectus. Demum se convertit ad Canones ... Circa « decisionem causarum diligenter institit, habuitque in ipsa tam iuris « tam facti experientiam tantam, quantam quicumque alius status « sui ... Nondum ... annum XLVII aetatis suae attigerat, quando eius « spiritus, ut pie creditur, ad superos evolavit ». [2]

Ex Avenione Romam cum curia revertitur.

Quamplura statuit de Rotae Auditoribus: praesertim eos ordinavit exemptos esse a iurisdictione cuiusvis tam ordinarii quam delegati iudicis, unius tantummodo linquens sub iurisdictione Camerarii in criminalibus. [2] Plura etiam decrevit de iudiciis perficiendis [3] ac ordinationem edidit, anno 1374 *Quamvis*, de Advocatis, procuratoribus et notariis palatii apostolici, quae legebatur quotannis in die aperitionis Rotae, altera ex Rotae constitutionibus. [4]

*Vice-Cancellarium* habuit Petrum de Monterucco, cardinalem. [5]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Petrus Flandrini, Guillelmus Noelleti, Petrus de Vernhio, Petrus de Sortenaco.

*Ad Episcopatum:* Garinus d'Arcey, Gulielmus de Gimiel, Thomas de Ammannatis, Iohannes de Aurelia, Iohannes cantor eccl. Patracen., Simon Pagani.

[1] Balut., *Vitae Papar. Avenion., Vita Gregorii XI.*
[2] Cfr. vol. III, pag. 89, n. 56.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, pag. 92, n. 37
[5] Baumgarten, l. c., pag. 108.

Inter alios, Eo sedente, floruerunt

CAPELLANI AUDITORES CAUSARUM S. P. A.

Magistri:

182. *Simon Pagani*, Florentinus, decretorum doctor; anno 1375 episcopous Vulterran.[1]

183. *Iohannes*, cantor ecclesiae Patracen., iuris utriusque professor; anno 1373, episcopus Rossanen.[2]

184. *Robertus de Stratonen.*

185. *Arnoldus Terreni.*

186. *Galhardus de Nova Ecclesia.*

187. *Iohannes de Dayroliis.*

188. *Nicolaus de Cremona.*

189. *Petrus Cambonis.*

190. *Aegidius Bellemera*, utriusque iuris doctor. – Plures de iuridicis materiis libros composuit, quos inter, celebres *Conclusiones* saepius a me in hoc opere citatas: hic vir profundae aciei mentis solidiorisque doctrinae ostenditur. – In magno occidentali schismate Clementem VII Antipapam sequutus est, a quo Fundi factus fuit Auditor contradictarum et dein Cancellariae illius Regens: qua talis regulas antipapalis Cancellariae composuit: has typis edidit Otthenthal, *Regulae Cancelleriae apost.*, etc., pag. 90.

191. *Bertrandus de Alano.*

192. *Iohannes de Amelia.*

193. *Gulielmus Horbort*, alemanus, qui catalogum istorum omnium Auditorum – demptis Simone Pagani et Iohanne – praeponit suis Rotae Decisionibus, vulgo appellatis: *Novae.*

## § X.

### URBANUS VI.

*(9 aprilis 1378 - 15 octobris 1389).*

Bartholomaeus Prignano, electus die 9 aprilis 1378, obiit anno 1389 die 15 octobris. Cum ipso incoepit magnum occidentis schisma quo per medium circiter soeculum dire Ecclesia vexata est.[3]

*Vice-Cancellarius* illi fuerunt Petrus et Raynulfus de Monterucco, Franciscus Pucci Moricotti (Prignano).[4]

[1] EUBEL, l. c., pag. 569.
Idem, l. c., pag. 435.
[3] MORONI, *Diz. di erud.*, v. Urbano VI.
[4] BAUMGARTEN, l. c., pag. 109-112.

Inter alios, Eo sedente, floruerunt, aut creati sunt

CAPELLANI AUDITORES S. P. A.

Magistri:

194. *Ricardus Scrop*, « utriusque iuris doctor, receptus in audi- « torem sacri palatii dies VII mensis Decembris » anno III. [1] « Die « XVIII aprilis (pontificatus Bonifacii VIIII anno X) iuravit officium « Notariatus ». [2]

195. *Iohannes Egidii*, « utriusque iuris doctor ... receptus in audi- « torem ... die XII mensis Decembris » anno III. – Promotus fuit in Auditorem contradictarum et denique creatus cardinalis ab Innocentio VII die 12 iunii 1405. [3]

196. *Iohannes de Lamola*, « utriusque iuris doctor ... receptus ... « die penultima mensis Ianuarii » anno V. [4]

197. *Antonius de Ponte*, « die X mensis Februarii fuit receptus « in auditorem sacri palatii magister Antonius de Ponte et iuravit » anno VI. [5]

198. *Andreas de Baret de Anglia*, « die XVII martii pontificatus « domini Urbani pape VI anno sexto fuit receptus magister Andreas « de Baret de Anglia in auditorem palacii et iuravit ». [6]

199. *Thomas de Ambrevilla* (alias *de Francia*), « die XVI Aprilis « anno proxime dicto fuit receptus magister Thomas de Ambrevilla, « alias de Francia, in auditorem palacii et iuravit ». [7]

200. *Iohannes de Mediolano*, « die VII mensis Maii anno VI « fuit receptus magister Iohannes de Mediolano in auditorem pa- « latii ». [8]

201. *Thomas de Walkyngton*, « die XVI maii anno VII ... fuit rece- « ptus Magister Thomas de Walkyngton in auditorem palatii et iu- « ravit ». [9]

202. *Iohannes de Dulmen*, « die XXIII mensis Maii ... anno VII fuit « receptus in auditorem palacii ». [10]

[1] ERLER, *Der Liber Cancellariae Apost. von Jahre 1380*, Leipzig, 1888, pag. 205.
[2] Idem, l. c.
[3] Idem, l. c.; EUBEL, l. c., pag. 26.
[4] ERLER, l. c.
[5] Idem.
[6] Idem.
[7] Idem.
[8] Idem.
[9] Idem; *Arch. Vat.*, 1385, oct. 31. - Obl. T. 48, p. 21.
[10] Idem, ibi, l. c.; *Arch. Vat.*, 1390. - 29, T. 1, p. 167t.

203. *Garinus d'Arcey*, legum doctor; anno 1371, ian. 8, episcopus Carnoten. [1]

204. *Gulielmus de Gimiel*, legum doctor; anno 1372, nov. 24, episcopus Carthaginen. [2]

205. *Thomas de Ammannatis*, legum doctor; anno 1374 episcopus Nimocien. [3]

206. *Iohannes Trefnant*, « die XVII Ianuarii Iohannes Trefnant, « decretorum doctor, receptus in auditorem sacri palatii »; episcopus Ereforden., anno 1391. [4]

207. *Iohannes de Gortenbeke*, « die XVIII Februarii ... anno VIII, « Iohannes de Gertenbeke, decretorum doctor, receptus fuit in audi- « torem sacri palatii ». [5]

208. *Ludovicus de Bonito*, « die IIII Decembris ... anno VIII, Ludo- « vicus de Bonito, decretorum doctor fuit receptus in auditorem « sacri palatii ». [6]

209. *Henricus de Aragonia*, auditor causarum palatii apostolici. [7]

210. *Nicolaus Borelli*, auditor sacri palatii. [8]

211. *Henricus Gobdarii* (alias *Goderban*), auditor sacri palatii, die 31 dec. 1390 recens defunctus. [9]

212. *Riccardus de Silvestris*, auditor causarum palatii. [10]

213. *Petrus Gastonis*, auditor causarum Palatii. [11]

## § XI.

1. – Die 20 septembris 1378 magnum occidentis schisma, electione pseudo-papae Clementis VII, exortum est, et ad annum usque 1429 (ceu superius innui) duravit. Incertum tunc temporis fuit quisnam ex electis in papam esset canonice electus, ita ut divus Antoninus christifidelibus regulam suggereret, unumquemque tuta conscientia illi ex electis adhaerere posse cui Episcopus adhaesisset (Moroni, *Diz. di erud.* v. *Scisma.*) Ita quidem factum est ut duo curiae habitae simul

[1] Eubel, l. c., pag. 173.
[2] Idem, l. c., pag. 175.
[3] Idem, l. c., pag. 385.
[4] Idem, l. c.; *Arch. Vat.*, 1389. - 29, To. 1, p. 23; - 1391, ian. 14, p. 214[t].
[5] Erler, l. c.
[6] Idem, l. c.
[7] *Arch. Vat.*, 1388. *Instr.*, 1385, 23, oct. p. 4[t].
[8] Ibi, 1388, 1 iunii. - Obl. T. 48, p. 66.
[9] Ibi, 1388, 13 iulii. - Obl. T. 48, p. 70; 1390, 31 decembr. t. 1, p. 202[t].
[10] Ibi, 1389. - 29, To. 1, p. 10.
[11] Ibi, 1389. - 29, To. 1, p. 23.

eodemque tempore fuerint, quarum unaquaeque suam habuit Rotam, suosque auditores.

2. – Exinde etiam factum est ut penes aliquos scriptores quamplures recenseantur Rotae Auditores, qui penes alios exulant: v. g. Franciscus de Conciaco, canonicus Carnoten., legum dector, quem Clemens VII fecit episcopum Gratianopolitanum anno 1380, uti adnotat *Eubel*, l. c., pag. 278, et Zabarella et tot alii.

3. – Ego vero, historiam legitimae Rotae condens, Rotam Papae, communiter canonice electi habiti, illustrem: quapropter Auditorum tantummodo nomina tradam quae in archivio Vaticani reperii, aut in Paparum legitimorum actis. Ideo sequatur

## § XII.

### Bonifacius IX.

*(anno 1389 - 1 octobris 1404).*

Schismate durante, Petrus Tomacelli, neapolitanus, creatus fuit Papa, anno 1389. Obiit anno 1404, die 1 octobris. [1]

Auditoribus Rotae aliquot privilegia concessit [2] ac iussit causas Auditorum et notariorum Rotae, vel contra eos, solis cardinalibus esse committendas. [3]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Franciscus Pucci Moricotti, Angelus de Accajoli. [4]

Inter alios, Eo sedente, floruerunt, aut creati sunt

### Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

214. *Iohannes Trevor* (*Trevaur*), utr. ius. doctor.; promotus ad ecclesiam Assaven. a Bonifacio IX anno 1394, oct. 21. [5]

215. *Iacobus de Kurdwanowo*, decretorum doctor; fit episcopus Plocen. anno 1396. [6]

216. *Antonius de Ponte*, decretorum doctor; promotus ad ecclesiam Sibenicen anno 1391. [7]

[1] Moroni, *Diz. di erud.* v. *Bonifacio IX*, et v. *Antipapa*.
[2] Vol. III, pag. 95, n. 58.
[3] Ibi, pag. 96, n. 59.
[4] Baumgarten, l. c., pag. 112-116.
[5] Eubel, l. c., pag. 114.
[6] Idem, l. c., pag. 423.
[7] Idem, l. c., pag. 473; *Arch. Vat.*, 1390. - 29, T. 1, p. 123[t].

217. *Iohannes de Borsnitz*, decretorum doctor; anno 1397 episcopus Lubucen. [1]

218. *Nicolaus de Vivianis de Genazano*, auditor sacri palatii. 1390. [2]

219. *Iohannes de Cambris*, quondam auditor caus. sac. palatii, 1391. [3]

220. *Petrus de Florentia*, auditor causarum palatii. 1391, iulii 19. [4]

221. *Branda de Castelione*, auditor sacri palatii; 1392, maii 13; promotus ad ecclesiam Sagonen. anno 1391. [5] Anno 1403, mittitur nuntius et collector in Ungariam. [6]

222. *Paulus de Dugnano*, capellanus et causarum palatii apostolici auditor, VI non. Martii anno VI. [7]

223. *Gulielmus de Cellino*, archipresbyter Forosempronien., capellanus et causarum palatii Auditor, mittitur nuncius et collector in Strigonien. et Colocen. provinciis. [8]

224. *Riccardus Iung*, auditor sacri palatii. [9]

225. *Bertrandus de Arvassano*, « die XII martii ... anno VIII, fuit « receptus in auditorem palatii dominus ... et iuravit officium in mani- « bus meis, B. Francisci ». [10]

226. *Leonardus de Sulmona*, « die VIII iunii ... anno X, fuit rece- « ptus in auditorem palatii apostolici magister Leonardus de Sulmona « et iuravit officium in manibus meis. B. Francisci ». [11]

227. *Iheronimus*, « die XIIII Maii ... anno XI, fuit receptus in audi- « torem palatii dominus Iheronimus, decretorum doctor, et iuravit in « manibus meis. B. Francisci ». [12]

228. *Bartolomeus de Prato*, « die ultima Februarii ... anno XII, fuit « receptus in auditorem sacri palatii magister Bartholomeus de « Prato, decretorum doctor, et iuravit dictum officium in manibus « meis. B. Francisci ». [13]

229. *Iohannes Gatschowe*, « die XXI Decembris ... anno XIII, fuit

[1] Idem, l. c., pag. 326.
[2] *Arch. Vat.*, 1390. - 29, T. 1, p. 214.
[3] Ibi, 1391, 18 martii. - 29, T. 1, p. 247.
[4] Ibi, 1391, 19 iulii. - 29, T. 1, p. 308[t].
[5] Ibi, 1392, 13 maii. - Obl. T. 48, p. 134[t]; EUBEL, l. c., pag. 450.
[6] Ibi, 33, T. 12, p. 199[t], 200
[7] Ibi, A. B. Bon. IX. A. IV, T. XI, p. 53.
[8] Ibi, 1393. - *Urbis*, 33, T. 12, p. 137.
[9] Ibi, 1395, martii 15. - Obl. T. 48, p. 180.
[10] ERLER, l. c.
[11] Idem.
[12] Idem.
[13] Idem.

« receptus in auditorem palatii magister Iohannes Gatschowe, doctor « decretorum, et iuravit officium in manibus meis. B. Francisci ». [1]

230. *Iohannellus Caraczolus*, « die XXII Ianuarii ... anno XIII, fuit « receptus in auditorem palatii apostolici magister Iohannellus Cara- « zolus, decretorum doctor, et iuravit officium in manibus meis. « B. Francisci ». Anno 1405 fit episcopus Frequentinus. – Erat neapolitanus. [2]

231. *Adam de Anglia*, « XXVI Aprilis ... anno XIII, fuit receptus in « auditorem palatii apostolici magister Adam de Anglia, doctor utrius- « que iuris, et iuravit officium in manibus meis. B. Francisci ». [3]

232. *Hermannus Dwerch*, « die XVIII Decembris ... fuit receptus « in auditorem palatii apostolici magister Hermannus Dwerch, et « iuravit in manibus meis. B. Francisci ». [4]

233. *Thomas de Cotrona*, « die XXII Decembris ... fuit receptus in « auditorem causarum palatii apostolici magister Thomas de Cotrona, « et iuravit more solito in manibus meis. B. Francisci ». [5]

234. *Iacobus Donadei*, episcopus Aquilen. anno 1400 electus ab antipapa Clemente VII, postea redit ad obedientiam Bonifacii IX anno 1401. [6]

## CAPUT VI.

### § I.

### Soeculo XV.

### Sacrae Romanae Rotae notae generales per soeculum XV.

1. – Anteacti soeculi convulsionibus schimatis adhuc furentibus, soeculum XV Rota ingreditur languescens: duo electi in Papam, duo curiae, duo Rotae erant. Penes legitimum Papam fuerunt qui ex hominum vitio homines hominumque res penitus esse delenda voluerint. Non item Papa: sapientissimo consilio quae bene ordinata erant servanda, falce autem malorum radicem deputandam fore decrevit.

2. – Ideo, schismate extincto, ut in posterum Rotae tribunali nonnisi homines undequaque commendabiles forent, aptae leges feruntur,

[1] ERLER, l. c.
[2] Idem; EUBEL, l. c., I, pag. 265.
[3] ERLER, l. c.
[4] Idem.
[5] Idem.
[6] EUBEL, l. c, I, pag. 99.

quibus eorum delectus et admissio perfecte perfici valerent: et finis eo adaequate consequitur, ut, ubi illius soeculi corrupti mores etiam Rotae corruptos indignosque homines dari superioribus auctoritatibus persuaserunt, tantae virtutis Auditores in Rota adfuerint qui, iure usi suo, factis electionibus restiterunt, exilium pati non dubitantes, potius quam inhabiles iuxta acceptas constitutiones admitterent.

3. – Auditorum coetus certo numero concluditur: stylus in Rota inter iudiciorum strepitus adhuc versandi postquam Auditores promoti fuissent ad episcopales ecclesias, apostolicis costitutionibus aboliri tentatur.

4. – Ita quidem ad perfectionem et tribunal et collegium adducta sunt. Papa primae commissionis causarum tuto quit vim ampliare: in collegio Auditorum, Decani officium et munia constabiliuntur, Camerarii munus perfecte geritur.

5. – In Auditores Rotae summi iurisconsulti assumuntur, quorum series hisce nominibus honoratur, videlicet, Geminiano Inghirami de Prato, Ludovico Romano, Nicolao Tudesco Abbate Panormitano, Antonio de Sancto Georgio, Phelino de Sandeis, Antonio Corsetti et tot aliis.

6. – Necesse igitur est a Martino V et deinceps chronologiae et eorum quae latarum legum observantiam spectant summopere satagere, in referendo quae uniuscuiusque Auditoris fuerunt. Novis datis legibus, novi styli orti sunt: nova propterea forma quae nova sunt enarrandi.

## § II.

## Innocentius VII.

### (*17 octobris 1404 – 6 novembris 1406*).

Cosmas Migliorati, quem prothonotarium fuisse constat, non autem itidem (saltem quot sum rimatus documentis) Capellanum Auditorem causarum s. p. a. – electus fuit die 17 octobris 1404; terram cum coelo commutavit anno 1406. [1]

*Vice-Cancellarium* gessit Angelus Accaioli. [2]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Ioannes Aegidii.

*Ad Episcopatum:* Ludovicus Interamnen.

[1] Eubel, l. c., I, pag. 25.

[2] Baumgarten, l. c., pag. 116.

Praeter alios, Eo sedente, floruerunt, vel ab Ipso creati sunt

CAPELLANI AUDITORES CAUSARUM S. A. P.

Magistri:

235. *Ludovicus*, clericus Interamnen., decretorum doctor, Capellanus et causarum palatii apostolici Auditor, quem idem Innocentius fecit episcopum Interamnen. [1]

236. *Thomas de Amelia.* « Die XX Decembris, pontificatus domini « Innocentii Pape VII anno primo, fuit receptus in Auditorem palatii « apostolici Thomas de Amelia, utriusque iuris doctor, et iuravit « officium in manibus meis. B. Francisci ». Anno 1419 episcopus Vigintimilien, promotus a Martino V. [2]

## § III.

## GREGORIUS XII.

*(30 novembris 1406–1409).*

Angelus Coriarius, venetus, electus die 30 nov. 1406, depositus a pontificatu anno 1409. [3]

*Vice-Cancellarium* habuit Angelum Accaioli. [4]

Praeter alios, Eo sedente, floruerunt, vel ab ipso creati sunt

CAPELLANI AUDITORES CAUSARUM S. P. A.

Magistri:

237. *Iacobus de Camplo,* anno 1407. [5] Num iste, Iacobus de Camplo quem Marianus de Cuccinis in praefatione ad *Decisiones Rote*, editae anno 1485 memorat una simul cum *Bonaguida Cremonen.*, *Thoma Fastolf*, *Iohanne de Molendino et Bernhardo de Bisgneto*, auctoribus decisionum *novarum* et *antiquarum?*

238. *Nicolaus Risteten,* anno 1409. [6]

239. *Henricus Westerholez,* anno 1409. [7]

[1] *Arch. Vat.*, A. B. Innoc. VII, t. 7, a. 2, p. 266[1].
[2] ERLER, cit. *Der liber Cancell.*; EUBEL, l. c., pag. 560.
[3] EUBEL, l. c., I, pag. 30 et 31.
[4] BAUMGARTEN, l. c., pag. 117.
[5] *Arch. Vat.*, 1407. - G. 12, t. 2, p. 20.
[6] Ibi, 1409. - 63, t. 85, p. 20.
[7] Ibi, 1409. - 63, t. 85, p. 68[1].

## § IV.

### Alexander V.

*(26 iunii 1409 – 3 maii 1410).*

Petrus Filargus electus die 26 mensis iunii anni 1409; obiit die 3 mensis maii anni 1410. [1]

Auditoribus Rotae antelationum privilegia in expectativis concessit, sed concessionis litteras expediri non fecit, morte praeventus. [2]

*Vice-Cancellarium*, habuit Iohannem de Bronhiaco. [3]

Praeter alios, Eo sedente, floruerunt, vel ab Ipso creati sunt

### Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

240. *Bartholomaeus de Urbeveteri;* anno 1410, maii 17, recens assumptus in clericum Camerae, auditor causarum Palatii. [4]

241. *Hermannus Dwerg*, anno 1410, 28 ian. praedicatur Auditor causarum palatii Alexandri V, deinde prothonotarius. [5]

242. *Iohannes Naso*, qui a Martino V anno 1418 factus fuit episcopus Curien. [6]

## § V.

### Iohannes XXIII.

*(17 maii 1410–1415).*

Baldassar Cossa, electus die 17 mensis maii 1410; privatus pontificatu anno 1415. [7]

Bullam dedit Rotae Auditoribus « *Rationi congruit* », sub dato *Bononiae, 25 maii 1410*, ne super voluntate et concessione Alexandri V ac de earumdem viribus imposterum haesitari valeret. [8]

*Vice-Cancellarium* habuit Iohannem de Bronhiaco. [9]

[1] Eubel, l. c., I, pag. 31.
[2] Vol. III, pag. 96-97, n. 60; pag. 120 ssq., n. 69; pag. 124 ssq.; n. 71 etc.
[3] Baumgarten, l. c., pag. 119.
[4] *Arch. Vat.*, 1410, 17 maii, 29, t. 2, p. 41.
[5] Ibi, 1410, 28 ian., F. 56, Obl, p. 21, p. 32[1].
[6] Eubel, l. c., I, pag. 228.
[7] Idem, l. c., I, pag. 31.
[8] Vol. III, pag. 96-97, n. 60.
[9] Baumgarten, l. c., pag. 119.

Praeter alios, Eo sedente floruerunt, vel ab Ipso creati sunt

CAPELLANI AUDITORES CAUSARUM S. P. A.

Magistri:

243. *Nicolaus de Trasaquis,* anno 1410, dioec. Marsican. « Auditor causarum palatii, seu Auditor Rotae ». [1]

244. *Voldenus de Mitra,* anno 1414, praepositus Agaten. [2]

245. *Iohannes de Opiziis* (seu *Obiziis*, seu *Obicis*) vir doctissimus, Auditor causarum s. p. a., anno 1416, legatus Concilii Constantien.[3] anno 1424, nuntius in Anglia. [4] – Anno 1437, Papa Philippo Duci Borgundiae quaeritur de captione facta in eius territorio in personam Iohannis de Obizis, Auditoris palatii apostolici. [5] - Anno 1445, adhuc nuntius apostolicus. [6]

246. *Thomas de Berengeriis,* qui a Martino V promotus fuit ad ecclesiam Caputaquen. anno 1418. [7]

## § VI.

## MARTINUS V.

*(11 nov. 1417 – 20 febr. 1431).* [8]

Otho, seu Odo Columna, italus, romanus, in minoribus cum esset fuisse Auditorem Rotae perhibet Cantalmaius in sua Syntaxi Auditorum Rotae. [9] Item, et cardinalis De Luca [10] qui tamen in verbo Cantalmaii probabillime iuravit. Hoc adiunctum vitae Othonis Ciacconium fugiit, neque hodie quovis archivii rotalis documento probatur. Quinimmo, quum Hyppolitus Aldobrandini, olim Rotae Auditor, in Papam fuit electus nomenque sibi sumpsit Clementis VIII, Poenia, Auditor Rotae, in suo Diario [11] rem narrans, animadvertit, « communi « consensu vulgi receptum fuisse Romae, nullum umquam Rotae « Auditorem fuisse electum in Papam ». Haec Poenia annis 161

[1] *Arch. Vat.,* anno 1410, 29, t. 2, p. 48[t].
[2] Ibi, anno 1414, T. 56, Obl. p. 41[t].
[3] Ibi, Arm. XV, caps. X, n. 8, p. 6.
[4] Ibi, 1424. - M. 5, t. 12, p. 43[t] 47, 53, t. 8, p. 132.
[5] Ibi, 1437. - M. 5, t. 12, p. 162.
[6] Ibi, 1445. - E. 4, t. 19, p. 1.
[7] EUBEL, ibi, t. II, pag. 171.
[8] Idem, l. c.
[9] I, VI, XI.
[10] *De relat. roman. Curiae,* disc. 32.
[11] *Arch. Rot.,* « Extractum Diarii Poenia », n. 31.

post Martinum V scribebat, et dum ibi ipse fatetur se putare aliquot Rotae Auditores ex cardinalibus fuisse creatos Pontifices « et inter « alios Innocentius IV, quem capellanum fuisse memoriae traditum « est », de Martino V silet omnino. Quomodo autem Romae et in Rota communi consensu recipi potuerit tam brevi annorum spatio nullum umquam Auditorem Rotae fuisse electum in Papam, si Otho Columna, vir romanus et germen tam gloriosae gentis, fuisset revera Rotae Auditor, ego non video. Eo vel magis quod Martinus V admodum adlaboraverat pro reordinatione Rotae, illasque dederat constitutiones quas quotidie Rota servabat et quarum observantiam quotannis in aperitione tribunalis solemniter iurabat.

Utcumque: inter praecipuos Legislatores Rotae Martinus V est accensendus; nam anno 1418 edidit Constitutionem: *In apostolicae*[1] de qua fusius in I huius operis parte disserui: anno 1422 Constitutionem dedit *Romani Pontificis*[2] de qua etiam ibi pluries scripsi, et Auditoribus ius dedit in hanc constitutionem adnotationes facere[3] quas benigne recepit et ideo, per litteras testimoniales Vice-Cancellarii sub data 24 martii 1425[4] « sententias et poenas in eisdem « Constitutionibus seu Ordinationibus contentas, quantum ipsos do- « minos Auditores praesentes et futuros et eorum personas concer- « nere seu tangere noscuntur, in totum ex certa scientia, ut asserunt, « sustulit, cassavit et revocavit ». – Rotale tribunal et collegium compluribus privilegiis amplissime cumulavit.[5] – Obiit die 20 februarii 1431.[6]

*Vice-Cancellarium*, successive gesserunt Iohannes de Bronliaco, Iohannes de Rupescissa, cardinales.[7]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Iulianus de Cesarinis.

*Ad Episcopatum:* Thomas de Berengeriis, Iohannes Naso, Iohannes Gundisalvi, Iohannes de Fabrica, Martialis Former, Gulielmus Aragonus, Thomas de Amelia.

[1] Vol. III, pag. 98, n. 61.
[2] Ibi, pag. 107, n. 63.
[3] Ibi, pag. 116, n. 64.
[4] Ibi, pag. 117, n. 65.
[5] Ibi, pag. 121, 125, capov. *Et subsequenter.*
[6] Eubel, l. c., I, pag. 32.
[7] *Arch. Rot. Admissiones. Martino V.*

Praeter alios, Eo sedente, floruerunt vel ab Eo creati sunt

CAPELLANI AUDITORES CAUSARUM S. P. A.

Magistri:

247. *Iulianus de Cesarinis*, promotus ad cardinalatum anno 1418. [1]

248. *Bartholomaeus de Bonitis*, Urbevetan. anno 1417. [2]

249. *Federicus Deys*, anno 1417. [3]

250. *Chirinus Neveling*, recipitur in Auditorem palatii die 28 febr. 1418. [4]

251. *Geminianus de Ingeramis de Prato*, receptus anno 1418 [5] iuramentum praestat die 11 aprilis 1419. [6] Die 8 decembris ordinatus est presbyter a Gentile, episcopo Suessano, in civitate Mantuae. [7] – In documentis archivii rotalis, Geminianus prima vice apparet in *Inventario Capellae* anni 1430-1431. [8] Anno 1434, die vero « VI kal. « nov. . . . . fit episcopus Tudertinus ». [9] Huius autem Geminiani promotionis memoria non extat in rotali archivio: penes hoc tamen asservatur authenticum exemplar codicilli quo Geminianus, anno 1443, Auditoribus Rotae legat quinque volumina sui *Repertorii in quinque libr. Decretalium*. Hoc documentum tradit, Geminianum fuisse « decre- « torum doctorem, praepositum ecclesiae Pistorien. et Dominorum « Auditorum *Decanum* », qui Prati fundaverat oratorium S. Hieronimi apud quod possidebat copiosam bibliothecam. – Pius II in suo *Rotulo* [10] anni 1458 aut 1459 Geminianum non Decanum, neque episcopum memorat, sed eum collocans immediate post Iohannem Didaci, Decanum, eum vocat notarium apostolicae sedis. [11] – Cum Geminiano incipit series chronologica Decanorum Rotae quam ex documentis quae mihi obvia facta sunt conficere potui, quamque trado in I huius operis parte sub *cap. III. De Decano*.

252. *Martinus Gallus*, decanus Caurien. recipitur in Auditorem palatii, die 4 dec. 1418. [12]

[1] EUBEL, l. c., pag, 33.
[2] *Arch. Vat.*, M. 5, t. 5, p. 9[t]; 53, T. 13, p. 157.
[3] Ibi, 1417, 29, t. 4, p. 1.
[4] Ibi, 1418, 29, t. 3, p. 45[t].
[5] *Arch. Vat.*, 1418, 29, t. 3, p. 129[t].
[6] Ibi, 1419, 29, t. 3, p. 133.
[7] Ibi, 1418, 4 dec. 29, t. 3, p. 129[t].
[8] Vol. III, pag. 118, n. 66.
[9] *Arch. Vat.*, 1434, merc. VI, kal. nov., Obl. T. 65, p. 15.
[10] Vol. III, pag. 159-160, n. 91.
[11] Ibi, l. c.
[12] *Arch. Vat.*, 29, t. 3, p. 56, 1418, 4 dec.

253. *Iohannes Andreae de Bononia*, recipitur in Auditorem palatii 4 ian. 1419. [1]

254. *Iohannes Gundisalvi* (alias *Godisalvus*) recipitur in Auditorem palatii 3 april. 1419. [2] Anno autem 1426 promotus fuit ad ecclesiam Gadicen. Erat hispalensis et decretorum doctor. [3] Mansit in Rota Locumtenens. [4]

255. *Bertoldus de Wildunghey*, decretorum doctor, s. p. a. Auditor. 12 ian. 1420. [5]

256. – *Nicolaus*, Auditor causarum palatii, [6] (cuius penes archivium rotale nullum extat hodie documentum) siculus, familia Tudescorum oriundus: Senis ius canonicum docuit. Electus in Abbatem Monacensem, ex Abbate factus fuit archiepiscopus Panormitanus (unde illi vulgo *Panormitanus* cognomen fuit) et deinde cardinalis. [7] Interfuit cum Ludovico Pontano Basileensi Concilio, ubi omnibus admirationi fuit, uti tradit Aeneas Silvius. [8]

257. *Bartholomaeus Guiscardi*, Auditor causarum palatii. [9]

258. *Iohannes de Mella*, Auditor causarum palatii; [10] decanus Caurien... iuramentum praestat, 30 ian. 1423. [11]

259. *Iohannes de Fabrica*, legum doctor. [12] In archivio rotali non extat nisi una cedula Vice-Cancellarii qua Auditores Rotae invitantur ad publicas Iohannis disputationes, et est primum documentum libri *Admissionum*. Et data caret. Anno 1423 « Io. de Fabreca ele- « ctus (fuit) Lascuren ». [13]

260. *Iohannes de Tomariis*, Auditor caus. pal. [14] Anno 1425 destinatus fuit ad Regem Franciae [15] et postea factus fuit Locumtenens in civitate Urbevetana et Tudertina. [16]

261. *Artinigus Molitoris*, causarum sac. pal. aplici, Auditor. [17]

[1] *Arch. Vat.*, 29, t. 3, p. 56[t], 1419, 4 ian.
[2] Ibi, 29, t. 3, p. 132, 1419, 3 april.; R. C. 591, p. 29[t] 1425.
[3] Eubel, l. c., t. I, pag. 268.
[4] *Arch. Vat.*, 29. t. 11, p. 66[t], anno 1427.
[5] Ibi, Obl. t. 58, p. 96[t].
[6] Ibi, M. 5, t. 6, p. 294[t], anno 1421.
[7] Valent Forster, *Historia iuris civilis*.
[8] Idem, l. c.
[9] *Arch. Vat.*, M. 5, t. 11 p. 78, 1421.
[10] Ibi, M. 5, t. 7, p. 172[t], 1422.
[11] Ibi, M. 5, 29, t. 3, p. 157[t], 1423, 30 ian.
[12] Vol. III, pag. 119, n. 67.
[13] *Arch. Vat.*, Flores, *España sagr.*, t. 22, p. 332, anno 1423.
[14] Ibi, M. 5, t. 7, p. 236[t], anno 1423.
[15] Ibi, R. C. 591, p. 52, anno 1425.
[16] Ibi, M. 5, t. 12, p. 37.
[17] Ibi, R. C. 590, p. 67, anno 1424.

262. *Conradus Canofor*, Auditor causarum palatii. [1]

263. *Michael Molha*, Auditor causarum palatii. [2]

264. *Petrus Nardi*. In documentis rotalis archivii huius Auditoris nomen invenitur in sumptu informe in papyro precum quas Auditores Martino V dederunt ut aliqua mutarentur in bulla anni 1425 quae Rotae et Auditoribus praeiudicio erant. [3] Cum *Monitorium* cardinalis Vice-Cancellarii ex quo Auditorum preces exauditae ostenduntur, sit sub data 14 maii 1425, [4] ideo P. Nardi ad annum 1424 vel 1425 est collocandus in serie chronologica Auditorum. Illius autem nomen Petrus erat, uti ex documentis archivii Vaticani. [5]

265. *Iohannes Stalderman*, [6] aut Scallerman, Auditor sacri palatii. [7]

266. *Conzo de Zuola*, Auditor sacri palatii. [8]

267. *Martialis*, Auditor sacri palatii. [9] Auditor Rotae palatii aplici. [10] Anno 1427 promotus fuit ad ecclesiam Ebriocen.: cognominabatur Former. [11]

268. *Iulianus*, Auditor palatii. [12]

269. *Alfonsus Segura*, Auditor palatii. [13] Anno 1447, mense aprili, die vero 13, Thesaurarius Capellae, Gulielmus de Fondera, in ipsius Capellae inventario adnotat: « Constitutiones Rote habet « d. Alfonsus Segura, Decanus. . . . . Libri Repertorii Geminiani « de Prato habent dd. Alfonsus Segura et Simon Eps. Ausaren.... « dicti libri d. Geminiani fuerunt restituti Capelle duo per Segura « et duo per Ausaren. et sic sunt 4 volumina ». [14] Itaque certum est Alfonsum fuisse Decanum post Geminianum, uti exposui in *Cap. III, De Decano* in prima huius mei operis parte. Anno 1449, secundo idus iulii, « Alfonsus Segura Decanus Toletanus et Auditor Rote, « fit episcopus Mindonien. ». [15]

[1] *Arch. Vat.*, M. 5, t. 8, p. 182[t].
[2] Ibi, 29, T. 9, p. 2, anno 1425.
[3] Vol. III, pag. 116, n. 64.
[4] Ibi, pag. 117, n. 65.
[5] *Arch. Vat.*, E. 4, to. 14, p. 129, anno 1434; E. 4, t. 6. p. 99[t], anno 1435.
[6] Ibi, E. p. 70[t], anno 1425.
[7] Ibi, 29, T. 3, p. 107[t], anno 1428.
[8] Ibi, 29, T. 11, p. 8, anno 1426.
[9] Ibi, 29, T. 3, p. 186[t].
[10] Ibi, R. C., 591, p. 86[t].
[11] Eubel, l. c., I, pag. 244.
[12] *Arch. Vat.*, M. 5, t. 12, p. 45, anno 1427.
[13] Ibi, 29, T. 11, p. 130[t].
[14] Vol. III, pag. 129-130, n. 75.
[15] *Arch. Vat.*, Obl., T. 72, p. 37[t], T. 75, p. 36[t], anno 1449.

270. *Iohannes Walling*, Auditor Rotae. [1] Anno 1430 Thesaurarius Rotae. [2] Quamvis Iohannes Walling vixerit etiam sub Pio II, [3] numquam tamen decanatu potitus est, isque sedit post Iohannem Didaci de Coca, Decanum, utique Iohanne iuniorem. [4]

271. *Rodulphus*, seu *Radulphus*, *Rolandi*, Auditor palatii. [5] Anno 1434 fuit promotus ad ecclesiam Trecoren. [6]

272. *Iohannes de Palamai* seu *Polomario*, seu (verius) *de Palomar*, Auditor causarum palatii aplici. [7] Archivio manet cedula precum Regis Aragoniae qua idem Rex petit ut Martinus V cum Iohanne de Palomar decretorum doctore, canc° Gerunden. ... dispenset super infecto triennio lecturae in studio generali. [8]

273. *Gulielmus Aragonus*, qui promotus fuit ad ecclesiam Aurasicen. a Martino V anno 1430. [9]

274. *Ludovicus Pontanus*, seu *de Urbe*, seu *Romanus*, Auditor palatii. [10] Anno 1435, Ludovicus qui vocatus fuerat ad legendum Senis, evocatur ad curiam. [11] – Concilio Basileensi interfuit, et Basileae moritur peste abpreptus et ibi apud Carthusianos sepultus est anno 1439. [12] Huius doctissimi Auditoris archivio rotali manet « consilium authenticum Ludovici Pontani Romani S. P. A. Auditoris « cum approbationibus plurium iurisconsultorum in pergamena ». [13] De privilegiis Auditorum Rotae disserit Ludovicus qui inibi sese sua ipsa manu signat his verbis: « Et ita dice[n]du[m] videtur michi Lodovico « po[n]tano romano iuris utriusque doctori mini[m]o et palatii ap[o]s]t[o]lici auditori i[n]dignio et i[de]o me subscripsi et sigillavi ».

[1] *Arch. Vat.*, R. C. 593, p. 91t.
[2] Vol. III, pag. 118, n. 66.
[3] Ibi, pag. 159-160, n. 91.
[4] Ibi, l. c.
[5] *Arch. Vat.*, 29, T. 11, p. 235, anno 1429.
[6] Ibi, Obl., T. 65, n. 13t, 1434 lunae 6 sept.; M. 5. t. 12, p. 258, anno 1435.
[7] Ibi, Obl., T. 64, p. 90; 1431, 26 ian.; 29, T. 16, p. 181t, anno 1432; E. 4, t. 7, p. 41t.
[8] Vol. III, pag. 120, n. 68.
[9] Eubel, l. c., I, pag. 120.
[10] *Arch. Vat.*, 1431. M. 5, t. 12 p. 236t.
[11] Ibi, E. 4, t. 12, pag. 105.
[12] Forster, *Historia iuris civilis.*
[13] *Arch. Rot.*, *Privilegia*, tom. I, Varia, n. LIV.

## § VII.

### Eugenius IV.

*(3 martii 1431 - 23 februarii 1447).*

Gabriel Condulmerius, venetus, pontificatum adeptus est die 23 martii anni 1431: obiit anno 1447, die 23 februarii. [1]

Auditoribus Rotae privilegia quae, ob aliis a Papa vel apostolica sede concessas easdem gratias, nutare vel potius desiisse dicebantur, denuo largitus est et confirmavit, litteris: *Ad supreme dignitatis. – Provisionis nostre. – A superno.* [2] Eisdem tamen, satagentibus et consilio Ludovici romani [3] et apertiori indiciorum collegialitatis demonstratione ostendere sibi collegialitatem inesse, ideoque istius iura sibi competere, solemnem directam collegialitatis sanctionem non concessit. [4]

*Vice-Cancellarium*, successive gesserunt cardinales Iohannes de Rupescissa et Franciscus Condulmerius. [5]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum*, Iohannes de Carvajal.

*Ad Episcopatum*, Radulphus Rolandi; Geminianus de Ingeramis; Baptista de Roma; Robertus de Cavalcantibus; Iohannes de Carvajal; Simon de Valle; Paulus de Sanctafide.

Praeter alios, Eo sedente, creati sunt, vel floruerunt

Capellani Auditores causarum s. p. a.

Magistri:

275. *Petrus Peregrini.* Nomen huius Auditoris in documentis archivii Rotae reperitur in Rotulo, seu Mandato de providendo per Motumproprium, Nicolai V. [6] Inibi iacet inter Alphonsum Segura et Franciscum Crivelli (vel, uti in dicto Rotulo legitur, Cruilles) quem sequitur Petrus Martini de Caveis Rubeis, qui certe electus fuit Auditor anno secundo Eugenii IV. Cum igitur Crivelli, qui praecedit Petrum Martini de Caveis Rubeis, creatus fuerit Auditor anno I Eugenii, cumque de Petro Peregrini nil sub Eugenio IV conservetur

[1] *Arch. Rot., Admissiones, Eugenio IV;* Eubel, l. c., II, pag. 7.
[2] Vol. III, pag. 120 ssq. nn. 69, 70, 71.
[3] *Arch. Rot., Privilegia,* n. LIV.
[4] Vide in I operis parte caput *De Collegio rotali.*
[5] *Arch. Rot., Admissiones, Eugenio IV.*
[6] Vol. III, pag. 132-133, n. 78.

in *Admissiones*, censeo illum electum fuisse ab Eugenio primis mensibus pontificatus. In *Arch. Vat.*, indigitatur in *Schede Garampi* praecise sub anno 1431. [1]

276. *Antonius de Sancto Vito*, utriusque iuris doctor, super infecto triennio lecturae in publico studio petiit et obtinuit dispensationem *anno primo*, scilicet vel 1431, vel initio insequentis anni 1432. [2] In *Libris rat. Cap.* hoc nomen non occurrit umquam. Anno 1432 « Antonius de S. Avito, Auditor Palatii, missus fuit a Pontifice ad « Concilium Basileae ». [3]

277. *Franciscus Crivelli*, seu *Cruilles*, Valentinus, iuris utriusque doctor, supplicat secum dispensari eo quod in publico Studio duorum tantum et non trium annorum per spatium legerit, quorum unius anni spatio legerat in Studio Paduano. [4] - Nicolaus V eum memorat in suo Mandato de providendo per Motumproprium sub nomine *Cruilles*, uti saepius in documentis archivii Vaticani [5]

278. *Petrus Martini de Caveis Rubeis*, decretorum doctor, Regens cathedram in iure Canonico in Studio Salamantino, Clericus dioeceseos Burgen., electus anno II Eugenii IV, die 18 decembris illius secundi anni pontificatus Eugenii petiit se dispensari a 200 florenis, quorum non possidebat « ultra quadraginta ». [6] - *Libri rat. Cap. ant.* eum memorant hinc ab anno 1439 sub die mercurii 18 martii - eum praedicant Decanum sub anno 1451, et tandem anno 1456 eum vocant Prothonotarium. [7] - Anno 1443 praesens erat Senis cum Gemnianus legavit Rotae quinque volumina sui *Repertorii*. [8] - Romae obiit et sepultus fuit in ecclesia S. Iacobi de Monserrato, uti probat lapis sepulchralis adhuc existens. [9]

279. *Iohannes de Candaco*, seu *Cameraco*. Die 21 decembris 1433 locum habere debuissent repetitiones huius electi Auditoris. Ast Mandatum pro illius admissione ad examen, utrum executionem nactum sit, nescitur. Nam Auditores reperierant complura « in quibus deficit

[1] *Arch Vat.*, 1431, 29, t. 16, p. 147[t].
[2] *Arch. Rot., Admissiones, Eug. IV*, n. 1.
[3] *Arch. Vat.*, 1432, 29, t. 17, p. 50.
[4] *Arch. Rot., Admissiones, Eug. IV*, n. 2.
[5] Vol. III, pag. 132-133, n. 78; *Arch. Vat.*, 29, t. 16, p. 148, an. 1431; 29, t. 16, p. 248, an. 1432.
[6] *Arch. Rot., Admissiones, Eug. IV*, n. 3.
[7] *Lib. rat. Cap. ant.* I, Thesaur. Gaspare de Theremo: « 7 maii 1456.... in « causa Zuerinen-Sinden: Bonorum. pro absolutione. . . . ab Hermano de Rede, « Notario d. Prothonotarii de Caveis Rubeis ».
[8] *Arch. Rot., Inventar. et testam.*, part. II, n. 1.
[9] In sacristia illius ecclesiae.

« Iohannes de Candaco, quae sunt requisita in quocumque recipiendo « in Auditorem, quae non sunt probata, nec iustificata per eum ». Inter ea ibi haec adnotantur: 1° quia non est doctoratus in Studio generali; 2° quia non probat se esse doctorem famosum; 3° quia non probat se legisse per triennium; 4° quia non probat se de legitimo matrimonio natum; 5° quia non probat se habere 200 florenos. « Alia requisita satis sufficienter probat ». Super iis omnibus, testatur Regens Cancellariae, Papam dispensationem impertiisse « assi- « stente ibidem r. p. d. Iohanne Olomella Prothonotario ».[1] Sed ceteris rotalis archivii documentis non probatur Magistrum Iohannem de chameracho (*ibi*) fuisse in Rota admissum reipsa; et nomen illius a *Libris rationum Capelle antiquis* exulat omnino.

280. *Iohannes Lohier*, vel *Rochier*, memoratur sub anno 1439 in *Libris rat. Capp. antiquis* - anno 1443 inter Auditores, coram quibus Geminianus de Prato Codicillum fecit, primus est post Locumtenentem Baptistam de Roma. Ast in documentis archivii Vaticani sub cognomine *Rochier* occurrit hinc ab anno 1433.[2]

281. *Iohannes de Palena*, Auditor Palatii, anno 1433.[3]

282. *Guillelmus Bont*, Auditor Palatii, anno 1435.[4] - In documentis rotalis archivii occurrit in *Libris rationum Capp. antiquis* anno 1447, primo pontificatus Nicolai V. - Anno 1441 « Orator Pontificis ad « Iohannem, Britanniae Ducem ». - Erat Decanus Lovanien.[5]

283. *Robertus de Cavalcantibus*, Decretorum doctor, Canonicus Florentinus, mense octobris anni IV Eugenii obtinuit dispensationem super 200 florenis quibus carebat.[6] - Roberti nomen occurrit in *Libr. rat. Cap. ant.* prima et ultima vice sub die 6 septembris 1439. – Anno insequenti, mense aprili V kal. maii « Robertus de Cavalcantibus « fit Episcopus Vulterran ».[7]

284. *Petrus Corserii*, seu *de Corseriis*, Decretorum doctor, petit super pluribus secum dispensari: nam Auditores eum recipere nolebant, quia etsi legisset in Studio generali per 6 annos antequam doctor fuisset renunciatus, post doctoratum tamen non legerat, et titulus doctoralis ei Bononiae concessus fuerat « per ministerium Dñi Vice- « Cancellarii, non tamen sub Cancellario Studii generalis ». Obtinuit

[1] *Arch. Rot., Admissiones, Eug. IV*, n. 4.
[2] Ibi, *Invent. et testam.*, p. II, n. 1; *Arch. Vat.*, 29, t. 17, p. 141[t].
[3] *Arch. Vat.*, 1433, 29, t. 17, p. 111[t].
[4] Ibi, 1435, 29, t. 20, p. 181.
[5] Ibi, 1441, 53, t. 13, p. 21.
[6] *Arch. Rot., Admissiones, Eug. IV*, n. 5.
[7] *Arch. Vat.*, 1440, Obl. t. 65, p. 52.

petita, et gratia illi concessa fuit Bononiae, mense aprili, anno Eugenii sexto: « Concessum ut petitur in presentia domini nostri pape: Io. « de Mella. Datum Bononiae, undecimo kalendas maii anno sexto ».[1]

285. *Iohannes de Carvajal*, Auditor Palatii Apostolici anno 1438.[2] In documentis rotalis archivii paret anno 1439, et 1440 in *Lib. rat. Cap. ant.* - Anno 1443 fuit promotus ad ecclesiam Camien.[3] - « Pro- « motione diei 16 dec. 1446. . . Iohannes de Carvajal, electus Pla- « centinus (Plasencia) Card. Diac. S. Angeli, dein Episcopus Portuen. ».[4] Eubel - sub die 11 aug. 1446 eum describit Camerae Apostolicae Auditorem.[5] - Bernino eum magnis laudibus extollit, dicitque cardinalem, Romae mortuum et in Ecclesia S. Marcelli sepultum:[6] quod tamen non credo, cum in dicta ecclesia illius sepulchrum hodie non inveniatur, et Patres Servitae qui inibi inserviunt dixerint mihi sciscitanti, in ecclesiae archivio nullam huius sepulturae memoriam existere.

286. *Baptista de Roma*, seu *de Romanis*, Auditor Palatii anno 1438, quo fit episcopus Theatinus.[7] - In documentis rotalis archivii illius nomen occurrit prima vice sub anno 1439 in *Libr. rat. Cap. ant.* Anno 1443 die 9 septembris, Senis, cum Geminianus codicillum condidit, aderat adhuc episcopus Theatinus.[8] - « Postea irritata fuit « provisio Ecclesiae Theatinae facta Baptistae, causarum Palatii Apo- « stolici Auditori, qui factus fuit Notarius Sedis Apostolicae *cum « facultate retinendi auditoratum* ».[9]

287. *Symon de Valle*, in antiquioribus hodierni archivii monimentis hic Auditor apparet prima vice sub anno 1439 in *Lib. rat. Cap. ant.* - Anno autem 1441, ipse deputatus fuit ab Auditoribus Thesaurarius ipsorum.[10] - Anno 1443 Senis aderat cum Geminianus codicillum fecit.[11] - Anno vero 1445, die 9 iunii, electus fuit episcopus Ausaren:[12] et in *Admiss.* habemus « Mandatum Francisci Condulmerii, « Vicecancellarii vive vocis oraculo Eugenii IV, ut admittatur Symon « Episc. Ausaren. in locum unius ex Auditoribus quem obtinebat

[1] *Arch. Rot., Admiss. Eug. IV,* n. 6; *Arch. Vat.,* R. C., 627, p. 11.
[2] *Arch. Vat.,* R. C., 612, p. 144[t]; 616, p. 124; 618, p. 157; 620, p. 175; 622, p. 142.
[3] Ibi, anno 1443, E. 4, t. 8, p. 160, 161, 1, 2[t].
[4] Eubel, l. c., vol. II, p. 9; *Arch. Vat.,* 53, t. 13, p. 168.
[5] Idem, l. c., p. 239.
[6] Bernino, *La S. Rota*, pag. 304.
[7] *Arch. Vat.*, E. 4, t. 7, p. 282[t].
[8] *Arch. Rot., Invent. et testam.,* part. II, n. 1.
[9] *Arch. Vat.,* Obl, t. 65, p. 44; 53, t. 13, p. 318[t].
[10] Vol. III, pag. 129, n. 74.
[11] *Arch. Rot., Invent. et testam.,* part. II, n. 1.
[12] Eubel, l. c., t. II, pag. 87.

« antequam suam Ecclesiam repeteret ».[1] – Canonicus Zagabrien., uti asserit Eubel, et quantum sciam, unus est Auditor post Martinum V, qui, factus episcopus et suam repetitus ecclesiam, iterum Rotam ingressus fuerit.

288. *Paulus de Sanctafide*, Thesaurarius Capellae anno 1439 - mense sept. et oct. anno 1440 « abfuit Venetiis cum Domino Came- « rario »;[2] - die 9 sept. 1943 Senis aderat quum instrumentum codicilli Geminiani de Prato celebratum est:[3] - eodem anno missus fuit ad Regem Aragonensem; - denique anno 1447 « Paulus de Sanctafide, « Canonicus Burdegalen. et Auditor Sacri Palatii, fit Episcopus Syra- « cusanus ».[4]

289. *Laurentius*. – Occurrit in *Libris rat. Capel. antiquis* sub anno 1439.

290. *Germanus de Valle*. Occurrit in *Libris rat. Capel. antiquis* sub annis 1439 et 1440.

291. *Iohannes Didaci de Coca*. « Decretorum doctor, Acolytus « atque Abas de Cernatos in Eccl. Burgen. », qui « per nonnulla « tempora in iure canonico publice legit in Studio Salamantino » et tandem iudex fuit in dioec. Burgen., postea vero per multos annos Romae commoratus, supplicat et Florentiae obtinet anno x pontificatus Eugenii IV, dispensationem super infecto triennio lecturae in publico Studio.[5] – Illius mentio fit etiam in *Lib. rat. Capp. ant.* prima vice die 27 iunii 1441. - Senis aderat anno 1443; - anno 1440, Thesaurarius Capellae.[6] - Pius II, in Mandato de admittendo Iohanne de Cesarinis, et in Rotulo, eum praedicat *Decanum*:[7] Sixtus IV, Bulla *Romani Pontificis*, anno 1472, illi in serie Auditorum, secundum locum tribuit, eum appellans episcopum Calaguritan., Locumtenentem.[8] Fuerat enim evectus ad hanc ecclesiam mense februario 1470; - fuit etiam episcopus Oveten.[9]

292. *Berardus de Narnia*. Memoratur a die 13 decembris anni 1440 ad mensem februarii 1443, aliquoties in *Libris rat. Cap., ant.* - Die 19 septembris 1443 Senis assistit celebrationi instrumenti codicilli Geminiani de Prato.[10]

[1] *Arch. Rot., Admiss., Eug. IV*, n. 8[t].
[2] Ibi, *Libri rationum Capelle antiqui*.
[3] Ibi, *Invent. et testam.*, l. c.
[4] *Arch. Vat.*, R. C., 620, p. 106[t], 118[t]; Obl. t. 72, p. 17, t. 75.
[5] *Arch. Rot., Admiss., Eug. IV*, n. 7.
[6] Vol. III, pag. 130, n. 76.
[7] Ibi, pag. 167, n. 101, et pag. 159-160, n. 91.
[8] Ibi, pag. 181-182, n. 111.
[9] Eubel, l. c., II, pag. 127.
[10] *Arch. Rot., Inv. et test.*, part. II, n. 1; *Arch. Vat.*, E. 4, t. 1, p. 181; n. 5, t. 3, p. 194[t].

293. *Marcus Trevisanus* (1445), Auditor Palatii.[1]

294. *Baptista*, Prothonotarius, Episcopus Camerinen. – Memoratur hic Auditor in *Libris rat. Capp. ant. n. 1*, anno 1445. - Quinam fuerit scimus ex Eubel, qui scribit: « Baptista de Enriciis, leg. doct. locum « unius ex Audit. caus. P. Ap. tenens. die 27 Aug. Episc. Camarinen. ».[2]

295. *Malatesta de Malatestis de Capitaneis.* – Illius memorant *Libris rat. Capelle ant.*, mense augusto 1443 et aliquoties postea usque ad annum 1445. – Anno « 1449, 7 kal. aprilis Malatesta « Auditor Sacri Palatii Apostolici fit Episcopus Camerinen. post obi- « tum Baptistae ».[3]

296. *Guilermus de Fondera.* - Mense aprilis 1446 prima vice occurrit in *Libris rat. Cap. antiquis*, Thesaurario Iohanne Didaci de Coca. Evectus fuit ad sedem Oloren. die 20 sept. 1451,[4] deinceps de hoc nomine *Oloren.* saepius in iisdem *Libris*, vocatus - Thesaurarius Capellae ab anno 1447 ad annum 1449 inclusvie.[5] - Obiit anno 1465.[6]

## § VIII.

## Nicolaus V.

### (*6 martii 1447 – 24 martii 1455*).

Thomas Parentucelli, electus in Papam anno 1447, obiit anno 1455.[7]

Auditoribus Rotae privilegium concessit providendi per Motum-proprium[8] ac bullam confecit qua privilegia in expectativis confirmavit: sed bulla expedita non fuit.[9]

*Vice-Cancellarius:* Franciscus Condulmerius.[10]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Episcopatum*, Alfonsus Segura; Malatesta de Capitaneis; Guilermus de Fondera.

### Auditores ab Eo creati:

297. *Ludovicus de Ludovisiis*, primus sub Nicolao V, in Mandato de recipiendo et in cedula Vice-Cancellarii, qua attestatur, Ludovicum

[1] *Arch. Vat.*, E. 4, t. 8, p. 174[t], 175.
[2] Eubel, l. c., II, p. 129.
[3] *Arch. Vat.*, Obl. t. 72, p. 35[t]; t. 75, p. 34[t].
[4] Eubel, l. c., II, p. 228.
[5] *Arch. Rot., Libri rat. capel. antiqui.*
[6] Eubel, l. c.
[7] *Arch. Rot., Admissiones, Nicolao V;* Eubel, l. c., II, pag. 10.
[8] Vol. III, p. 132, n. 78.
[9] Ibi, pag. 137, n. 84.
[10] *Arch. Rot., Admissiones, Nicolao V.*

iuramentum praestitisse, die 25 aprilis 1447. « Eximius doctor legum, « Canonicus Bononiensis ». - Est etiam inibi cedula attestationis iuramenti praestiti a Ludovico in Camera, in qua etiam habitum recepit. [1] - Eum inserit Nicolaus Rotulo Auditorum, et ibi est omnium novissimus.[2] - In *Libris rat. Cap. ant.* prima vice memoratur die 7 febr. 1449. - Thesaurarius ab anno 1452 ad integrum 1453. [3] - In Rotulo Pii II quartam occupat sedem et appellatur *Notarius Apostolice Sedis.* [4] - Sixtus IV eum enumerat in Bulla *Romani Pontificis* an. 1472, tertium post Gasparem de Theremo Decanum. [5]

298. *Iohannes Iosso*, Canonicus Veneten., iuris utriusque doctor. [6] - Prima vice in *Libris rat. Cap. ant.* memoratur sub die 19 nov. 1448. – Thesaurarius de annis 1450, 1451. Successit illi in huiusmodi officio Ludovicus de Ludovisiis qui scribit: « 1451 per breves dies ante « ferias generales domini mei, domini Auditores, constituerunt me « Thesaurarium Capelle per absentiam domini Iohannis Iosso qui « recessit in die Apostolorum Petri et Pauli de mense iunii videlicet « vigesima octava ». - Libros rationum Iohannes Iosso quammale tenuit et difficile leguntur. - Enumeratur a Pio II quintus in Rotulo. [7] - Et saepius recurrit in documentis archivii Vaticani. [8]

299. *Antonius Petri* « presbyter, Canonicus Segobricen. » uti in textu precum quibus petiit a Papa dispensari super triennio lecturae in publico Studio et 200 florenis quorum declarat se habere tantummodo 150 et quidem de moneta, non autem auri in auro de Camera. Dispensationem illi concessit Nicolaus « Romae... duodecimo kalendas iulii anno secundo ». [9] - *Libri rat. Cap. ant.* Antonium prima vice memorant die 27 nov. 1448 et sub fine an. 1450 clare innuunt ipsum non amplius in Rota sedisse, nam Iohannes Iosso, Thesaurarius, fatetur se recepisse « sex ducatos pro Rota per manus... Notarii *olim* « Antonii Petri ».

Cum Cantalmaius in suo *Index dec. S. R. Rotae. Synthax. S. R. R. Audit.* et card. De Luca in *Relat. R. Curiae* autument, S. Antoninum archiep. Florentinum fuisse tunc temporis Auditorem Rotae, cum de hoc tempore nullus in documentis nostris inveniatur

[1] Vol. III, pag. 131-132, n. 77.
[2] Ibi, pag. 132-133. n. 78
[3] *Arch. Rot., Libri rationum capel. ant.*
[4] Vol. III, pag. 159-160, n. 91.
[5] Ibi, pag. 181, n. 111.
[6] *Arch. Rot., Admiss. Nic. V,* nn. 3 et 4.
[7] Vol. III, pag 159-160, n. 91.
[8] *Arch. Vat.,* N. 5, t. 24, p. 28; t. 28, p. 319[t]; t. 35, p. 60.
[9] *Arch. Rot., Admiss. Nicolao V,* n. 5; *Arch. Vat.,* N. 5, t. 44, p. 20[t]; t. 51, p. 18[t].

Antoninus praeter istum Antonium Petri, ideo hic inquirere libet, utrum reapse s. Antoninus fuerit, vel non, Auditor Rotae, seu iste Antonius Petri sit intelligendus sanctus ille archiepiscopus Florentinus.

Suppono, Cantalmaium assertionem suam fundasse in verbis cuiusdam « vetusti codicis illius Summae Theologiae, impressi Venetiis « anno 1511, quem vidi - ait ipse - hic in Urbe in conventu S. Mariae « supra Minervam apud... eiusdem conventus Priorem... in cuius proë- « mio leguntur haec verba : *Prologus primae partis Summae Rmi P. ac « Dmi Dmi Antonini, olim Sacri Palatii Apostolici causarum Auditoris, « de Ordine Praedicatorum* ». Item, suppono, cardinalem De Luca auctorem eumdem Cantalmaium habuisse, quem citat in fine praefati discursus.

Porro, noster iste Antonius vocabatur *Petri;* sanctus Antoninus, vero, *Petrucci* et etiam *Forciglioni.* [1]

In codice Summae Theologiae impresso Venetiis anno 1480 « ex « inclita atque famosa officina Dmi Nicolai Jenson » quem ego vidi et sedulo rimatus sum hic in Urbe apud publicum bibliopolam Samonati (Via Ripetta) sanctus Antoninus praedicatur: *Romane Urbis olim Auditor causarum* [2] non autem: *sacri palatii apostolici causarum Auditor ;* ex quo infero, sanctum Antoninum unum fuisse ex tot commissariis iudicibus quos Romae per id temporis floruisse memoriae traditum est, non autem Auditorem Rotae.

Nescio ego utrum Venetiis post editionem anni 1480 alia Summae s. Antonini prodierit editio anno 1511 quam se vidisse asserit Cantalmaius: haec, si revera prodiit, vel male ab antecedente transcripsit Auditorem sacrii palatii apostolici causarum, qui descriptus fuerat Romanae Urbis causarum Auditor; vel male lecta fuit a Cantalmaio qui forte differentiam duas illas inter dictiones percipere non valuit. Utcumque, duo indubia sunt, scilicet: penes archivium Rotae nullum in textibus soeculi XV vestigium extat sancti Antonini; et veneta editio illius theologicae Summae, acta 30° tantummodo ab obitu illius anno, illum tradit auditorem *causarum Romane Urbis*, non autem *sacri palatii apostolici.*

300. *Sancius Romero.* Nullum superest documentum admissionis huius Auditoris, cuius nomen tamen occurrit in libro *Admissiones* in

[1] Eubel, l. c., II. 171.

[2] « Obiit ipse Antoninus, vir consiliorum, clarissimus romane Urbis olim audi- « tor causarum, tunc Archiepiscopus Florentinus et observancialis Professor, anno « Dominice incarnationis 1450 in vigilia Ascensionis, 11 maii. Miraculis clarus.... « Actum hoc opus Veneciis... ex inclita atque famosa officina dmi Nicolai Jenson, « Gallici, olimpiadibus dominicis et anno 1480 decimas quartas kalendas maias ».

Motuproprio Iohannis de Cesarinis, [1] ubi Pius II Sancium collocat ante Iohannem de Ceretanis, qui Auditor erat anno 1448. Deest tamen Sancius in *Rotulo* eiusdem Pii. - Annis 1455, 1459, 1460, 1461, fuit Rotae Thesaurarius. [2]

301. *Iohannes de Ceretanis*, anno 1448, Auditor Palatii. [3] – In *Libris rationum capelle III*, anno 1453, Rotae Thesaurarius adnotabat, se recepisse aliquot pecunias « a dño Io: de Ceretanis ». – Die 5 aprilis 1460, Pius II, Iohannem de Ceretanis restituit ad exercitium Auditoratus a quo suspensus manserat, quia noluerat recipere in suum secundum Notarium quemdam Matthaeum Flingel, ei ab ipso Pio commendatum et praesentatum. Debuit Iohannes Senas petere et suae inobedientiae veniam humiliter ad pedes Pontificis implorare. [4] - Modernus *Liber Iuramenti* praedicat Iohannem de Ceretanis Romanum; sed *Breve* authenticum Pii II claris literis eum dicit *Interamnen.* - Thesaurarius per annos 1461-1463, sua propria manu, nitidissimis literis gothicis, computa in *Libr. rat. Cap. antiq.*, n. III descripsit.

Episcopus Nucerinus, anno 1476, die 17 augusti [5] et tam in *Manualibus* quam in ceteris monumentis archivii, quae hodie manent, deinceps venit usque sub appellativo *Nucerin.* [6] - Ideo nequivit esse Decanum anno 1482, locum cedens Antonio de Grassis. [7] - « *Die* « *lune 23* mensis *iulii predicti* (*1492*) Rpd. Iohannes Episcopus Nu- « cerinus, Locumtenens, diem vitae pie clausit extremum et requie- « scat in sancta pace. Amen ». [8] – *Bernino* et *Bullarium Romanum* (Const. *Romani Pontificis* - Sixti IV) loco *Ceretanis*, legunt *Caetanis;* sed prorsus erronee quia cuncti textus rotalis archivii nitide referunt *Ceretanis*, [9] et omnibus nitidius sua computa, quae propria manu scripsit et in quibus se sua manu signavit.

*Liber iuramenti*, p. 5: « Ioannes Cerretanus, Romanus ». [10]

302. *Agapitus Cincii* [11] seu *Suicii* [12] *de Rusticis*, probabiliter romanus, « iuris utr. doct. Canonicus in ecclesia principis apostolorum »,

[1] Vol. III, pag. 167, n. 101.
[2] *Arch. Rot., Libri rat. capel. ant.*, III.
[3] *Arch. Vat.*, N. 5, t. 23, p. 236.
[4] Vol. III, pag. 161, n. 92.
[5] Eubel., l. c., II, pag. 227.
[6] Vol. III. pag. 200, n. 120.
[7] Cfr. operis huius part. I, Cap. I, *De Decano.*
[8] *Arch. Rot., Manuale* 24.
[9] Vol. III, nn. 92, 101, 107, 111, 113.
[10] Attende quae supra adnotavi.
[11] *Arch. Rot., Admiss. Nicolao V*, n. 6.
[12] *Arch. Vat.*, N. 5, t. 29, p. 34[t]; t. 44, p. 27.

petiit dispensationem super non integro triennio lecturae in publico Studio, et super 200 flor. - Legerat enim « in Studio Urbis Rome ac « curie romane per duos annos et ultra, non tamen per triennium « completum ; neque forte habebat de redditibus in anno tantum quod « ascendat ad ducentos aureos ». - Cui Papa rescripsit « Fiat ut « petitur de utroque et dispensamus ».[1] - Thesaurarius Rotae an. 1453.[2] - In Rotulo Pii II sextam tenet sedem, vocatus simpliciter « *Agapitus de Rusticis* ».[3]

303. *Stephanus de Paperonibus*. Canonicus Lateranen., licentiatus tantummodo in iure canonico in Universitate Senarum, sed creatus doctor in iure a cardinali Antonio tit. S. Marcelli per oraculum vivae vocis Pp. Martini V, non habebat in portatis 200 florenos aureos. Haec omnia exponit Nicolao Papae, petens ut ab eo super his defectibus dispensaretur: quod obtinuit.[4] - Extat in archivio rotali illius vestigium etiam in *Libris rat. Cap. ant.* sub die 15 mai 1449, quo notarius Stephani dedit Thesaurario unum ducatum pro absolutione a Stephano facta in causa « *Civitatis Castelli - Beneficiorum* ».

304. *Bernardus Rovira*, decretorum doctor, obtinet mandatum de recipiendo (*placet et precipimus quod admittatur. T.*) impetrata dispensatione super infecto triennio lecturae in Studio generali.[5] - Pius II, in Rotulo, Bernardum appellat Roviera, eidem assignans septimum locum[6] - et ante Gasparem de Theremo eum enumerat in Mandato de recipiendo Iohanne de Cesarinis.[7] - Thesaurarius Rotae an. 1554.[8]

Clarissimus Hilling (*Die römische Rota etc.* pag. 22) eum appellat « Bernardus de *Romera* ». Ast ex superius citatis documentis indubie patet ei nomen fuisse Rovira.[9]

305. *Iohannes Luctonis de Bisezze*, Auditor Palatii.[10]

306. *Laurentius Blumenau*, seu *Blumeriaco*, Auditor Palatii.[11] Ioseph Bondini in suo cit. op. pag. 114, rem exscribens ex « *Archivio « storico italiano. Appendice, tom. III*, pag. 513 » et ex « *Ragguagli « di Roma nel secolo XV degli Ambasciatori dell'ordine Teutonico di*

[1] *Arch. Rot., Admiss. Nicolao V*, n. 6.
[2] Ibi, *Libri rationum capel.*, II.
[3] Vol. III, pag. 159-160, n. 91.
[4] *Arch. Rot., Admiss. Nic. V*, n. 19.
[5] Ibi, *Admiss. Nic. V*, n. 7.
[6] Vol. III, pag. 159-160, n. 91
[7] Ibi, pag. 167, n. 101.
[8] *Arch. Rot., Libri rat. cap. ant.*, I.
[9] Cfr. etiam *Arch. Vat.*, N. 5, t. 29, p. 219[t]; t. 34, p. 17[t]; t. 37, p. 239; t. 46, p. 88.
[10] *Arch. Vat.*, 1450, N. 5, t. 19, p. 72.
[11] Ibi, 1450. N. 5, t. 30, p. 102[t].

« *Prussia* etc. » auctore J. Voigt, narrat: « Nell'anno 1451 non « essendo alla Corte Pontificia neppure un Auditore tedesco perché « tutti erano stati vittima della peste, il dottissimo maestro Lorenzo « Blumenau, dottore della Corte del gran Maestro di Prussia, il quale « in quel tempo come Auditore e consigliere stava presso il Cardi- « nale d'Augusta, fu da questo raccomandato al Papa come degno « della carica di Auditore di Rota, e infatti ne fu poi investito ecc. ».

307. *Anthonius de Tosabeciis*[1] seu *Tosabetis*,° de Papia, decretorum doctor, Archidiaconus Tridentinus, electus in Auditorem sub initio anni 1450, nolebat ab Auditoribus recipi; quibus Papa, comminatis censuris et poenis, mandavit ut infra triduum eum reciperent et admitterent.[3] - « 1456 Lunae 20 maii. Antonius de Tosabetis, auditor « Sacri Palatii fit episcopus Curien. ».[4]

308. *Gaspar de Theramo*, Auditor Palatii.[5] In *Admissiones* nullum adest documentum admissionis Gasparis de Theramo. At Pius II in Rotulo eum collocat octavum infra Rovira et Theodorum de Lelliis:[6] praeterea infra citatos duos Auditores idem Pius Gasparem memorat in Mandato de recipiendo I. de Cesarinis.[7] - Thesaurarius ann. 1455-1456.[8] - Iohanne Didaci de Coca Decano evecto ad sedem Calaguritanam, Gaspar Decanus factus est anno 1470 et talis nobis perhibetur in Bulla Sixti IV, « *Romani Pontificis* » anni 1472, et posterioribus documentis.[9] - Obiit « *extra Romanam Curiam* » de anno 1482.[10]

309. *Theodorus de Lellis*, seu *de Lelliis*, de *Theremo*;[11] iuris utriusque doctor, de quo Nicolaus in Motuproprio admissionis illius, praedicat: « De cuius idoneitate, bona conversatione et sufficientia tam « fidedignorum testimonio quam nostra percepimus experientia », et eum dispensat super defectibus.[12] - Thesaurarius Capellae anno 1467 « incipiendo a die 17 februarii ».[13] - Promotus ad episcopatum *Feltren.* anno 1462, sub hoc nomine recurrit in *Libris rationum.*[14]

[1] *Arch. Rot., Admissiones Nic. V,* nn. 10, 11, 12, 13.
[2] *Arch. Vat.,* 1453, N. 5, t. 17, p. 221; 1453, N. 5, t. 41, p. 157ᵗ; t. 51, p. 23ᵗ; t. 51, p. 23ᵗ.
[3] Vol. III, pag. 136, n. 82.
[4] *Arch. Vat.,* Obl. t. 72, p. 70ᵗ t. 75, p. 72, 6145.
[5] Ibi, 1450, N. 5, t. 31, p. 137.
[6] Vol. III, pag. 159-160, n. 91.
[7] Ibi, pag. 167, n. 101.
[8] *Arch. Rot., Libri rat. capell.,* II.
[9] Vol. III, pag. 181 ssq., nn. 111, 113, 120.
[10] Ibi, pag. 203, n. 124.
[11] Vol. III, pag. 135, n. 81.
[12] *Arch. Rot., Admiss., Nic. V,* nn. 8 et 9.
[13] Ibi, *Libri rat., cap.* II.
[14] Ibi, l. c.; *Arch. Vat.,* N. V, t. 17, p. 214; t. 44, p. 94; Eubel, l. c., II, pag. 169.

310. *Bernardus de Boscho*, decretorum doctor, Canonicus et Sacrista Ecclesiae Ilerden.[1] - Illius admissio ex parte Auditorum non fuit pacifica, adeo ut Nicolaus « sub excommunicationis necnon suspen- « sionis ac privationis officii Auditoratus huiusmodi ipso facto » incurrenda poena, eis praeceperit « infra quindecim dierum spatium « . . . absque ulteriori dilatione » eum recipere et admittere, « Non « obstante quod prefatus Bernardus post doctoratum biennio duntaxat, « non triennio, publice legerit. - *Fiat motu proprio et ita precipimus « mandamus et dispensamus* T. ».[2] - Iuravit Bernardus in Camera die 10 iun. 1451.[3]

311. *Orlandus de Bonarlis*, « die XV octobris 1451 ... presentavit « omnibus dominis existentibus congregatis in rota Rome sub sigilo « R^mi dñi vicecancellarii » cedulam tenoris insequentis: « B. P. Cum « per constitutiones Rotae inter alia caveatur quod eligendus ad « dictum officium exercendum sit in sacris constitutus (?), ac de rediti- « bus annuis habeat ducentos saltem ducatos, devotusque Vester Orlan- « dus de Bonarlis de Florentia, ad dictum officium per S. Vestram « promotus, sit tantum in minoribus constitutus, nec dictos reditus « habeat, dignetur S. V. super predictis, secum dispensando, vele ac « mandare dominis auditoribus (quibus de eo admictendo mandavit) « ut admictant, predictis non obstantibus. – *Fiat ut petitur et dispen- « samus de omnibus T.* ».[4] Ast Auditores Orlandum et Petrum de Valle, qui uno mandato recipi simul debebat, nolebant admittere, adeo ut Nicolaus eisdem peremptorium octo dierum assignaverit, quo elapso, excommunicationis poenam ipso facto incurrerent, ni paruissent.[5] - Orlandus Thesaurarium egit annis 1457-1459: - hoc anno praedicatur archiepiscopus Florentinus,[6] mansitque in Rota per nonnullum temporis Locumtenens.[7]

312. *Petrus de Valle*. Hic, uti dixi superius scribens de Orlando de Bonarlis, cum Orlando ipso recepit auditoratum a Nicolao Papa V, et passus est cum Orlando easdem difficultates, eamdem luctam ab Auditoribus eum recipere nolentibus.[8] - Fuit et ipse Thesaurarius

[1] *Arch. Rot., Admiss. Nicolao V*, n. 14.
[2] Ibi, l. c., n. 15.
[3] Ibi, l. c., n. 15^bis; vol. III, pag. 136, n. 83; *Arch. Vat.*, N. 5, t. 37, p. 238; t. 51, p. 24.
[4] *Arch. Rot., Admissiones Nic. V*, n. 16.
[5] Ibi, l. c., nn. 17 et 18.
[6] Ibi, *Libri rat. capel.*, IV.
[7] Ibi, l. c.; EUBEL, l. c., II, pag. 171.
[8] Ibi, *Admiss., Nic. V*, nn. 17, 18.

Rotae, post Orlandum, ann. 1458-1459, uti ex *Libris rationum:* ipsum inseruit Rotulo Calistus III et Pius II. [1]

313. *Iohannes Pintor.* Nomen huius Auditoris exulat a Libro *Admiss.;* sed in *Libris rationum Capelle III* iam Auditor apparet anno 1453 mense aprilis: sub diebus enim 13 et 16 illius mensis Thesaurarius adnotavit: « Item, recepi a dño Io. pintor XIII aprilis « unum ducat. ». - « Item, recepi ab eod. Io. pintor XVI aprilis unum « ducat. ». Reperitur in Rotulo, seu Mandato de providendo, Callisti III et Pii II, novissimus omnium inibi memoratorum Auditorum.[2]

## § IX.

### Calistus III.

*(4 april. 1455 – 6 aug. 1458).*

Alfonsus Borgia, hispanus, electus anno 1455 die 4 aprilis, obiit 6 aug. anno 1458. [3]

Rotae Auditoribus privilegia a suis decessoribus RR. Pontificibus concessa, novis constitutionibus confirmavit, [4] eisque concessit facultatem litteras apostolicas expediendi gratis. [5]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Rodoricus Card. Borgia. [6]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Episcopatum,* Antonius de Tosabeciis.

Inter alios, Eo sedente, floruit

Capellanus Auditor causarum s. p. a.

Magister:

*Iohannes de Mazancollis.* [7]

## § X.

### Pius II.

*(19 augusti 1458 – 16 augusti 1464).*

Aeneas Silvius Piccolomini, senensis, electus die 19 augusti anni 1458, obiit die 16 aug. 1464. [8]

[1] Vol. III, pag. 156, n. 88 et pag. 159-160, n. 91.
[2] Ibi, ll. cc.
[3] Eubel, l. c., II, pag. 12.
[4] Vol. III, pag. 146, n. 86; pag. 154, n. 87.
[5] Ibi, pag. 156, n. 88.
[6] *Arch. Rot., Admiss. Calisto III.*
[7] *Arch. Vat.,* C. 3, t. 18, p. 113[t], anno 1458.
[8] Eubel, l. c., II, pag. 13-14.

Rotae Auditoribus praecedentiam concessit super apostolicis Subdiaconibus supranumerariis;[1] relaxavit mandatum de providendis per Motumproprium;[2] confirmavit privilegia expediendi gratis et expectativarum,[3] eosque eximit a correctione et iurisdictione Auditoris Camerae.[4] – Mandavit insuper nullum nisi de suo mandato in Rotae notarium deinceps assumi.[5]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Rodericus card. Borgia.[6]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Episcopatum*. Orlandus de Bonarlis; Theodorus de Lelliis.

Eo sedente, floruerunt vel ab ipso creati sunt

CAPELLANI AUDITORES CAUSARUM S. P. A.

Magistri:

314. *Venceslaus de Crumlaw*, Auditor Palatii.[7]

315. *Petrus Ferrici* (*Ferriz*) – decretorum doctor – Canonicus Maioricen.[8] - die 1 oct. 1464 episcopus Tirasonen[9] - die 18 dec. 1476 cardinalis.[10]

316. *Iacobus de Pencöetdic*, normannus, i. u. d. - electus Briocen. - nonnisi summa difficultate fuit admissus in Rota, forte quia iam erat electus episcopus,[11] ceu fuse disserui suis locis in I huius operis parte. - Obiit Romae et sepultus fuit in ecclesia S. Ludovici Nationis Gallicae, ubi adhuc eius sepulchrum videre est.

317. *Antonius de Grassis*, « Canonicus Bononien., utriusque iuris doctor », petiit et obtinuit ut admitteretur in Rota, die 29 mart. 1462.[12] - Thesaurarius ann. 1464, 1467 et 1468.[13] - Decanus post Gasparem de Theramo, anno 1482, uti eruitur ex Motuproprio Francisci Brevii in cuius dorso scripsit sua manu: « presentatum die veneris 23 octo- « bris hora 24 mihi Antonio de grassis, decano rote ».[14] Diem et

[1] Vol. III, pag. 157, n. 89.
[2] Ibi, pag. 159, n. 91.
[3] Ibi, pag. 164, n. 95 et 96, et pag. 170, nn. 103, 104.
[4] Ibi, pag. 165, n. 97.
[5] Ibi, pag. 166, n. 99.
[6] *Arch. Rot., Admiss. Pio II.*
[7] *Arch. Vat.*, P. 2, t. 48, p. 27[t], anno 1458.
[8] *Arch. Rot., Admiss. Pio II*, n. 2.
[9] EUBEL, l. c., II, pag. 276.
[10] Idem, ibi, pag. 18.
[11] *Arch. Rot.. Admiss. Pio II*, nn. 3, 4.
[12] *Arch. Rot. Admiss. Pio II*, nn. 7 et 8.
[13] Ibi, *Libri rat. capel. ant.*, II.
[14] Vol. III, pag. 203, n. 124.

horam signavit Antonius propter peremptorium datum a Papa pro recipiendo Brevio quem Auditores prorsus nolebant recipere, uti sub Brevio narrabo. - Die *2 mart. 1485* evectus ad sedem Tiburtinam ab Innocentio VIII qui eum fecit etiam Rectorem Campaniae et Maritimae.[1]

*Liber iuramenti* pag. 21. « Antonius de Grassis, Bononien. ».

318. *Iohannes de Cesarinis*, « Canonicus S. Petri Urbis, legum « doctor », recepit a Vice-cancellario Roderigo Borgia Mandatum Papae de recipiendo, die 29 mart. 1461.[2] Aliquot ex Auditoribus, nempe: I. Didaci de Coca, Decanus; B. Rovira, Gaspar de Teramo, Theod. de Lelliis, Sancius Romero, I. de Ceretanis, Petrus Ferrici et Iacobus electus Briocen. (Pencöetdic) nolebant recipere Iohannem; at Pius II minitans eos suspendere ab officiis et beneficiis quot habuerint, obtinuit ut tandem aliquando admitteretur.[3] - Iohannes de Cesarinis praesens erat in Rota anno 1472, uti demonstrat Bulla *Romani Pontificis* in qua eius nomen occurrit;[4] sed XIII anno Sixti IV nomen illius desideratur in Motuproprio eiusdem Sixti quo confirmatur reductio Auditorum ad duodecim, et eligitur Felinus Sandeus.[5]

319. *Mattheus de Porta* « praestantissimus decretorum doctor », uti in Mandato de recipiendo dato die 7 ianuarii 1464.[6] - Annumeratur inter Auditores in Bulla Sixti IV *Romani Pontificis* ann. 1472.[7] - In *Libro iuramenti* prima sedes constituta illi fuit loci Auditorum regni Castillae. - Obiit de anno 1494 prout colligendum videtur ex Motuproprio Dragatii Dragazzi, cui auditoratus collatus certo fuit sub fine illius anni: legere inibi est: « Cum, ut accipimus, Matheus de porta, « olim unus ex palatii apostolici causarum Auditoribus, decesserit, « volentes providere etc. ».[8]

*Liber iuramenti*, pag. 29: « Matthaeus de Porta ».

320. *Nicolaus de Ubaldis* habuit a Pio II Mandatum de recipiendo, cumulativum cum Matthaeo de Porta, quo praedicatur « praestantissimus utriusque iuris doctor ».[9] - Thesaurarius an. 1477[10] - accensitus in Bulla Sixti IV anni 1472, et pluries in *Manualibus*.[11] - Obiit anno 1477, uti scatet ex *Libris rationum capelle*.

[1] Eubel, l. c., II, pag. 275.
[2] *Arch. Rot., Admiss. Pio II*, n. 5.
[3] Ibi, l. c., n. 6.
[4] Vol. III, pag. 101, n. 111.
[5] Ibi, pag. 211, n. 125.
[6] *Arch. Rot., Admiss. Pio II*, n. 14 et n. 13 qui est sub dato 16 febr. 1464.
[7] Vol. III, pag. 181-182, n. 111.
[8] Ibi, pag. 227, n. 136.
[9] *Arch. Rot., Admiss. Pio II*, nn. 13, 14.
[10] Ibi, *Libri rat. capel.*, V et VI.
[11] Ibi, *Manuale* 3, 7.

321. *Fantinus de Valle* memoratur a Sixto IV in Bulla anni 1472, medius inter Antonium de Grassis et Iohannem de Pavinis. - In *Manuale* 7, quo saepius nomen illius occurrit, dies mortis Fantini adnotatur sub die 28 octobris 1475.[1]

322. *Iohannes Franciscus de Pavinis*, « Canonicus Paduanus, iuris « utriusque et theologiae doctor », creatus fuit Auditor a Pio II, et cum Pius II, Senis se conlatus, actus admissionum Auditorum suspenderet durante absentia Papae ab Urbe, tamen, ita Pio sub poenis et censuris mandante, receptus tandem aliquando fuit. Hac de causa in *Admiss.* quatuor documenta manent de eius admissione.[2] - *Lib. rat. Cap. ant.* eum demonstrant Thesaurarium Rotae an. 1472-1476.[3] - Sixtus IV in Bulla *Romani Pontificis* an. 1472 eum memorat,[4] et item illum recordatur an. XIII sui pontificatus in Motuproprio confirmatorio reductionis numeri Auditorum ad duodecim.[5]

## § XI

### Paulus II.

### (*30 augusti 1464 - 26 iulii 1471*).

Marcus Barbus, venetus, electus die 30 augusti 1464, obiit die 26 iulii 1471.[6]

Auditoribus Rotae confirmat et auget privilegia in expectativis[7] ac eorum numerum decernit esse ad 12 reducendum; quod tamen, morte praeventus, perficere nequivit.[8]

*Vice-Cancellarius*. Illi fuit Rodericus card. Borgia.[9]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Episcopatum*, Iohannes Didaci de Coca; Petrus Ferrici.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

323. *Gabriel de Contarenis*. Venetus. Quinque documenta, quae prostant in *Admiss.* sub Paulo II[10] nos edocent Papam poenarum

[1] Ibi, et *Libri rat. capel.*, V, VI.
[2] *Arch. Rot., Admiss. Pio II,* nn. 9, 10, 11, 12.
[3] Ibi, *Libri rat. capel.*, IV.
[4] Vol. III, pag. 181-182, n. 111.
[5] Ibi, pag. 211, n. 125; in *Arch. Vat.*, P. II, t. 2, p. 138.
[6] Eubel, l. c., II, pag. 14.
[7] Vol. III, pag. 170 ssq., nn. 104, 105, 107.
[8] Ibi, pag. 178, n. 108.
[9] *Arch. Rot., Admissiones, Paulo II.*
[10] Ibi, l. c., nn. 1, 2, 3, 4, 5.

minis insequi debuisse Auditores qui nolebant Gabrielem recipere et admittere, eo quod, dicebant, *non erat habilis iuxta Constitutiones*. Fuit tamen admissus, et nomen illius legitur in Bulla *Romani Pontificis* Sixti IV. Item, eius nomen occurrit in *Manuale* 14 iam anno 1470: et originalis sententia, eis antiquior, quae adhuc in Archivio asservantur, signata est sub die 3 april. 1471 *manu propria Gabrielis* his verbis: « Ita pronuntiavi ego Gabriel Contarenus Auditor ».[1] *Lib. rat. Cap. ant. III* eum memorant iam defunctum, anno 1477 quippe Rotae legatum reliquerat 20 ducatorum.[2]

324. *Bartholomaeus de Belencinis*, de Mutina, doctor decretorum.[3] - Thesaurarius a mense septemb. 1477 ad integrum annum 1478.[4] - Sixtus IV illius nomen recenset in Bulla *Romani Pontificis*.[5] - Clar. Hilling[6] legit: *Beloncinis*; Bullarium Romanum edit. Tauriensis legit: « Bellenunis »; sed dubia non est lectura a me proposita, nedum inspecta clarissima litera *Libr. rat. Cap. ant.* et exemplaris authentici Bullae praecitatae, sed praecipue textum in *Admissiones Sixto IV* n. 3*[er] in quo ipse se sua propria manu signavit *Belêcinis*. - Bartholomaeus diem vitae clausit extremum an. 1478.[7]

325. *Nicolaus Drey de Edam*. « Decretorum Doctor, Decanus « Ecclesiae B. E. qui in Universitate Studii Coloniensis iuris Cano- « nici et aliarum facultatum Cathedram per plures annos laudabi- « liter rexit ».[8] - Recensetur etiam a Sixto IV in saepius citata Bulla *Romani Pontificis* an. 1472, sed desideratur in Motuproprio eiusdem Sixti, dato anno XIII illius Pontificatus, quo confirmatur reductio numeri Auditorum ad duodecim.[9]

326. *Petrus de Ferrera*, Decanus Aurien. et iuris utriusque doctor.[10] - Anno 1472 erat iam novissimus Auditorum, uti ex Bulla *Romani Pontificis*.[11] In *Lib. rat. Cap. ant. n. VII* memoratur a Thesaurario I. Prioris anno 1478. - Obiit die 18 nov. 1492.[12] - In archivio notarili sacrae Rotae complures asservantur causarum *Commissiones*, Petro inscriptae.

*Liber iuramenti*, pag. 35: « Petrus Ferrera ».

[1] Vol. III, pag. 179, n. 109.
[2] Ibi, pag. 190-191, n. 115.
[3] *Arch. Rot., Admiss. Paulo II*, n. 6.
[4] Ibi, *Lib. rat. capel.*, VI.
[5] Vol. III, pag, 181-182, n. 111.
[6] *Die Romische Rota*, etc., pag. 11.
[7] *Arch. Rot., Manuale* 5.
[8] Ibi, *Admiss. Paulo II*, n. 7.
[9] Vol. III, l. c. et pag, 211, n. 125.
[10] *Arch. Rot., Admissiones Paulo II*, n. 8.
[11] Vol. III, pag. 181, n. 111.
[12] *Arch. Rot., Manuale* 26.

## § XII.

### Sixtus IV.

*(9 augusti 1471 - 13 augusti 1484).* [1]

Franciscus Della Rovere, saonensis, electus « 1471 die veneris 9 « augusti », [2] « die vero XIII augusti (1484), sicut altissimo placuit, « de medio sublatus est ». [3]

Huius Papae nomen non una de causa in Rota memorabile viguit. - Mense decembris post assumptionem suam, coetum Auditorum Rotae ad clausum 12 tantum virorum collegium imminuit ac reduxit, cassans et irritans iam tres a se factas nominationes, [4] ac insequenti anno 1472, mense maio, ordinatione *Romani Pontificis*, factam reductionem confirmavit. [5] - Anno 1472 mandatum gratis expediendi ubique apostolicas litteras quod Auditoribus relaxaverat, suspendit [6] et nova constitutione *Romani Pontificis providentia* diei 1 iulii, Rotae Auditores veros propriosque familiares atque continuos commensales Papae declaravit, eisdem relativa privilegia concedens. [7] - Voluit unum e gallica natione et dominio Regis Franciae Auditorem Rotae clausi collegii membrum adesse. [8] - Notarios Auditorum Rotae ad 48 numero reduxit quos ad dignitatem et honorem collegii evexit, anno 1477 mense novembris, et qualitate ac iuribus verorum officialium apostolicae sedis decoravit. [9] - Anno 1484 in Auditorem assumpsit celeberrimum iurisconsultum Phelinum de Sandeis, etsi Auditorum numerus plenus fuisset: [10] eodemque anno Auditoribus privilegia expectativarum confirmavit. [11]

Sed, auctore forsan Roderico Borgia, Vice-Cancellario, auditoratum contulit nonnullis indignis, uti Francisco Brevio [12] et, teste Lotterio, [13] cuidam Antonio de Parma, bastardo.

*Vice-Cancellarium* gessit Rodericus Borgia. [14]

[1] Dr L. Schmitz-Kallemberg, *Practica Cancellariae Apostolicae soeculi XV exeuntis*, Münster (Westf.), 1904, pag. 73; Vol. III, pag. 217, n. 127.
[2] Schmitz-Kallemberg, l. c.
[3] Vol. III, l. c.
[4] Ibi, pag. 180, n. 110.
[5] Ibi, pag. 181, n. 111.
[6] Ibi, pag. 183 ssq., n. 112.
[7] Ibi, pag. 185, n. 113.
[8] Ibi, pag. 190, n. 114.
[9] Ibi, pag. 191, nn. 116-118.
[10] Ibi, pag. 211, n. 125.
[11] Ibi, pag. 212, n. 126.
[12] Ibi, pag. 203 et seq., n. 124.
[13] Lotter, *De re benef. I. Apparat.*, n. 138.
[14] *Arch. Rot., Admissiones. Sixto IV.*

### Auditores ab Eo promoti.

*Ad Episcopatum:* Iohannes de Ceretanis.

### Auditores ab Eo creati

Magistri:

327. *Hieronimus de Porcariis*, « Canonicus Basilice Principis Apo- « stolorum de Urbe, Utriusque iuris doctor » electus et creatus causarum palatii Auditor, motuproprio Sixti IV, dato « sexto kal. « septembris anno primo ».[1] - Sed paullo post, nempe mense decembris illius anni, Sixtus cassat illius nominationem motuproprio quo numerum Auditorum ad 12 dumtaxat reducit.[2] - Post latam bullam anni 1472, iterum Sixtus Hieronimum creat Auditorem.[3] - Auditoribus qui, eo quod Porcarius « nolebat servare servanda »[4] in admissione Auditorum, eum recipere recusabant, Sixtus mandat ut illum recipiant. Fuerant ipsi descripti tamquam rebelles et inobedientes. Sed Papae scripserunt: « Beaṁe pr. Intelleximus relatum per nonnullos « fuisse S. V. nos inobedientissimos esse et rebelles voluntati eius- « dem, sed maxime in facto admissionis domini Ieronimi de porcha- « riis. Absit a nobis, parati enim et prompti semper sumus nedum « verbo tantum sed simplici nutui V. S. in hoc et in omnibus que « mandaverit, obedire: et ita iubeat et mandet, quoniam nos obse- « quentissimos inveniet. Fuimus hac de causa apud pedes S. V. « que nobis dixit quod si Ieronimus dignus erat pro loco rote qui « sub speciali protectione S. V. volebat quod admitteretur servatis « servandis iuxta morem et consuetudinem eiusdem loci, sin autem « non intendebat venustati loci et publico commodo preiudicare. Nunc « Beaṁe pr., quia satis importunamur pro eius admissione non ser- « vato aliquo stilo, ymo pretermissis laudabilibus consuetudinibus et « aliis hucusque in omnibus admittendis servari solitis, Summopere « cuperemus vel quod S. V. aliquibus aut uni ex nobis aperiret « mentem suam, vel quod in scriptis iniungeret quod fieri vellet. « Quoniam semper, ut supra (?) nos obedientissimos inveniet et ad « omnem obedientiam mandatorum S. V. paratissimos. Que dignetur « laudabiles consuetudines nostras hactenus in talibus inviolabiliter

[1] *Arch. Rot., Admissiones, Sixto IV,* n. 1.
[2] Vol. III, pag. 180, n. 110.
[3] *Arch. Rot.*, l. c., n. 2.
[4] Ibi, l. c., n. 3v.

« observatas observari mandare, Cuiusque pedibus nos humiliter com-
« mendamus.

« E. S. V.

« Humiles famuli
« Auditores vestri Sacri Palatii ».[1]

Papa per d. Baptistam de Canonicis, cubicularium suum, [2] « Rdo « p. dño Antonio de Grassis, Sacri palatii Auditori maiori »[3] significavit « intentionem suam esse quod oratorem admittant, non ob- « stante bulla ... servatis consuetudinibus loci ... maxime quia iste « d. Hieronimus ante bullam fuerat admissus ».[4] - Hieronimi nomen abest a Bulla anni 1472;[5] adest tamen in Motuproprio confirmatorio reductionis numeri Auditorum, sextum inter 12 inibi descripta.[6] - Etsi certe senior post Antonium de Grassis, incertum est utrum, hoc ad episcopatum promoto, Hieronimus sedem decanalem conscenderit, vel episcopus Nucerinus. Attamen certe decanum egit, mortuo praefato Nucerino.[7] - « Die lune 27... mensis aprilis (1495) rpd. « Porcarius, Auditor..., ad ecclesiam Andren. fuit promotus, et in « episcopum Andren. consistorialiter electus ».[8] – Mansit in Rota Locumtenens et obiit die 18 novembris 1503.[9]

*Liber iuramenti*, pag. 41: « Hieronimus Porcarius, Romanus ».

328. *Iohannes Prioris*, Venetensis, decretorum doctor, Maclonien et Veneten. ecclesiarum canonicus, in Auditorem electus a Sixto IV sub initio pontificatus,[10] cassatus ab ipso vi Motusproprii mensis dec. 1471,[11] nec insertus Bullae *Romani Pontificis* anni 1472;[12] recensitus tamen post H. Porcarium in Motuproprio diei 12 mart. 1484.[13] - Thesaurarius an. 1478 mense iunio, ad integrum annum 1480.[14]

[1] *Arch. Rot.*, l. c., n. 3, 3.bis Redacta fuit cedula ab Nicolao de Ubaldis et Barth. de Belencinis, uti patet ex n. 3, ubi uter Auditor se sua signat manu. Adnoto etiam hic, Bartholomeum se sua ipsa manu describi Belêcinis: ideo certe non *Bellerunis*, aut *Belleninis*, aut alias.

[2] Ibi, l. c., n. 3ter.

[3] Ibi, l. c., n. 3ter *verso*.

[4] Ibi, l. et n. citatis.

[5] Vol. III, pag. 181, n. 111.

[6] Ibi, pag. 211, n. 125.

[7] Vol. I, *De Decano*, cap. I et III.

[8] *Arch. Rot., Manuale* 32.

[9] Ibi, *Manuale* 50.

[10] *Arch. Rot., Admissiones Sixto IV*, n. 2.

[11] Vol. III, pag. 180, n. 110.

[12] Ibi, pag. 181, n. 111.

[13] Ibi, pag. 211, n. 125.

[14] *Arch. Rot., Libri rationum* VII.

329. *Benedictus de Mastinis*, Clericus Mantuanus, iuris utriusque doctor, electus a Sixto « Tertio nonas decembris anno primo »[1] et cassatus eodem mense dec. 1471 cum Porcario et Prioris;[2] dein amplius non occurrit in Rotae monumentis quae ad manus meas pervenerunt.

330. *Guillermus de Pereriis*, gallus, decretorum doctor, electus a Sixto ubi voluit clauso collegio Auditorum Rotae « unum virum ydo- « neum de Gallica natione et dominio... Regis Franciae » aggregare.[3] Abest a Bulla anni 1472[4] et a Bulla anni 1473[5] a qua exulant etiam Porcarius et Prioris. Cum autem tres omnes inveniantur accensiti in Mandato Sixti IV an. 1484 hoc ordine: Porcarius, Prioris, de Pereriis,[6] ideo iste heic erat in serie collocandus. - Decanus Rotae,[7] obiit die 17 novembris 1500.[8]

*Liber iuramenti*, pag. 33: « Gulielmus de Perreriis ».

331. *Iohannes Antonius de S.to Georgio de Placentia*, Clericus Mediolanen., iuris utriusque doctor, Praepositus S. Ambrosii Mediolanen.[9] - Anno 1478, die 30 martii Thesaurarius B. de Bellencinis ita scribit in *Libris rationum:* « Rpd. Iohannes Antonius de Mediolano, Auditor, « die 30 martii 1478, habuit Bullam Auditorum desuper taxatam ». In Motuproprio Sixti anni 1484 enumeratur inter Auditores, post G. de Pereriis et appellatur *Episcopus Alexandrinus.*[10] Item, in *Manual.* 17, sub anno 1487. - *Lotter. de Re benef. l. I, apparat. n. 133* asserit, Iohannem Antonium fuisse tantum *praepositum* Alexandrinum, non autem episcopum: ast litera textus archivii clarissima est: *E.po*, quam fidelissime exscripsi vol. III, *pag. 211, n. 125.* Narrat ipse Lotterius, *l. c., n. 133.* Iohannem Antonium evitare non potuisse aleam publicarum et secretarum disputationum, cum factus fuit Rotae Auditor, et hoc de illius doctrina reddit testimonium: *tametsi iam fama super aethera notus, contra cuius theses Phelinus in ipso examine publico 60 formavit argumenta... quibus ille paribus responsionibus extemplo satisfecit.* Ast cum Phelinus prima vice Auditor factus fuerit a Sixto IV anno 1484, nescio quo pacto potuerit examini Iohannisantonii adesse qui certe Auditor iam erat anno 1478!

[1] *Arch. Rot., Admissiones Sixto IV*, n. 5.
[2] Vol. III, pag. 180, n. 110.
[3] Ibi, pag. 190, n. 114.
[4] Ibi, pag. 181, n. 111.
[5] Ibi, pag. 185, n. 113.
[6] Ibi, pag. 211, n. 125.
[7] Vol. I, cap. III, *De Decano:* vide.
[8] *Arch. Rot., Manuale* 10 et 34.
[9] Ibi, *Admissiones Sixto IV*, n. 8.
[10] Vol. III, pag. 211, n. 125.

*Liber iuramenti*, pag. 45: « Ioannes Antonius Alexandrinus, Car- « dinalis, dictus a S. Georgio ».

Archivio manent complures causarum *Commissiones* datae Iohanni Antonio.

332. *Gundisalvus* (alias *Gondisalvus*) *de Villadiego*, Canonicus Toletanus, iuris utriusque doctor, [1] electus in Auditorem a Sixto qui eum dispensavit super 200 flor. [2] et voluit admitti etiamsi numerus Auditorum adhuc non esset de facto reductus ad minus quam duodecim. [3] - In *Manuale* 11, occurrit huius Auditoris nomen, quod Sixtus inseruit Motuproprio anni 1484. [4] – Notatu dignum est in textu *Admiss. num. 10* legi « utriusque iuris doctor » dum in *n. 9* legitur: « decretorum doctor » et traditur Gondisalvus clericus Burgen. dioceseos.

333. *Paulus de Tuscanella*, utriusque iuris doctor, clericus Tuscanensis, collationem Auditoratus recepit a Sixto IV post Gundisalvum de Villadiego, uti certo non tantum ex *Admiss.* [5] ubi cedula Motusproprii collationis iacet post Gundisalvum, sed ex Motuproprio diei 12 maii 1484 eiusdem Sixti, recensentis Paulum immediate post Gundisalvum. [6]

334. *Petrus de Supravilla*, praesentavit cedulam sui Motusproprii « die veneris 29 martii 1482 », uti testatur Antonius de Grassis, Decanus, in dorso ipsius cedulae. [7] Archidiaconus ecclesiae Convenarum ac iuris utriusque doctor. – Die 12 martii 1484, Petrus non erat amplius praesens in Rota: eius enim nomen exulat a Motuproprio illius diei.

335. *Franciscus Brevius*, clericus venetus, iuris utriusque doctor, electus a Sixto IV anno 1482, Motumproprium praesentavit « die veneris 25 octobris ». - Ob plura illi impicta crimina et accusationes Auditores eum recipere nolebant: sed Sixtus IV illum voluit admitti utcumque, spreta quavis Rotae constitutionum observantia, et, comminatione excommunicationis poenae, Auditorum demum fracta oppositione: [8] admissus fuit die 3 decembris 1482. [9] - Promotus ad epi-

[1] *Arch. Rot., Admissiones, Sixto IV*, 10.
[2] Ibi, loc. cit., n. 9.
[3] Ibi, l. c., citat. n. 10.
[4] Vol. III, pag. 211, n. 125.
[5] *Arch. Rot.*, l. c., Sixto IV, n. 11.
[6] Vol. III, pag. 211, n. 125.
[7] *Arch. Rot., Admissiones, Sixto IV*, n. 12[t].
[8] Vol. III, pag. 203 et seqq., n. 124.
[9] Ibi, pag. 210.

scopatum Ceneten. die 19 ianuarii 1498 ab Alexandro VI,[1] mansit in Rota Locumtenens.[2] - Nuncius Apostolicus in Hispaniam[3] - Rotae Archivio testamentum illius manet[4] - obiit diei 7 augusti 1508:[5]

*Liber iuramenti*, pag. 9: « Franciscus Brivius, Venetus, Episcopus Ceneten. ».

336. *Iohannes de Duchis*, iuris utriusque doctor, Praepositus Ss. Naxarii et Celsi civitatis Brixien.[6]

337. *Iohannes Gigli*, iuris utriusque doctor, presbyter Lucanus, Auditor Cardinalis Marci tit. S. Marci.[7]

338. *Matthaeus de Ragnis*, Canonicus Ragusinus, iuris utriusque doctor, Cappellanus Cardinalis Iulii tit. S. P. in Vinculis.[8] - De Ragnis, Gigli, de Duchis, etsi post Brevium creati Auditores (videlicet post mensem oct. 1482) tamen non recensentur inter Auditores a Sixto IV in saepius citato Motuproprio 12 martii 1484, in quo novissimus ex duodecim Auditoribus ibi memoratis Franciscus Brevius sedet. Hinc tres isti Auditores, vel brevi admodum tempore in Rota sederunt, vel, potius, nunquam fuerunt admissi.

339. *Phelinus Sandeus* (vel *de Sandeis*). - Etsi Sixtus Auditorum numerum ad duodecim reduxisset ac quominus ultra hunc praefinitum numerum quis novus admitteretur, vetasset, tamen « communicato con- « silio cum ipsis Auditoribus et ex certis causis legitimis » aggregavit collegio Auditorum Phelinum Sandeum, Canonicum Ferrariensem.[9] - At non videtur Phelinus receptus in Rota sub Sixto IV. Nam sub Innocentio VIII in « *Admiss. n. 2* » adest cedula Motusproprii collationis Auditoratus factae Phelino qui praedicatur « Archipresbyter « Pisanus, Canonicus Ferrarien., iuris utriusque doctor, in Univer- « sitate Pisana in iure Romano ordinarie legens ». Promotus fuit ad episcopatum Pennensem,[10] postea ad Lucanum.[11] - Alexander VI qui Phelinum, episcopum Lucanum, assumpserat in suum *referendarium domesticum* et ideo declaraverat vacantem locum Rotae, tentum ab ipso Phelino « ut onera sibi commissa et curam ... que nobis

[1] Eubel, l. c., II, pag. 139.
[2] *Arch. Rot., Ordinationes*, part. I, n. IV; *Manuale* 59; Vol. III, pag. 251, n. 146; *Arch. Rot., Libri rationum*, VIII.
[3] Ibi, *Invent. et testamenta*, part. II, n. II.
[4] Ibi, l. c.
[5] Eubel, l. c.
[6] *Arch., Rot., Admiss., Sixto IV*, n. 18.
[7] Ibi, n. 17.
[8] Ibi, *Admiss., Sixto IV*, n. 19.
[9] Vol. III, pag. 211, n. 125.
[10] *Arch. Rot., Manuale* 31; Eubel, l. c., II, pag. 236.
[11] Ibi, *Manuale* 48.

« quotidiana sollicitudine impendit liberius sufferret, iterum Phelinum « Rotae restituit Locumtenentem; sed habita ratione laborum quos pre- « fatus Episcopus, suo magno incomodo... sustinet », eum definitive Rotam iussit reliquere.[1] Phelinus autem, Rotae valedicens, has litteras dedit « Reverendis dominis meis, dominis auditoribus Apostolicis:[2]

« Reverendi patres: Mitto absolutionem meam: quam, ego pre- « sentaturus eram, nisi supervenisset impedimentum:

« Commendo Vestris Dominationibus Dominum Marianum:

« Commendo Notarios qui mihi fidelissime servierunt:

« Commendo denique meipsum; Iubens huic scedule (*sic*) ut singu- « lorum manus humiliter deosculans, veniam petat de offensis et « negligentiis per me vobiscum sepe commissis his XVI annis quibus « consortio vestro mihi indigno frui datum est: pro vobis et singulis « vestris semper pro virili mea tenuitate paratissimus: feliciter valeant « R[everende] d[ominationes] v[estre]. Earumdem

« servitor obnoxius
« fel[inus] ».[3]

Quanta iuris doctrina emicuerit Felinus, sua opera ostendunt; quantae auctoritatis fuerit iam manifestant qui eum sequuti sunt iuris professores, dicta Felini suis in operibus saepissime referentes: illius laudes concinit Berninus in suo opere *La Sacra Romana Rota*.

*Liber iuramenti*, pag. 37: « Felinus Sandeus ».

340. *Matthaeus de Ubaldis*. - Colligendum videtur ex epistola quadam a Matheo Auditoribus missa sub die 5 nov. 1482, et Rotae Archivio in libro *Privilegia, t. I, part. III* asservata, Matthaeum electum fuisse in Auditorem circa annum 1477, sed illius receptionem nondum fuisse mense nov. 1482 perfectam: scribit enim ipse:

« Reverendi Patres et Domini, Domini mei observandissimi... Iam- « dudum intellexi et plane cognovi Dominationibus vestris gratam esse « modestiam, easque non tam sollicitudine, vehementia et importunitate « moveri, quam iustitia et honestate; propterea iam quinquagesimum « et tertium agens annum, ultra quinque annos expectavi gratiam « dominationum vestrarum, nihil umquam attentans quod alicui de « Collegio Vestro posset esse molestum. Et interea non me in turpe « otium et desidiam dedi, sed exercui in patria legendi officium, et, « ni fallor, satis honeste. Placeat ergo iam me humilem et gratiam

[1] *Arch., Rot., Ordinationes*, part. I, nn. XIII et XIV.
[2] Ita in dorso cedulae, manu ipsius Felini ex integro conscriptae.
[3] *Arch. Rot., Privilegia*, tom. I, part. III, n. 33.

« vestram suppliciter postulantem suscipere. Ero utique D. V. filius « et servitor etiam in privatis. Valeant feliciter V. R. D. quibus me « humiliter commendo. Perusii die v nov. 1482. Filius et servitor « Mattheus de Ubaldis u. i. doctor Perusinus ». Utrum illico fuerit tandem aliquando admissus documentis nescimus: illius tamen nomen occurrit saepius in *Manuale* 24 annos complectente 1481-1492. - Sub Alexandro VI in « *Ordinat.* n. XIV ». memoratur Locumtenens, episcopus Nucerinus, inter F. Brevium Ceneten. et Antonium Corsettum Melevitan. promotus ad illam ecclesiam die 28 maii 1498.[1] - In *Libr. rat. VIII* describitur praesens in Rota adhuc anno 1508.

*Liber iuramenti*, pag. 13: « Mattheus de Ubaldis Perusinus, Epi- « scopus Nucerinus ».

## § XIII.

### Innocentius VIII.

*(24 aug. 1484 - 25 iul. 1492).*

« Iohannes Baptista Cybo 1484 die dominico 29 augusti fuit « assumptus (in Papam); 1492, 25 mercurii mensis iulii obiit ».[2] - Successit Sixto IV, et iusto et rationabili zelo motus, die 23 aug. 1485 publicavit suam Constitutionem *Circumspecta in omnibus*,[3] iubens, in posterum nullum Auditorem Rotae promotum ad aliquam Cathedralem vel Metropolitanam ecclesiam, vel si iam promotum contigerit transferri, posse adhuc permanere in Rota locumtenentem. Quae quidem Constitutio nullam tamen unquam nacta est executionem, uti fuse retuli in I operis parte, suis locis. - Anno, vero, 1486 celebrem edidit Constitutionem *Finem litibus*[4] qua valde immutavit ordinem iudicialem sacri Tribunalis.

*Vice-Cancellarius* gessit Rodericus Borgia, episcopus Portuen.[5]

#### Auditores ab Eo promoti.

*Ad Episcopatum*, Antonius de Grassis, Decanus; Eggerdus Dürecop.

#### Auditores ab Eo creati

Magistri:

341. *Eggerdus Dürecop*, decretorum doctor, Mynden. et Hildefemen. ecclesiarum decanus et Canonicus, admitti debuit « infra triginta

[1] Eubel, l. c., II, pag. 227.
[2] Dr. L. Schmitz-Kallemberg, op. cit., pag. 74; vol. III, pag. 217, n. 127.
[3] Vol. III, pag. 220, n. 131.
[4] Ibi, pag. 221, n. 132.
[5] *Arch. Rot., Admiss. Innoc. VIII.*

« dierum spatium a die presentationis mandati ... computandorum et « immediate sequentium ..., servatis servandis ..., ut est moris ».[1] - Promotus ad ecclesiam Slewicen. anno 1489, ac de hoc nomine postea in Rotae textibus vocatus usque dum inibi mansit Locumtenens.[2]

342. *Petrus de Accoltis*, Aretinus, filius « olim clarissimi iurisconsulti Domini Benedicti de Accoltis de Aretio, atque excellentissimi « iurisconsulti Domini Francisci de Accoltis de Aretio nepotem, « iuris utriusque doctor qui . . . . . in Pisarum Studii Universitate « pluribus annis cathedram ordinariam rexit ».[3] - Ex *Manuale* 24, (1491-1492) colligitur Petrum Auditorem extitisse iam anno 1492, et cum Petrus Decanus fuerit post Guillermum de Pereriis,[4] sed immediate ante Achillem de Grassis, cumque hic certe Auditor renunciatus sit anno 1485, Petrus ideo auditoratum recipere debuit non serius anno 1484. - Decanum egit a die 17 nov. 1500,[5] ad diem 4 apr. 1505 quo promotus fuit ad ecclesiam Anconitanam,[6] perseverans tamen sedere in Rota Locumtenens.[7] - A Iulio II, Ravennae in Consistorio diei 10 mart. 1511, creatus fuit cardinalis.[8]

*Liber iuramenti*, pag. 17 : « Petrus de Accoltis, Aretinus - Epi« scopus Anconitanus - Cardinalis creatus a S. D. N. Iulio II ».

343. *Philippus Tristani de Deciis*, clericus et iuris utriusque doctor Mediolanensis « Qui, ut accepimus, in pisarum et senarum « studiorum universitatibus pluribus annis Chatedram ordinariam rexit « et apud nos de licterarum excessiva Doctrina, vite munditia et « morum honestate Aliisque probitatis et virtutum meritis fidedigno« rum Testimonio Multipliciter commendatur, et ut accepimus nostris « et Ro. ecc$^{e}$. obsequiis proponit insistere »,[9] electus fuit ab Innocentio VIII, die 2 octobris 1486.[10] Sed, teste Gomez,[11] admitti non valuit, bastardus cum esset.

[1] *Arch. Rot., Admissiones Innoc. VIII,* n. 1.
[2] Ibi, *Manuale* 24, 26, 36; Eubel, l. c., II, pag. 263.
[3] Ibi, *Admissiones Innocentio VIII*, n. 2.
[4] Ibi, *Manuale,* 49. Cfr. Part. I, Cap. III, *De Decano.*
[5] Ibi, citat. *Manuale* 49.
[6] Ibi, *Manuale* 76.
[7] Ibi, *Libri rationum,* VIII, ann. 1507, 1508.
[8] Ibi, *Manuale* 76, sub. die 15 martii 1511.
[9] Ibi, *Admissiones Innoc. VIII,* n. 4.
[10] Ibi, l. c., n. 5.
[11] *Comm. in Reg. Cancell.*, citat. edit., pag. 382. - Praeterea, narrat Lotterius in *Apparat.* (*de re benef.* l. I) n. 139, alium bastardum, electum in Auditorem sub Sixto IV, ab Rota repulsum fuisse prout Lotterius legerat « *in quodam Diario manuscripto illius temporis* » quemdam Antonium de Parma. Auditores tanta animi constantia restiterunt Papae « fulminanti et vincula minitanti » quod quam

344. *Guitto de Ottavianis*, « Clericus Aretinus ac ordinarius iuris « Canonici lector in Studii Universitate Pisarum atque aliquot annis « Romae degens ubi laudabiliter vixit ».[1]

345. *Achilles quondam Baltassaris de Grassis*, clericus Bononien., utriusque iuris doctor, electus in locum Antonii de Grassis, episc. Tiburtini, recipi non debuit « nisi postquam ipse Antonius cesserit, « vel dictum officium auditoriatus quomodolibet dimiserit ». Quod reipsa contigit die quo Antonius, Locumtenens, officium dimisit « in « manibus nostris (Papae) sponte ».[2] Anno 1505, vacato Decanatu per promotionem ad sedem Anconitanam Petri de Accoltis, Achilles habuit se pro Decano, uti patet ex Mandato Iulii II, in cuius dorso Achilles se sua manu signavit, hisce verbis: « Ego Achilles de Grassis « S. Palatii cas. ... Auditor et Decanus indignissimus manu propria ».[3] Die 14 februarii 1506, episcopus Civitatis Castelli,[4] mansit in Rota Locumtenens,[5] usque dum a Iulio II fuit assumpus ad Cardinalatus honorem Ravennae die 10 martii 1511, una cum Petro de Accoltis.[6]

*Liber iuramenti*, pag. 21: « Achilles de Grassis, Bononien. E.pus « Civitatis Castelli Cardinalis creatus a S. D. N. Iulio II ».

346. *Alphonsus de Soto*, Hispanus, Thesaurarius Camacen., utriusque iuris doctor. Talis perhibetur in *Admissiones* ubi asservantur copia motusproprii collationis, originale motusproprii suspensionis factae collationis si Auditores illam non admiserint, et copia mandati denuo concessae collationis.[7]

## § XIV.

### Alexandro VI.

### (*11 aug. 1492 – 18 aug. 1503*).

Rodericus Borgia, « 1492 Sabbati XI augusti assumptus », obiit anno 1503, die XVIII augusti.[8]

Auditoribus Rotae confirmavit privilegia in expectativis[9] – eisdemque suis reformationibus inhibuit quominus officio fungerentur

bastardum admitterent, auditorium deserere et clam fugam proripere maluerint. – Verum, neque in *Admissiones*, neque in alio quovis rotalis archivii textu horum factorum vestigium ullum inveni.

[1] *Arch. Rot., Admissiones Innoc. VIII*, n. 6.
[2] Ibi, nn. 7, 8, 9.
[3] Vol. III, pag. 242-243, n. 143.
[4] *Arch. Rot., Manuale* 81.
[5] Ibi, *Libri rationum*, VIII.
[6] Eubel, l. c., III, pag. 184.
[7] *Arch. Rot.*, l. c., nn. 10, 11, 12.
[8] Dr L. Schmitz-Kallemberg, op. cit., pag. 75; Moroni, *Diz. v. Alessandro VI.*
[9] Vol. III, pag. 227, n. 137.

Oratorum et in Rota manerent Locumtenentes:[1] quae tamen non obtinuerunt. Constitutionem emanavit contra offendentes suos collitigantes in curia quam quotannis in apertura Rotae legi mandavit.[2] Denique « mandavit ut commissiones eius manu signate et eius man- « data et citationes coram Auditoribus Palatii etc. nonnisi per cur- « sores pontificios deferrentur ».[3]

*Vice-Cancellarium* gessit Ascanius Vicecomes, card. diaconus.

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Episcopatum* Franciscus Brevius.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

347. *Dominicus de Iacobatiis*. Illius processus, sex paginis cum dimidio dicta sex testium continentibus, constans, edocet testes admissos fuisse a Commissariis Rotae in illa causa, Petro de Accoltis et Achille de Grassis, Auditoribus, *die 11 dec. 1492*. Ortus ex honesta et mediocriter divite familia, antequam officium Auditoratus reciperet, Dominicus fuerat Auditor Locumtenentis civitatis Bononiae ubi iudex integerrimus et incorruptibilis reputabatur, postea vero Romae per aliquot annos legit ordinarie Ius Romanum in Universitate Romana, et advocatum egit. Aetatis suae anno 34 aut 40 (in hoc testes processus sunt varii) Auditor renunciatus est.[4] – Decanus post Petrum de Accoltis a die 14 febr. 1506[5] - anno 1511, die vero 8 novembris, elatus ad ecclesiam Lucerinam.[6] - Leo X in consistorio diei 1 iul. 1517 eum sacra purpura cohonestavit.[7] - Plura in laudem Dominici scribit ex Ciacconio Berninus in sua *Sacra Romana Rota* quae tamen accipienda sunt cum grano salis; nam ipse asseverat Dominicum creatum fuisse Auditorem anno 1490, dum constat invicte Auditoratum ei fuisse collatum tantum sub fine anni 1492. Placet tamen heic referre elogium inibi relatum, nempe quod Dominicus fuit « inter doctos patres nobilissimus, inter nobiles doctis- « simus, inter utrosque optimus, inter omnes modestissimus ». – Fuit etiam Urbis Vicarius et, qua talis datus Iudex et executor

[1] Vol. III, pag. 232, n. 138.
[2] Ibi, pag. 238, n. 142.
[3] *Arch. Vat., Alex. VI*, 29, t. 55, p. 25[t].
[4] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. I.
[5] Ibi, *Libri rationum*, VIII; *Manuale* 75.
[6] Ibi, *Manuale* 89; EUBEL, l. c., vol. III, pag. 247.
[7] EUBEL, l. c., vol. III, pag. 17.

Constitutionis Leonis X *Sedis Apostolice providentia.*[1] – Scripsit *de loco, modo et auctoritate Conciliorum, de donatione Constantini*, et *de utroque gladio Ecclesiae.*

*Liber iuramenti*, pag. 5: « Dominicus de Iacobatiis Romanus, « Cardinalis creatus a Leone X ».

348. *Antonius de Monte* (*Ciocchi del Monte*). Iuris utriusque doctor, Praepositus Aretinus,[2] subrogatus fuit b. m. Petri Ferrera, die 27 martii 1493.[3] - Iulius II multipliciter illius opera usus est, eumque secum in Romandiolam duxit.[4] - Promotus ad episcopatum Civitatis Castelli,[5] et postea ad archiepiscopatum Sypontinum,[6] fuitque A. C. Auditor. Tandem anno 1511 idem Iulius II eum creavit cardinalem.[7] Narrat cardinalis Pallavicino:[8] « Il Cardinale del Monte San Savino haveva « da Giulio II ricevuta la Porpora in guiderdone di una sentenza « data intrepidamente da lui nella Rota Romana contro le reiterate « e caldissime raccomandazioni dello stesso Pontefice ».

*Liber iuramenti*, pag. 25: « Antonius de Monte, Florentinus, « Archiep. Sypontinus, Camerae Ap. Auditor, et Cardinalis creatus « a S. D. N. Iulio II ».

349. *Antonius Flores.* In *Manuale* 28, apparet mense iunio an. 1494. - Electus Castellimaris,[9] deinde episcopus Castellimaris.[10] - In processu Dragatii anno 1495,[11] occurrit cum Antonio de Monte et perhibetur prothonotarius Apostolicus.

350. *Iohannes de Cubellas.* Creatus Auditor ab Alexandro VI, Motuproprio *de vacaturo* anno pontificatus ipsius tertio. – Erat decretorum doctor, Canonicus Salamantinus « et in eodem Studio cathedram iuris Canonici legens ».[12]

351. *Iacobus Dragatius.* i. u. d., familiaris et commensalis Papae continuus, in locum, vacantem per obitum Matthaei de Porta electus et subrogatus fuit cuius Motusproprius est sub die 13 novembris 1494. Cum vero e curia Ascanius Vicecomes, Vice-Cancella-

[1] Vol. III, pag. 258, n. 150.
[2] *Arch. Rot., Processus Dragatii* (*Processus*, vol. I, n. II).
[3] Ibi, *Manuale* 26.
[4] Ibi, *Manuale* 44 et 64.
[5] Ibi, citat. *Manuale* 64.
[6] Ibi, *Manuale* 78.
[7] Ibi, citat. *Manuale* 78.
[8] *Historia del Conc. di Trento*, l. I, c. 1, n. 3; cf. Ciacconius in eius vita; Bernino, *La Sacra Rota*, pag. 307–308.
[9] *Arch. Rot., Manuale* 38.
[10] Ibi, *Manuale* 42, 53.
[11] Ibi, *Processus*, vol. I, n. II.
[12] *Arch. Rot., Admiss. Alex. VI*, n. 1.

rius, abesset et receptionem Iacobi fieri commisisset Cancellariae Regenti, Auditores ad Iacobi admissionem procedere noluerunt quippe quod, Vice-Cancellario absente, facienda in admissione novi Auditoris coram cardinale dumtaxat erant facienda. Quapropter Alexander VI novo Motuproprio diei VI martii 1495, loco Ascanii absentis deputavit cardinalem tituli Sanctorum Nerei et Achillei ad recipiendum Iacobum qui reipsa receptus et admissus tandem aliquando fuit.[1] - Processus Iacobi est sub dato 20 iun. eiusdem anni. Oriundus ex Sclavonia, filius nobilium Dragatii de Dragatiis et Margharitae Matagnon de Tragurio Illiricorum, lauream doctoratus consequutus fuerat in utroque iure Patavii, et in illa studiorum Universitate ius civile cum laude legerat per aliquot annos. Beneficiatus Tragurien. et Sibinicen.; Vicarius Sibinicen. et Arelaten. Vir optimae famae et consilii, destinatus fuerat Orator ad Regem Franciae, anno aetatis suae 44; sed creatus fuit Auditor Rotae.[2] - Promotus ad ecclesiam Modrusien.,[3] sedit in Rota Locumtenens et obiit Romae an. 1498[4] certe post diem 27 iulii, quo unus ex subrogatis fuit Petri de Accoltis e curia ad tempus discessi.[5]

*Liber iuramenti*, pag. 29: « Iacobus Dragatii ».

352. *Iohannes Vannulius*. Iuris utriusque doctor, Locumtenens A. C., habuit locum Iacobi Dragatii, « electi Modrusien. *nuper in R. C. defuncti* ».[6] - Extat in *Admiss.*[7] et Motusproprius Antonii Corsetti in quo legitur Papam suspendisse, cassasse et annihilasse *pro hac vice* Motumproprium Iohannis Vannulii. Sed die 20 mart. 1500 sub quo est fabricatus processus Antonii Corsetti, Iohannes Vannulius erat Auditor cum Antonio de Monte coram quibus, legitur, testes processus fuisse excussos. Et in *Manuale* 42, de mense oct. 1500. I. Vannulius reperitur in exercitio sui muneris iudicialis. - Processus illius est coram Iacobatio et De Monte ac datam praesefert 18 ianuarii 1500.[8] Natus ex Iuliano et Alexandra Vannulii oriundis e Castronovo dioec. Lucan., et Bononiae lauream doctoralem in utroque consequutus, Bononiae legit *diebus festivis* ius Canonicum; Lucae, ius civile, et Romae in Decretalibus. Aaetatis suae anno 40, circiter, Auditor

[1] *Arch. Rot., Admiss. Alex. VI*, nn. 3, 4, 5, 6 et 7.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. II.
[3] Ibi, *Manuale* 40.
[4] Ibi, *Admiss. Alex. VI*, n. 8, Mp. I. Vannulii.
[5] Ibi, citat. *Manuale* 40.
[6] *Arch. Rot., Admiss. Alex. VI*, n. 8.
[7] Ibi, l. c., n. 9.
[8] Ibi, *Processus*, vol. I, n. III.

Rotae renunciatus est. Erat Canonicus Pisanus et Lucanus. - Sedit in Rota certe usque ad an. 1511.[1]

*Liber iuramenti*, pag. 29: « Ioannes Vannuccius, Lucen. ».[2]

353. *Antonius Corsetti*, i. u. d., clericus Siracusanus.[3] - Antonio Corsetto concessus fuit locus Rotae datus antea Vannulio, coram quo et Antonio De Monte auditi fuerunt testes processus Antonii, tribus tantum elapsis mensibus a die quo fabricatus fuerat processus Vannulii, anno 1500, sub die 20 martii.[4] - Nobilis natalibus, oriundus de Terra Noti dioeceseos Siracusanae ac patrimonio perdives, fere 1000 flor. habebat annuatim in portatis. Lauream in utroque iure adeptus erat Bononiae, et in illa Universitate studiorum legit per multos annos, habitus doctor famosissimus et gravis moribus. – Fuerant e Sicania qui Antonium incusarant de illegitimitate natalium; sed appulsus Romae per id temporis Vicarius episcopi Siracusani, auditus fuit, et retulit Antonium fuisse legitimum et accusationem motam esse *a Siculis aemulis suis*. - Die 20 dec. 1501 promotus fuit ad eccles. Melevitanam,[5] mansitque in Rota Locumtenens. - Anno 1504 vel 1505 successorem habuit Iohannem Antonium Trivultium. - Antonii Corsetti sapientiae testimonium perhibet Ioan. Thierri, ligonensis, qui an. 1542 typis B. Vincent edidit « singularia d. Antonii « Corseti, siculi, i. u. d., in studio Bononiensi edita, cum additionibus « factis in Studio Patavino celeberrimo, anno salut. 1490 ibidem iura « pontificia de mane ordinarie legentis ».

*Liber iuramenti*, pag. 37: « Antonius Corsettus ».

354. *Marianus de Bartolinis*. Clericus perusinus, u. i. d., habuit Motumproprium collationis Auditoratus primo ei factae *nunc pro tunc* et secundo quum locus vacavit Phelini Sandei electi Lucani.[6] - Phelinus, Rotae valedicens, Auditoribus[7] *Dominum Marianum* commendaverat ante Notarios, ante semetipsum: et locus ipsius Felini nondum vacans eidem Mariano concessus est: num Marianus fuerat Phelini studiorum Adiutor? - *Manuale* 42 adnotat sub die 15 mart. 1503: « Marianus « de Bartolinis de Perusio, i. u. d., in Auditorem causarum s. p. a. « *noviter assumptus* ». Anno vero 1504, mense februario, adnotat idem

[1] *Arch. Rot., Manualia* 42, 81, 84.

[2] Male scriba Libri iuramenti scripsit *Vannuccius;* nam tum processus, tum Libri rationum VIII, tum Manualia nitide referunt *Vannulius*.

[3] *Arch. Rot., Admiss. Alex. VI,* n. 9.

[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. IV.

[5] Ibi, *Manuale*, 52.

[6] *Arch. Rot., Admiss. Alex. VI,* n. 10 et 11.

[7] Vide supra, pag. 71, n. 339. *Phelinus Sandeus*.

*Manuale*, Andream de Basignana subrogasse Marianum, quem Iulius Pp. II legatum mittebat « ad gloriosissimum Maximilianum Romano-« rum Regem, pro tota Germania destinatum ». - Thesaurarius an. 1506 ad mensem oct. 1507: [1] numquam Decanus. [2] - Quanam, vero, die morte oppetierit Bartolinus, exacte non apparet. Eum obiisse die *8 oct. 1509* asserit Cantalmaius qui (mirandum quidem), eodem loco referens inscriptionem sepulchralem Mariani, non percipit hanc aperte narrare Marianum fuisse Naviterio extinctum die *X sept.* illius anni. Ex *Manuale* 60 clar. Hilling colligit Mariani extremam vitae diem fuisse *9 nov. 1509*. Sed ambigi posse mihi non videtur revera Marianum ex hac vita migrasse die x sept., uti refert funebris illius inscriptio. Enimvero narrat *Manuale* 79 sub die 1 oct. 1509 causas pendentes reassumptas fuisse a Iacobatio *per obitum b. m. Mariani de Bartolinis*. Profecto si Marianus die *1 oct.* erat iam *bona memoria*, si *per obitum* illius causae coram eo pendentes reassumebantur ab Auditoribus die *1 octobris*, Marianum quis dicet non extinctum de mense septembris? Et quoniam lapis sepulcralis inter septembris dies assignat decimam, ratio non subest cur hanc non acceptemus. Ceterum huiusmodi diversitas in datis penes *Manualia*, mira non est, quippe quod Bartolinius ab Urbe procul, nempe *Naviterio*, defunctus est. - In *Admiss.* [3] servatur epistola cuiusdam Nicolai de Parma qui contra nominationem Mariani invehit et inter alia Auditoribus scribit: « *Videant D. V.* (dominationes vestrae) *quam iniquum et nocivum sit* « *hoc semen pro orto vestro!* ... ». Et tamen iniquum et nocivum hoc semen Iulius II bis in Germaniam Apostolicum Legatum misit, et si funebri praedictae Inscriptioni est fides danda, *ius integerrime dixit* et an. XLIV aetatis suae *summo bonorum et Curiae dolore extinctus est, Naviterio.*

*Liber iuramenti*, pag. 33: « Marianus de Bartolinis ».

355. *Antonius Bons. Liber iuramenti*, pag. 45: « Antonius Bons, « Hispanus ».

[1] *Arch. Rot., Libri rat.*, n. VIII.
[2] Vide Part. I, caput III, *De Decano*, nota ad n. 13
[3] *Arch. Rot., Admiss. Alexandro VI*, n. 12

# CAPUT VII.

## § I.

### Soeculo XVI.

### Sacrae Romanae Rotae generales notae per soeculum XVI.

1. – Sacrae Rotae Tribunal quod, saeviente adhuc schismate, superius soeculum ingressum fuerat languescens, sapientissimis latis legibus et immani pugna, quam contra corruptos et corruptorum patronos Rota pugnavit, firmatis viribus, soeculum XVI ingreditur eiusque annos explet in pleno suae virilitatis flore.

2. – Non in tribunalis ordinationem, neque in melius hominum delectum gubernandum, sed paucis exceptis, in veterum ordinationum firmamentum conduntur leges, attestante ipso Summo Pontifice nil in Rotae Tribunale inveniri reformatione dignum, nullum sapientiorem laudeque digniorem Auditoribus Rotae adesse.

3. – Profecto, hoc soeculo floruerunt Iacobatius, Campeggius, Simonetta, Vipera, Cassador, Gomez, Puteus, Seraphinus Olivarius Rezzalius, Mantica, ne ceteros omnes memorem, quorum qui doctrinae laude alios excellant dictu difficile est; floruit et venerabilis ille Paleottus qui in Bononiensem archiepiscopum assumptus et sacra purpura cohonestatus, Rotam non secus ac Sacrum Collegium virtutum suarum odore laetatus est.

4. – Hisce in adiunctis, Sacra Romana Rota, veluti mater plenissimae virtutis, Papam generare apta erat: huncque generavit reipsa: soeculo ad finem enim vergente, in Papam eligitur Hyppolitus Aldobrandini, qui sibi nomen sumpsit Clementis VIII, quique suam suorumque fortunam non aliunde nisi a Rota derivasse, palam confiteri gloriabatur.

## § II.

### Pius III.

*(22 sept. 1503 - 18 oct. 1503).* [1]

Electus Pontifex die 12 sept. 1503, obiit die XVIII oct. eiusdem anni.

[1] *Arch. Rot., Manuale* 44.

## § III.

## Iulius II.

*(1 nov. 1503 - 20 febr. 1513).* [1]

Iulianus de Ruvere, saonensis, creatus fuit Pontifex kalendis nov. 1503. - Auditoribus Rotae facultatem concessit « ex bonis ex « reddititibus Ecclesiasticis, utcumque quaesitis, testandi » ; [2] - expectivas confirmavit; [3] - ac Rotae causas commisit super capitulis Cardinalium [4].

Obiit die 20 februarii an. 1513. [5]

*Vice-Cancellarium* habuit Ascanium M. Vicecomes, Galeottus de Ruere, Sixtus Gava de Ruere, cardinales. [6]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* P. de Accoltis; A. de Grassis; A. del Monte.

*Ad Episcopatum:* P. de Accoltis; A. de Grassis; A. del Monte; D. de Iacobatiis; L. Campeggi; I. Staphileus.

Auditores ab eo creati:

Magistri:

356. *Iohannes Careri de Salis.* Clericus Dioec. Caturien., i. u. d., fuerat iam in Auditorem ab Alexandro VI electus et ab eodem dispensatus quia erat non in *utroque* doctor, sed tantum Licentiatus: at plurimis annis cathedram Magistralem tenuerat et de illius doctrina Alexander sufficientem relationem habebat. Mortuo Alexandro VI et illius successore Pio III, Iulius II cum invenisset Ioannem « ad eumdem « locum nondum admissum », de novo Motuproprio eum providit. [7]

357. *Andreas de Basignana.* Clericus Papien., i. u. d., « qui in « universitate studii Papien. viginti annis vel circa cathedram rexit ». [8] - Processus est sub data 27 ian. 1504: natus ex Bertrano « de familia « de Pomo », in Castro Basignana, uxorem duxerat quacum filios genuerat: uxore defuncta, clericus factus est et Papiae legit in Universitate ius utrumque viginti annis vel circiter; Canonicus Eccl. Col-

[1] *Arch. Rot., Manuale* 78.
[2] Vol. III, pag. 246, n. 145.
[3] Ibi, pag. 243, n. 144.
[4] Ibi, pag. 242, n. 143.
[5] *Arch. Rot., Manuale* 78.
[6] Ibi, *Admiss. Iulio II.*
[7] Ibi, *Admiss. Alexandro VI,* n. 13; *Iulio II,* n. 1.
[8] *Arch. Rot., Admiss. Iulio II,* n. 6.

legiatae S. Romani et Coadiutor Ecclesiae S. Mariae in Pertica illius civitatis. Cum auditoratus ei collatus fuit, 40 annorum erat « modestus « et ponderatus homo, ... morigeratus, egregius, gravis moribus et hone- « state conversationis » cuius bonorum redditus quae magna ex parte industria sua acquisierat, annuatim 4 vel 5 millia ducat. attingebant. [1] – Mense februario 1504 subrogavit Marianum de Bartolinis, Legatum missum ad Regem Romanorum Maximilianum. [2] - Thesaurarius per annos 1507-1508. [3]

*Liber iuramenti,* pag. 49: « Andreas Basignana ».

358. *Aloysius Davantius.* Successit in locum Hieronimi Porcarii defuncti die 12 nov. 1503. Illius Motusproprius in *Admiss.* eum exhibet clericum Venetum, iuris utriusque et Theologiae doctorem. [4]

359. *Benedictus Adam.* Praepositus Ecclesiae Nerinen., i. u. d. [5] – Anno 1506 erat Auditor; [6] – anno 1508 Thesaurarium egit post Andream de Basignana et scribere mandavit *Librum* quem vocavi *iuramenti* « in mense iulii ». Praedicatur ipse, pag. 25 et 26 illius antiqui Libri: « Benedictus Adam Gallicus, utriusque iuris doctor, « Auditor Rote et Thesaurarius etiam Cappelle Rote ac Prepositus « Sancte Ecclesie Anicien... ». - In novo autem *Libro iuramenti,* pag. 37: « Benedictus Adam Gallus, Thesaurarius Rotae ».

360. *Mercurius de Vipera.* Thesaurarius Ecclesiae Beneventanae, i. u. d. [7] - Auditor Rotae iam die 8 ianuarii anni 1505 - mense octobri 1505 cum aliis Auditoribus subrogavit Achillem de Grassis exeuntem e Curia ad tempus. [8] - Decanus post Iacobatium anno 1511, [9] Regens S. Poenitentiariae; electus Balneoregien, anno 1523; in excidio Urbis fuit captus et extinctus anno Domini 1527, septimo kal. iulii. [10] - Cassadorus saepius in suis Decisionibus eum memorat, illum dicens « Decanum nostrum, virum profundae memoriae ».

In antiquo *Libro iuramenti,* pag. 36, de morte Mercurii adnotatur: « In excidio Urbis fuit captus et extinctus anno Domini 1528 « septimo kal. iulii »: sed per errorem. [11]

[1] *Arch. Rot., Processus,* Vol. I, n. V.
[2] Ibi, *Manuale* 42.
[3] Ibi, *Libri rat.,* n. VIII.
[4] Ibi, *Admiss. Iul. II,* n. 5.
[5] Ibi, *Admiss.* l. c., n. 2.
[6] Ibi, *Libri rat.,* n. VIII.
[7] Ibi, *Admiss., Iul. II,* n. 3.
[8] Ibi, *Manualia* 66 et 63.
[9] *Manuale* 80.
[10] *Manuale* 147; Eubel, l. c., pag. 142.
[11] Data mortis Mercurii clarissima est in citato *Manuale* 147 et in *Manuale* 143; ideo per errorem scriba Libri iuramenti scripsit: anno 1528, loco: anno 1527.

*Liber iuramenti*, pag. 41 : « Mercurius de Vipera, Beneventanus, « Regens Sac. Poenitentiariae ».

361. *Iohannes Antonius Trivultius* (vel *de Trivultiis*). Clericus Mediolanen, i. u. d. - successit « in locum b. m. olim Ven. fr. n. Anto- « nii Corsetti Episcopi Melevitani... Locumtenentis... seu in loco « unius ex pluribus locis Auditorum dicti Palatii vacantibus, » [1] anno, ut videtur, 1504 vel 1505 post Mercurium De Vipera ; nam anno 1505 erat quidem Auditor Rotae [2] et in antiquo *Libro iuramenti* enumeratur immediate post Mercurium. [3] « Multis annis officium Auditoratus Came- « rae, Locumtenens constitutus,... laudabiliter exercuerat ». [4] - Obiit Auditor Rotae die 19 novembris 1522. [5]

*Liber iuramenti*, pag. 45 : « Ioannes Antonius Trivultius, Me- « diolanen. ».

362. *Bartholomaeus de Bologninis. Manuale* 76 scimus ipsum fuisse Auditorem iam de mense iun. 1510, appellatum *de Bologninis*.

*Liber iuramenti*, pag. 49 : « Bartholomeus Bologninus, Bononien. ».

363. *Iohannes Staphilaeus*. Rotae archivium nullum illius admissionis asservat documentum. Attamen *Manuale* 76, indubie firmat, Staphilaeum Auditorem Rotae fuisse iam mense aug. 1510. Die 1 octobris 1528 erat iam mortuus, forsan in excidio Urbis. [6]

*Liber iuramenti*, p. 9 : « Iohannes Staphileus, Episcopus Sibe- « nicen. ».

364. *Bartholomaeus de Petrasancta*. In *Admiss.* illius nomen occurrit in Motuproprio sui successoris Petri Worst. *Manuale* 79 eum perhibet Auditorem an. 1510, et, si fides dari posset chronologiae *Libri iuramenti*, videretur Bartholomaeus successisse in locum M. de Bartolinis defuncti anno 1509. - Obiit die 6 aug. 1523. [7]

*Liber iuramenti*, pag. 33 : « Bartholomeus de petra sancta ».

365. *Iacobus Simonetta*. Desideratur in *Admiss.* quodlibet documentum admissionis istius celeberrimi Rotae Auditoris. Sed *Manualia* 76 et 82 ipsum die 18 februarii an. 1511 testantur, Auditorem fuisse. - E Mediolano erat - Decanus post Mercurium Vipera [8] ab an. 1523, ad

[1] *Arch. Rot., Admiss. Iul. II*, n. 4,
[2] Ibi, *Manualibus* 63 et 68.
[3] Ibi, p. 26.
[4] Ibi, *Admiss.*, l. et n. citatis.
[5] *Manuale* 128. In *Libris rat.*, n. VIII, sub die 16 decembris 1506 italice appellatur *Treultio:* clar. Hilling (*Die Römische Rota*, etc.) legit: *De Trimultiis;* sed male; nam sine dubio legendum est *Trivultiis*.
[6] *Arch. Rot., Manuale* 150.
[7] Ibi, *Manuale* 134.
[8] Part. I, caput III, *De Decano*.

an. 1528, et qua talis recepit, inter alios, Mp. Petri Worst. - Die vero 17 iul. 1528, episcopus Pisaurien. renunciatus est.[1] - Sedit in Rota Locumtenens usque ad diem 20 maii 1535 quo ad cardinalatus honorem assumptus est a Paulo III.[2]

*Liber iuramenti*, pag. 13 : « Iacobus Simonetta Mediolanen. - Epi- « scopus Pisauren. - Cardinalis creatus a Paulo III ».

In *Ordinat.* (part. II, *de Notariis*) extat Mp. Pauli III quo Papa cardinali Simonettae committit iudicialem definitionem causae inter Notarios et Auditores Rotae ; insimul adest Mandatum eiusdem cardinalis authenticum, datum die 22 ian. 1537 quo ipse iubet notarios predictos sua officia vel penes proprios Auditores vel domibus domui propriorum Auditorum propinquae tenere.[3] - Rotali archivio stant duo diversa exemplaria manuscripta Decisionum Simonettae quae numero sunt 89, inter Decisiones editas post Martinum V omnibus vetustiores quae ad nos pervenerunt.

366. *Laurentius Campeggius*. Die 18 februarii 1511 « Honufrius « Balistari, Cursor, presentavit Rpd. Iacobo Simonetta et Laurentio « Campeggio, Auditoribus subrogatis, *commissionem generalem* in « domibus suis ».[4] - Die 12 novembris 1512 renunciatus est episcopus Feltren.[5]

*Liber iuramenti*, pag. 49 : « Laurentius Campeggius Bononien. « Cardinalis creatus a Leone X Pont. Max. kal. iulii 1517 ».

In fasciculo quo Notarii incoeperunt cronotaxim condere Auditorum, de Campeggio haec adnotata reperiuntur : « Campeggius Card. « in V creat. Leonis X 4 iul. 1517. Laurentius Campeggius Bono- « nien. Eps. Feltren. presbyter tit. S. Thomae in Parione, postea « S. Anastasiae ac S. M. Transtiberim ; Eps. Sarisburiensis, Creten- « sis, Parentinus, Bononiensis ... Albanus, Praenestinus, Sabinus, lega- « tus ad Caesarem ac in Germaniam et semel atque iterum ad Regem « Angliae, et pro Generali Concilio Vicentiae indicto et pro comitando « Carolo V Bononia in Germaniam redeunte. - Obiit Romae die « 25 iulii 1539 ».

367. *Guilermus Cassadorus* (*Cassador*). Admissus in Rota mense iunio vel iulio 1511.[6] - Promotus ad eccl. Algaren. iunio 1525,[7]

[1] Eubel, l. c., vol. III, pag. 292.
[2] Idem, ibi.
[3] Vol. III, pag. 284 ssq., nn. 158 et 159.
[4] *Arch. Rot., Manuale* 76.
[5] Eubel, l. c., vol. III, pag. 211.
[6] *Arch. Rot., Manuale* 84.
[7] Ibi, *Manuale* 148.

mansit in Rota Locumtenens. - Obiit in Hispania anno 1528 aut 1529.[1]

*Liber iuramenti*, pag. 17: « Gulielmus Cassadorus, Hispanus, « Episcopus Algaren. ».

Illius Decisiones, typis editae, aureae appellatae fuerunt et ab omnibus noscuntur.

368. *Paulus de Rubeis*, de Viterbio (*alias* de Canino). Praesens in Rota die 16 iulii 1511; obiit die 8 maii 1512.[2]

*Liber iuramenti*, pag. 21: « Paulus de Rubeis de Canino ».

369. *Nicolaus Gamorrini de Aretio*, successit Antonio de Monte an. 1512, et die 2 april. reassumpsit omnes sui antecessoris causas.[3] Die autem 9 oct. 1522, nuper reversus in Curiam a qua per breve tempus discesserat, viam universae carnis est ingressus.[4] - Cognonem illius sub hac die, prima vice documenta hodie existentia nobis revelant, cum semper antea nuncupetur in documentis: *Nicolaus de Aretio*.

*Liber iuramenti*, pag. 25: « Nicolaus de Aretio ».

370. *Hugo de Spina*. Ex *Manuale* 78, eruitur Hugonem iam fuisse Auditorem Rotae mense aug. 1512, quo cum aliis Auditoribus subrogatus fuit Nicolao de Aretio: ibi collocatur infra Simonettam et Martinum de Spinosa. Promotus ad eccl. Balneoregien. dec. 1522, obiit anno insequente (Eubel, *l. c.*, *III, pag. 142*).

*Liber iuramenti*, pag. 29: « Hugo de Spina ».

371. *Martinus Spinosa*, Salamantinus, mense augusti 1512 iam Auditor.[5] - Anno 1527 obiit mense decembri die vero 4 « in civitate « Caietae ... et ibidem sepultus ».[6] Retentum fuerat, Martinum necatum fuisse in excidio Urbis, ita ut Notarius in eodem *Manuale* 151 sub die 4 iunii illius anni 1527 illius mortem adnotet. Ast Martinus forsan, Gallis ad Urbem appropinquantibus, aufugit, Caietam petitus, ibique fuit mortuus et sepultus. *Manuale* 149 habet: « die 4 mensis « Decembris (1527)... venerunt nuncii ad Urbem de obitu b. m. Domini « Martini de Spinosa in regno Neapolitano in civitate Caietae defuncti ».

*Libro iuramenti* nomen huius Auditoris insertum non est.

372. *Petrus Paulus Capisucchus*, forsan Auditor subrogatus in locum Pauli de Rubeis, anno 1512, cum iam mense aprili 1513

[1] *Arch. Rot., Admiss.*, Motusproprius Nicolai Aragoniae datus die 9 febr. 1529.
[2] Ibi, *Manualibus* 82 et 85.
[3] Ibi, *Manuale* 72.
[4] Ibi, *Manuale* 123.
[5] Ibi, *Manuale* 78.
[6] Ibi, *Manuale* 151.

fuerit unus ex subrogatis Nicolai de Aretio.[1] - Decanus Rotae post Simonettam a die 27 iulii 1528 ad diem 7 novembris 1533 quo creatus fuit episcopus Neocastren.,[2] sub quo suae ecclesiae cognomine postea passim in Decisionibus coram se captis et in textibus[3] describitur: mansit enim in Rota Locumtenens.

*Liber iuramenti*, pag. 21: « Paulus Capisuccus, Romanus, Episcopus « Neocastren ».

## § IV.

## Leo X.

### (*11 martii 1513 – 2 dec. 1521*).

Iohannes de Medicis electus die 11 mensis martii 1513, obiit die 2 decembris 1521.[4]

Sub die 17 martii 1513 Constitutionem edidit *Sedis Apostolice providentia*, qua sanxit « quascumque litteras apostolicas tam gratiam « quam iustitiam seu mixtim concernentes quas quomodolibet ipsi « Auditores et Locatenentes pro tempore duxerint acceptandas posse « et debere ubique gratis expedire ».[5]

Sub die vero 13 decembris eiusdem anni 1513 aliam dedit Constitutionem *Pastoralis Officii* qua reformavit omnia Officia Romanae Curiae: in ea plura statuit quoad Procuratores et Notarios Rotae.[6]

*Vice-Cancellarium* habuit Xistum Gara card. de Ruvere et deinde Iulium card. Medices.[7]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Dominicus de Iacobatiis, Laurentius Campeggius.
*Ad Episcopatum:* Conradus Manlius.

Auditores ab Eo creati:

Magistri:

373. *Camillus Baglionus* (alias: *De Baglionibus*). Leo X, die 1 iul. 1517, creavit numero 31 cardinales inter quos Dominicum de Iacobatiis, Decanum Rotae, et Laurentium Campeggium, Rotae Auditorem; uni ex duobus (documentis nil aliud scimus) successit

[1] *Arch. Rot., Manuale* 83.
[2] Eubel, l. c., III, pag. 273.
[3] *Arch. Rot., Ordinat. de Notariis*, n. VII, an. 1537; vol. III, pag. 284, n. 159.
[4] Ibi, *Manualia*.
[5] Cfr. Vol. III, pag. 258, n. 150.
[6] Ibi, pag. 253, n. 149; Cfr. Part. I, cap. *De Procuratoribus - De Notariis*.
[7] *Arch. Rot., Admiss. Leone X.*

Camillus Baglionus quem Cathalogus *Recentiorum* Auditorem electum fuisse asserit anno 1517. Sed *Manualibus* comperii Camillum die 5 iun. 1518, fuisse cum aliis Auditoribus subrogatum Nicolai de Aretio et inibi recensetur ante Conradum Manlium qui cum eo alteri ex duobus memoratis cardinalibus successerat.[1] Ex motuproprio Hieronimi Veralli patet, hunc Camillo in romana curia defuncto successisse mense nov. 1534.[2]

*L. I.*,[3] pag. 49: « Camillus Baglionus, Perusinus ».

Decisiones illius manuscriptae inveniuntur in rotali archivio, uno volumine non magnae molis contentae.

374. *Conradus Manlius.* Catalogo *Recentiorum* et *Manualibus* scimus ipsum in locum fuisse suffectum vel cardinalis Iacobatii vel (verius) cardinalis Campeggi post mensem iulii 1517, quo Iacobatius et Campeggius creati fuerunt cardinales: equidem die 5 iun. 1518, ipse erat ex subrogatis Nicolai de Aretio.[4] - *Manuale* 130, sub die 21 maii 1522, refert, propter promotionem Conradi Manlii « nuper « eiusdem Palatii Apostolici Auditoris ad Episcopatum Balneore- « gien. », Conrado in Rota successisse Petrum Andream Gambarum.

*L. I.*, pag. 5: « Conradus Manlius, Mediolanen. ».

375. *Petrus Andreas Gambarus* (alias *Gammarus*, aut *Bambarus*), electus et creatus fuit Auditor a Leone X; sed Leone X defuncto, admissus fuit in Rota sub Hadriano VI, die 21 maii 1522, sub qua die *Manuale* 130 habet: « Rpd. Petrus Andraeas Gambarus, Bono- « nien., Referendarius domesticus, iuris utriusque doctor, Rotam « intravit de mandato f. r. Leonis Pp. X ». Sed mortuo Leone admissus fuit « in locum Revdi in Christo patris Dñi Dñi Conradi « Manlii, Dei et Apost. Sedis gratia Episc. Balneoregien., nuper « eiusdem P. A. causar. Auditoris, propter dicti Rpd. Conradi Manlii « ad Ep.tum promotionem, ad Auditoratus gradum promotus et « assumptus et a sinistris Rpd. Mercurii de Vipera . . . Rote Decani, « pro Tribunali sedentis, sedit ». - Eodem *Manuale* scimus Hadrianum VI, mense iunii 1523, legatum misisse in Hungariam Petrum Andream, qui e Legatione rediit die 26 ian. 1524, quo causas in Rota sibi commissas reassumpsit. - Promotus fuit ad ecclesiam Faventinam.[5]

*L. I.*, pag. 5: « Petrus Andreas Bambarus, Imolen. ».

[1] *Arch. Rot., Manuale* 98.
[2] Ibi, *Admiss. Paulo III*, n. 1.
[3] Hisce duobus literis significabitur deinceps *Liber iuramenti.*
[4] Ibi, cit. *Manuale* 98.
[5] *Arch. Vat.*, lib. 249 *Bullarum Pauli III*, pag. 173, anno 1534.

Decisiones illius extant penes archivium Rotae manuscriptae quarum prima est sub data 22 maii 1522 et ipse inibi de se narrat, habuisse illa die *os adhuc clausum.*

## § V.

### Adrianus VI.

*(ian. 1522. - oct. 1523).*

Adrianus Florent van-Trusen electus mense ianuario 1522, obiit mense octobris 1523.[1]

Petrum Andream Gambarum legatum misit in Hungariam.

*Vice-Cancellarius* illi fuit Iulius card. Medices.[2]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Episcopatum:* Hugo de Spina; Mercurius de Vipera.

Auditor ab Eo creatus (*forsan*).

376. *Laurentius Petrusius* (*Petrucci*) qui in *Manuale* 140 iam perhibetur Auditor sub die 16 novembris 1524, quique sub die 10 maii 1525 describitur mala detentus valetudine, et de quo dein in eodem *Manuale* nulla amplius fit mentio.

*L. I.*, pag. 45: « Laurentius Petrutius, Florentinus ».

## § VI.

### Clemens VII.

*(19 novembris 1523 – 25 septembris 1534).*

Iulius de Medicis, florentinus, assumptus in Papam die 19 novembris 1523.[3]

Saeviente peste, ordinavit ut Rotae non amplius ter in hebdomada, sed dumtaxat bis deinceps fierent, nempe diebus lunae et veneris qui alias iuridici fuissent.[4]

Constitutione *Convenit aequitati* quinto nonas augusti 1525 data, Auditores Rotae declaravit « naturales in omnibus Regnis, domi- « niis et provinciis existere, ac in ipsis ... quaecumque, quotcumque « et qualiacumque cum cura et sine cura beneficia Ecclesiastica secu- « laria et regularia etiam ... qualificata ... perinde ac si ibidem oriundi

[1] *Arch. Rot., Admiss. Adriano VI.*
[2] Ibi, l. c.
[3] Ibi, *Admiss. Clemente VII.*
[4] Vol. III, n. 154, pag. 264; Cfr. etiam, Part. I, Cap. *De Feriis*, etc.

« et nati fuissent... recipere et retinere libere et licite posse... » [1] additis quamplurimis facultatibus et privilegiis de queis singillatim suis locis disserui in I huius operis parte, quibus sine expressa sacrae Rotae mentione derogatum non iri sancivit.

Obiit anno 1534, die 25 septembris. [2]

*Vice-Cancellarium* successive gesserunt Pompeius card. Columna et Hippolitus card. Medices. [3]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Episcopatum:* Petrus Paulus Capisucchi; Gulielmus Cassador.

AUDITORES AB EO CREATI:

Magistri:

377. *Ioannes Clericus* (*de Clerc*), iam Auditor mense septembri 1526. [4] - Sed cum in *Lib. 14 Bullarum Pauli III, pag. 243* [5] asseratur Ioannem successisse in officio Auditoris causarum Antonio de Trivultiis qui obiit die 19 novembris 1522, probabiliter anno 1523 Clericus hic noster sedit in Rota. – Decanus post Capisucchum a die 7 novembris 1533 ad diem usque 9 ianuarii 1535 quo creatus fuit episcopus Maceraten. [6] - Sedit in Rota Locumtenens., passim deinceps « Maceraten. » de suae ecclesiae nomine dictus. – Fuerat Archidiaconus, Canonicus Maclonien., i. u. d., electus et deputatus in Rotae Auditorem « attentis pluribus singularibus virtutibus illius ». [7]

*L. I.*, pag. 45: - « Ioannes Clerici Brito ».

378. *Cornelius della Volta. Manualibus* scimus, ipsum die 10 maii 1525 fuisse unum ex subrogatis Laurentii Petrucci, aegrotantis, et die 20 eiusdem mensis « de mandato S. D. N. pro certis ... Ecclesiae negociis pertractandis ab hac Urbe Romana discessisse, Hispaniam versus ». [8] - Obiit Bononiae die 22 iul. 1529. [9]

*L. I.* pag. 25: « Cornelius della Volta, Bononien ».

379. *Petrus Van der Worst* (*Vorstius*). Cameracen., i. u. d., successit in locum Bartholomaei Petra Sancta, apud sedem aposto-

[1] Vol. III, n. 154, pag. 265.
[2] *Arch. Rot., Manualia.*
[3] Ibi, *Admiss. Clemente VII.*
[4] Ibi, *Manualia* 140 et 150.
[5] *Arch. Vat.*, l. c.
[6] Cfr. part. I; Cap. III, *De Decano.*
[7] *Arch. Rot., Admiss. Clem. VII,* nn. 8 et 9.
[8] Ibi, *Manuale* 140.
[9] Ibi, *Manualibus* 146 et 152.

licam defuncti, et Motumproprium praesentavit die 9 ianuarii 1526.[1] – Promotus ad episcopatum Aquen., sedit in Rota Locumtenens et sub tituli sui cognomine iam reperitur in textibus anno 1535.[2] - Obiit extra romanam curiam probabiliter anno 1549 quo, mense maio, locum ipsius obtinuit Guidobonus.[3]

*L. I.*, pag. 33: « Petrus Vorstius, Brabantinus, Episcopus Aquen. ».

380. *Christophorus Panigarolle* (alias *Panigarola*) electus et deputatus in locum quondam Hugonis de Spina.[4] - In *Manualibus* prima vice describitur praesens in Rota mense maio 1526.[5] - Obiit die 27 octobris 1530.[6]

*L. I.*, pag. 29: « Christophorus Panigarola, Mediolanen. ».

381. *Nicolaus de Aragonia*. Vir princeps, praesentavit suum Motumproprium die 3 septemb. 1528. - Siculus, i. u. d., Utriusque Signaturae Referendarius - successit in locum Guilermi Cassadori defuncti.[7] - Illius processus incoeptus fuit die 9 febr. 1529. - Ortum habuit Nicolaus Panormi, et cum Auditoratum recepit, 28 annorum natus erat, ex patre Ferdinando de Aragonia et Beatrice: « Cano- « nicus S. Petri de Urbe et Abbreviator de Parco maiori et quod « dicti Canonicatus et praebendae erant reputati annui valoris 300 du- « cat. ». Promotus in doctorem Pisis in utroque iure; et tam Romae quam in Sicilia testes deponunt fuisse bonae famae et habitum doctorem famosum.[8] *Manuale* 143, Nicolaum locum habuisse Mercurii Vipera refert. Haec contradictio inter Motumproprium et *Manuale* bene explicatur ex eo quod in excidio Urbis plures ex Auditoribus perierant: unde facile contigit novos Auditores cum loci sibi in Motuproprio dati possessionem coeperint, alius de facto coepisse. – A die 9 ian. 1535 ad 26 ian. 1537 Decanus - postea episcopus Bossanen.[9]

*L. I.*, pag. 41: « Nicolaus Aragonia, Siculus - Episcopus Bossanen. ».

382. *Ludovicus Gomesius* (*Gomez.*). Mense augusto 1529, Ludovici Gomez nomen occurrit in *Manualibus* prima vice,[10] et etiam in Commissionibus. - Promotus ad episcopatum Sarnen., sub appellativo istius ecclesiae, ab sua nominatione usque occurrit in documentis

[1] *Arch. Rot., Admiss. Clem. VII*, nn. 3 et 4.
[2] Ibi, *Prothocoll. Actor., Regien. Parochialis*, 1535.
[3] Ibi, *Admiss. Paulo III*, n. 13. Mp. I. B. Guidoboni.
[4] *Arch. Rot., Admiss. Clem. VII*, nn. 1 et 2.
[5] Ibi, *Manuale* 140.
[6] Ibi, *Manuale* 152.
[7] Ibi, *Admiss. Clem. VII*, n. 5.
[8] Ibi, *Processus*, Vol. I, n. VI.
[9] Part. I, Cap. III *De Decano*.
[10] *Arch. Rot., Manuale* 143.

archivii - fuit etiam Regens S. Poenitentiariae. - « Per obitum ipsius « Luduvici Episcopi qui extra Romanam Curiam debitum naturae « persolvit », ei successit Antonius Augustinus sub die 15 ian. 1545.[1]

*L. I.*, pag. 17: « Ludovicus Gomesius Episcopus Sarnen. - Re- « gens S. Poenitentiariae ».

Illius decisiones, ex bibliotheca Ioan. B. Coccini, Rotae Decani, erutas, quarto typis edidit, an. 1647, Veronae Laurus Arrigonius qui cum decisionibus Coccini uno volumine eas summariis et indice locupletavit. Brevissimae sunt; unaquaeque praesefert titulum ad instar Decretalium et dispescuntur in duos libros.

383. *Marcellus Crescentius*. Patritius Romanus, i. u. d. - successit Mercurio de Vipera « per obitum istius »[2] - *Manuale* 151, ita illius ingressum in Rota adnotat: « In omnibus generaliter. - Die « mercurii XVII supradicti mensis novembris 1529, Rpd. Marcellus « de Crescentiis loco quondam Martini de Spina per Ssmum. D. N. « Clem. Papa VII deputatus et per RR. pp. dd. Auditores et Loca- « tenentes rigoroso examine et disputatione admissus, omnes et sin- « gulas causas... reassumpsit ».[3] - Fuit promotus ad ecclesiam Marsicanam et expost sub cognomine *Marsicani* fere semper recurrit in documentis archivii - tandem die 2 iunii 1542 a Paulo III, creatus fuit cardinalis.[4]

*L. I.*, pag. 37: « Marcellus Crescentius Romanus - Episcopus « Marsicanus et Cardinalis creatus a S. D. N. Paulo III, an. 1542 ».

Decisiones illius legere est inter *Diversorum*.

384. *Ioannes Maria Catalani*. Regien., i. u. d. - die 18 ianuarii 1530, praesentavit Motumproprium in Cancellaria Emo card. Caprini - successit in locum Cornelii della Volta, defuncti;[5] - sed non sedit in Rota nisi die 28 iun. 1531.[6] - Obiit loco *Catholica* Ariminen. die 26 mart. 1533.[7]

*L. I.*, pag. 25: « Ioannes Maria Catalanus, Regien ».

[1] *Arch. Rot., Admiss. Paulo III*, n. 3, Motusproprius Antonii Augustini.

[2] Ibi, *Admiss. Clem. VII*, n. 13.

[3] Ne mirum quidem sit in Motuproprio legi Marcellum successisse Mercurio Vipera et in Manuale asseri electum fuisse et admissum loco quondam Martini de Spina. Nam complures tunc temporis lato perempti fuerunt Auditores Rotae tum in excidio Urbis, tum peste saeviente: hinc, uti contigit Nicolao de Aragonia, quamvis primo Marcellus destinatus fuerit in locum Mercurii, tamen cum consensu Papae admissus fuit in locum Martini. Eo ipso anno revera alios videmus admissos Auditores, et ideo loci distributi fuerunt uti de facto melius visum est.

[4] Eubel, l. c., III, pag. 30.

[5] *Arch. Rot., Admiss. Clem. VII*, n. 7, et *Manuale* 152, sub die 28 iunii 1531.

[6] *Arch. Rot., Manuale*, n. 152, l. c.

[7] Ibi, *Manuale* 158.

385. *Silvester Darius.* Praesentavit suum Motumproprium in Rota die 26 iunii 1529.[1] - Processu illius, qui est sub data 3 martii 1530 et non ultra unam paginam extenditur,[2] edocemur, promotum Silvestrum in doctorem fuisse Bononiae, plura bona possedisse et pro nobili fuisse reputatum. - Anno 1531 missus fuit in Scotiam, e qua rediit anno 1533.[3] - Decanus a die 26 ianuarii 1537 ad annum 1543, quo extra romanam curiam mortuus est.[4]

*L. I.*, pag. 9: « Silvester Darius, Lucen. ».

386. *Nicolaus de Piccolominibus* (*Piccolomini*). Senen. - die 9 iun. 1531 iam erat Auditor, cum esset unus ex subrogatis Marcelli Crescentii.[5] - In *Admiss.* nomen Nicolai, vita functi, recurrit in Motu proprio illius successoris Hieronimi Novato sub die 9 mensis septembris 1533.[6]

*L. I.*, pag. 5: « Nicolaus Piccolomineus, Senen. ».

387. *Iohannes Mohedano.* In locum b. m. Christoph. Panigarola, die 27 iun. 1533 sedit in Rota Auditor Ioannes Mohedano, Hispanus, i. u. doctor.[7] - In *Admiss.* nomen illius recurrit in Motuproprio Didaci de Deça, dato mense iulio 1551, in quo legitur Ioannem fuisse episcopum Ravellen., Neapoli defunctum.[8]

*L. I.*, pag. 29: « Ioannes Mohedano, Hispanus - Episcopus Ra- « vellen. ».

Decisiones illius typis in lucem prodierunt etiam Francofurti ad Moënum an. 1643. Epitomis, summariis et indice materiarum exornantur, ac titulis ad instar Decretalium inscribuntur: unico tomo continentur, implentque 164 paginas.

388. *Hieronimus Novato.* Clericus, Mediolanen., i. u. d. - Motumproprium praesentavit die 9 sept. 1533, electus et deputatus in Auditorem Rotae loco Nicolai de Piccolominibus.[9] - In tenore Motusproprii Papa sibi complacuit haec narrare: « quem alias propter eius singu- « larem doctrinam Nobis notam et eius opera in causis nostris, dum « in minoribus essemus, usi fuimus, in Advocatum Aulae nostrae Con- « sistorialis recipi mandavimus, nunc autem, etc. ».

*L. I.*, pag. 13: « Hieronimus Novatus, Mediolanen. ».

[1] *Arch. Rot., Admiss. Clem. VII,* n. 6.
[2] Ibi, *Processus,* vol. I, n. VII.
[3] *Arch. Vat.,* 29, t. 98, p. 9.
[4] Cfr. part. I, cap. III, *De Decano.*
[5] *Arch. Rot., Manuale* 149.
[6] Ibi, *Admiss. Clem. VII,* n. 12.
[7] *Arch. Rot., Manuale* 158.
[8] Ibi, *Admiss. Iulio III,* n. 1; promotus fuerat die 19 ian. 1541 (Eubel, l. c., III, p. 300).
[9] Ibi, *Admiss. Clem. VII,* n. 12.

## § VIII.

### Paulus III.

*(16 octobris 1534 - 10 novembris 1549).*

Alexander Farnesius, electus in Papam die 16 octobris 1534, nomen sibi indidit Paulum III. Obiit anno 1549. [1]

Motumproprium edidit quo concessit Auditoribus Rotae privilegium expediendi gratis litteras Apostolicas. [2]

Alio Motuproprio notarios Rotae iussit « officia eorum exercere « et acta ac causarum processus tenere in domibus Auditorum suo- « rum vel in domibus seu locis vicinis et propinquis habitationibus « dictorum Auditorum ». [3]

Denique Breve diei 17 augusti 1537 omnia et singula privilegia et iura Auditoribus usque nunc concessa confirmavit. [4]

*Vice-Cancellarium* successive gesserunt Hippolitus card. Medices et Alexander card. Farnesius. [5]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Marcellus Crescentius; Hieronimus Verallus; Iacobus Simonetta.

*Ad Episcopatum:* Petrus Andreas Gambarus; Nicolaus de Aragonia; M. Crescentius; Ioannes Clericus; Hier. Verallus; Petrus Worst; Ioan. Mohedano.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

389. *Hieronimus Verallus*, Romanus, familiaris et continuus commensalis Papae - successit Camillo de Baglionibus, defuncto in rom. curia et praesentavit Mp. [6] die 26 nov. 1534. [7] - Promotus ad ecclesiam Brittinorien., - Nuncius in Germaniam - episcopus Casertanus, deinde archiep. Rossanen. et cardinalis anno 1549. [8]

*L. I.*, pag. 49: « Hieronimus Verallus, Romanus - Archiep. Ros- « sanen. - Cardinalis creatus a S. D. N. Paulo III, 6 idus april. 1549 ».

[1] *Arch. Rot., Admiss. Paulo III.*
[2] Vol. III, pag. 292, n. 162.
[3] Ibi, pag. 281, n. 156.
[4] Ibi, pag. 287, n. 160.
[5] *Arch. Rot., Admiss. Paulo III.*
[6] Mp. = motumproprium.
[7] Ibi, *Admiss. Paulo III,* n. 1.
[8] Ibi, *Admiss. Paulo III,* n. 14, Motuspr. Ioannis Ant. Capisucchi.

390. *Petrus Andreas de Ripantibus.* Die 7 ianuaril 1535 suum Motumproprium praesentavit in Rota Ioanni Clerico Decano. [1] - Illius nomen a *Libro iuramenti* abest.

391. *Marcus Antonius Marescottus.* Anno 1535 Auditor erat causarum Palatii. [2] - In *Admiss.* illius nomen reperitur in Motuproprio Peregrini de Faba qui illi successit anno 1543 per obitum - hoc documento probatur Marescottum fuisse Rotae Decanum. [3]

*L. I.*, pag. 25: « Marcus Antonius Marescottus, Bononien. ».

392. *Ioannes Paulus Tholomeus* (*Tolomei*). Electus ac deputatus in Auditorem Rotae in locum Simonettae, cardinalis, Motumproprium praesentavit die 5 iul. 1535: at *mandatum de recipiendo* iam obtinuerat a Clemente VII. [4] - Processus illius sub data 1535 die 22 nov. de eo docet: natus erat Ferrariae « ex nobilibus parentibus ... Comite Leo- « nello et Dña Cangenna de Tholomeis ... Operam dedit iuri civili « et Canonico tam in civitate Ferrariae quam Bononiae et Patavii « ac Papiae; et in civitate Patavii per plures annos publice legit in « iure civili ac demum in civitate Ferrariae gradum et insignia docto- « ratus assumpsit ... Homo bonae conditionis et famae... aetatis « 39 aut 40 annorum », cum Auditor renunciatus est. - Fuerat Advocatus Consistorialis. [5] - Decanus ab an. 1543 ad 1547 quo est mortuus. [6]

*L. I.*, pag. 13: « Ioannes Paulus Ptolomeus, Ferrarien. ».

393. *Iacobus Puteus* (*seu de Puteo*), Decanus Rotae post Tholomaeum ab an. 1542 ad 18 april. 1550. [7] - Anno 1550 elatus ad cardinalatus honores uti ex Motuproprio domini Fantucci illius successoris. [8]

*L. I.*, pag. 41: « Iacobus Puteus Nicien. - Archiep. Baren. (18 Apri- « lis 1550) - Cardinalis creatus a S. D. N. Iulio III, tertio kal. « ian. 1551 ».

Decisiones illius impressae inveniuntur in collectione *Diversorum:* sed non omnes. Eas vero omnes « ex proprio originali, quod in « Bibliotheca Rpd. F. Poeniae Rotae Decani servabantur... omni « vetusta labe expurgatas ... videre lucem voluit » Franciscus Rubeus,

[1] *Arch. Rot., Admiss. Paulo III,* n. 2.
[2] *Arch. Vat.,* lib. 3, *Bull. Pauli III,* pag. 249[t].
[3] *Arch. Rot., Admiss. Paulo III,* n. 5.
[4] Ibi, *Admiss. Paulo III,* n. 3.
[5] Ibi, *Processus, vol. I,* n. VIII.
[6] Part. I, cap. III, *De Decano.*
[7] Ibi, l. c.
[8] *Arch. Rot., Admiss. Iulio III,* n. 3.

Advocatus, typis C. A. an. 1612 Romae, et uno tomo continentur. « Itaque vere affirmare possum » scribit ad lectorem Franciscus Rubeus « in hac editione Putei decisiones perinde fuisse repraesen- « tatas, ac si autographum, sive originale ipsum, oculis tuis obice- « retur ». In tres libros dividuntur quorum in fine sequuntur « sub « nomine Putei decisiones succintae ac breves, per titulos, instar iuris « Canonici divisae, quae saepe etiam ad causas dirimendas allegari « solent ».

394. *Thomas de Thanis* (*Zani?*) « Clericus soecularis Pistorien. « civitatis ... ... ex bonis et honestis parentibus procreatus, - i. u. d. - « bonae conversationis et famae ». Ita Processus, sub data 4 maii 1540. Stipendia habuit a comunitate Pistorii dum studens fuerat. - Erat Archipresbyter Eccl. Nepesinae et Canonicus S. Eustachii Romae. [1] - Obiit anno 1546, uti ex Motuproprio illius successoris Achillis de Grassis. [2]

*L. I.*, pag. 21: « Thomas de Thanis, Pistorien ».

395. *Fabius Accorambonus*. Eugubinus, i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 24 ian. 1542, electus Auditor Rotae in locum Rainaldi Petrucci, defuncti apud sedem apostolicam. [3] - Processus illius, constans duobus integris foliis cum duobus alligatis, est sub data 24 maii 1542. Clericus, studio utriusque iuris incubuit Patavii, ubi in iure civili et canonico publice conductus, publice legit pluribus annis: habebat in bonis summam 200 ducat. aur. et ultra. - Fuerat Advocatus Consistorialis. [4] - Decanus post Puteum a die 18 april. 1550 ad die 14 iul. 1559, quo obiit. [5]

*L. I.*, pag. 5: « Fabius Accorambonus de Augubio - Decanus Rotae « ab anno 1550 usque ad mensem iulii 1559, quo est mortuus ».

Illius decisiones legere est in Collectione *Diversorum*, et manuscriptae servantur in archivio Rotae uno volumine cum decisionibus Simonettae.

396. *Prosper de Sancta Cruce*. Processus illius, constans tribus paginis, sub data 21 ian. 1543, nos edocet, Prosperum ex nobili et patricia gente Romana ortum habuisse. Genitus ex Tarquinio et Arsilia de Maximis, Romae iuri civili et canonico operam dedit, et Patavii ad gradum doctoratus in utroque iure promotus fuit. - « Offi-

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. IX.
[2] Ibi, *Admiss. Paulo III*, n. 11.
[3] Ibi, l. c., n. 4.
[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. X.
[5] Cfr. part. I, Cap. III, *De Decano*.

« cium Advocati Consistorialis honeste exercuit, vir utique laudabilis, « probus, virtuosus et integerrimus ».[1]

*L. I.*, pag. 37: « Prosper de Santacruce, Romanus - Eps. Kis- « samen.[2] - Nuncius Ap.licus apud Seren. Reg. Romanorum et Car- « dinalis creatus a S. D. N. Pio IV die 12 mart. 1565 ».

Decisiones illius legere est in Collectione *Diversorum* sub nomine *Kissamen.*

397. *Peregrinus de Faba.* Clericus Bononien., i. u. d. – praesentavit Motumproprium Petro Vorstio, Bononiae die 26 mart. 1543, electus Auditor in locum Marci Antonii Marescotti, nuper defuncti.[3]

*L. I.*, pag. 9: « Peregrinus Fabius, Bononien. - Episcopus Vesta- « nus »: promotus 1 iul. 1547 (*Eubel*, l. c., III, pag. 352).

Decisiones illius legere est in Collectione *Diversorum.*

398. *Sebastianus Pighini*, Clericus, Regien., i. u. d. - successit Silvestro Dari per obitum illius et Motumproprium praesentavit die 10 nov. 1543.[4] – Processus illius constat septem paginis et est sub data 26 mart. 1544. Natus ex Gratioso et Catharina de Vigaranis, Regiensibus, Clericus soecularis, in utr. iure doctor in Studio et Collegio Bononiensi doctoratus, diversa officia et magistratus, praesertim in alma Urbe, honorabiliter et laudabiliter gessit; vir religiosus, morigeratus. – Canonicus Capuanus; Locumtenens in civilibus A. C.[5]

*L. I.*, pag. 25: « Sebastianus Pighinus, Regien. - Archiep. Sipon- « tinus - Cardinalis creatus a Iulio III ».

399. *Ioannes Suave Reoman.* Clericus Lumbarien (?) i. u. d. - Tholosanus, Motumproprium praesentavit die 12 nov. 1543, electus Auditor in locum defuncti Ioannis Clerici, episcopi Maceraten.[6] - Processus illius sub data 24 ian. 1545, constat sex paginis scriptis et continet alligatum diploma Universitatis Parisiensis in pergamena cum cereo sigillo. Ioannes per tres saltem annos publice legerat in Universitatibus Tholosana et Parisiensi in utr. iure.[7]

*L. I.*, pag. 45: « Ioannes Suavius Reomanus, Tholosanus - Car- « dinalis creatus a S. D. N. Paulo IV ».

Illius Decisiones legere est in Collectione *Diversorum.*

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. XI.
Promotus die 22 mart. 1548 (Eubel, l. c., III, pag. 182).
Ibi, *Admiss. Paulo III,* n. 5.
[4] L. c., n. 6.
[5] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. XII.
[6] Ibi, *Admiss. Paulo III,* n. 7.
[7] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. XIII.

400. *Antonius Augustinus*. Clericus, Caesaraugustanus, i. u. d. - praesentavit motumproprium die 15 ian. 1545, electus Auditor per obitum Ludovici Gomez, episcopi Sarnen.[1] - Processus illius, 4 paginis constans, fabricatus fuit sub die 25 iun. 1545. Antonius Augustinus natus ex nobilibus Antonio Augustini, Vicecancellario Aragoniae, et Alduncia Albanell, Caesaraugustae, nobilis erat et clericus; in Universitatibus Pisarum et Bononiae doctoratus in utroque iure.[2]

*L. I.*, pag. 17: « Antonius Augustinus, Hispanus - Episcopus « Aliphanus - postea de anno 1561 ad Eccl. Illerden. translatus, non « potuit habere retentionem officii Auditoratus, ideo vacavit et in « omnem eventum cessit officio libere in manibus S. D. N. Pii Pp. IV: « postea translatus ad Archiepiscopatum Tarraconen ».

Illius Decisiones legere est inter decisiones *Diversorum*.

401. *Hieronimus Novatus*. Clericus Mediolanen. de Iurisperitorum iudicum civitatis Mediolanen. collegio, familiaris card. Nepotis Farnesii, praesentavit Motumproprium die 5 mart. 1547 Puteo Decano, admissus in locum Ioannis Pauli Tholomei, defuncti extra Romanam Curiam.[3] Processus illius sub data 2 dec. 1547, constat fere 7 paginis. - Electus Hieronimus Auditor in aetate constitutus ann. 38 vel circa, natalibus nobilis, dives, i. u. d., studio iuris incubuerat Papiae, Advocatum agebat Mediolani, eratque de collegio Iurisperitorum illius civitatis. Plura erui non licet quippe quod atramentum quo scriba usus est chartam corrosit.[4]

*L. I.*, pag. 13: « Hieronymus Novatus Mediolanen. ».

402. *Achilles de Grassis*, Archipresbyter Bononien., i. u. d. - successit per obitum Thomae de Thanis, et Motumproprium praesentavit die 25 febr. 1547.[5] - Processus illius, sub data 14 dec. 1547, constat tribus paginis. Achilles, clericus soecularis, filius Ioannis Antonii et B. Caucha (?) de Gratis nobilium Bononiensium, de illius gente erat ex qua orti fuerant Antonius et senior Achilles de Grassis de queis memoriam feci suis locis. Munus obiverat Advocati Consistorialis.[6]

*L. I.*, pag. 21: « Achilles de Grassis, Bononien., Episc. Montis- « flasconen. »: promotus die 21 augusti 1551 (*Eubel*, l. c., III, pag. 266).

Decisiones illius aliquot servantur, uno volumine contentae, manuscriptae in archivio: et legere eas est inter *Diversorum*.

[1] *Arch. Rot., Admiss. Paulo III*, n. 8.
[2] Ibi, *Processus*, Vol. I, n. XIV.
[3] Ibi, *Admiss. Paulo III*, nn. 9 et 10.
[4] Ibi, *Processus*, Vol. I, n. XV.
[5] Ibi, *Admiss. Paulo III*, nn. 11 et 12.
[6] Ibi, *Processus*, Vol. I, n. XVI.

403. *Ioannes Baptista Guidobonus.* Terdonen., i. u. d. - praesentavit motumproprium die 1 iun. 1549. Successit Petro Vorstio per obitum ipsius extra Rom. Curiam.[1] - Processus illius constat quatuor paginis et est sub data 16 april. 1550. I. Baptista natus ex magnifico Hieronimo Guidobono et magnifica Catharina ex nobili familia de Panigarolla Mediolanen., clericus erat, i. u. d. et « habilis et « idoneus reputatus ad obtinendum quaecumque officia et dignitates ». Possidebat plura ecclesiastica beneficia, inter quae in civitate et dioec. Terdonen., Abbatiam S. Pauli prope et extra muros, et Archipresbyteratum S. Germani et in Cathedrali Cappellanus erat B. Mariae sculptae.[2]

*L. I.*, pag. 33: « Ioannes Bapt. Guidobonus, Terdonen. ».

404. *Ioannes Antonius Capisucchus*, Clericus, Romanus, i. u. d. - successit Hieronimo Verallo elato ad s. purpuram et Motumproprium praesentavit die 1 iun. 1549. Erat Canonicus S. Petri Urbis; utr. Signaturae Referendarius.[3]

*L. I.*, pag. 49: « Ioannes Antonius Capisucchus, Romanus, Car- « dinalis creatus a S. D. N. Paulo IV, 13 kal. iun. 1555 ».

## § VIII.

### Iulius III.

*(7 februarii 1550 – 23 martii 1555).*

Ioannes Ciocchi dal Monte, romanus, sedem Petri ascendit anno 1550, quam cum coelesti commutavit anno 1555.[4]

*Vice-Cancellarius* fuit illi Alexander card. Farnesius.[5]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Pighini.

*Ad Episcopatum:* Pighini; A. de Grassis; Dicacus de Deça; P. E. Verallus.

Auditores ab Eo creati:

Magistri:

405. *Didacus de Deça.* Clericus Hispalen., i. u. d. - electus et deputatus in Auditorem Rotae in locum Ioannis Mohedano, in civi-

[1] *Arch. Rot., Admiss. Paulo III,* n. 13.
[2] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. XVII.
[3] Ibi, *Admiss. Paulo III,* n. 14.
[4] Ibi, *Admiss. Iulio III.*
[5] Ibi, l. c.

tate Neapolitana defuncti, praesentavit Motumproprium die 6 iul. 1551. Veniebat « ex Cancellaria regia Concistorii Granaten. ubi Tribunal « Auditoris obtinebat ».[1] - Illi successerit Gaspar de Quiroga cuius processus est sub data 11 ian. 1556.[2]

*L. I.*, pag. 29. « Didacus de Deça, Episcopus Canarien. et per « promotionem ad Episcopatum fuit decretum a S. D. N. Paulo IV, « officium Auditoratus vacare ». Promotus fuit die 30 aprilis 1554 (*Eubel*, l. c., III, pag. 165).

406. *Fridericus Fantuccius*. Clericus Bononien., i. u. d. - utriusque Signaturae Referendarius - successit Puteo elato ad s. purpuram et Motumproprium praesentavit die 27 novembris 1551.[3] - Processus illius, constans quinque paginis, sub data 7 maii 1552, edocet, Fridericum ortum habuisse ex magnifico Gaspare nobili Bononien. et ex magnifica Dorothea de Castellis, ipsa quoque nobili Bononien. Fridericus habebat ultra bonorum patrimonialium redditus, ex fructibus canonicatus eccl. Bononien. et aliorum beneficiorum, ultra scuta 200 annuatim.[4]

*L. I.*, pag. 41 : « Federicus Fantuccius, Bononien., Canonicus et « Episc. Cariatonen. et Gennen. qui cessit officio Auditoratus in favo- « rem d. Iacobi Grati, eius ex sorore nepotis, et S. D. N. admisit resi- « gnationem ab anno 1561 : obiit post paucos dies, laborans gravissima « infirmitate ». Promotus anno 1557, iul. 5 (*Eubel*, l. c., III, pag. 218).

407. *Iulius Oradinus*. Clericus Perusinus, i. u. d. - successit Sebastiano Pighino, ad s. purpuram evecto, et Motumproprium praesentavit die 16 iun. 1552.[5] - Processus illius, constans quinque paginis, est sub data 4 ian. 1553. Natus erat ex Petro Matthaeo et Ludovica, clericus, habebat in redditu annuo provisionis a D. N. Pp. Iulio III, summam 200 ducat. auri de Camera et ultra.[6]

*L. I.*, pag. 25 : « Iulius Oradinus Perusinus (Decanus), an. 1559 « et 1564, usque ad annum 1573 ». Innuit ita *Liber iuramenti* Iulium bis fuisse Decanum, nempe ante quam eligeretur episcopus Perusinus et postquam episcopatui valedixit, prout in *cap. I, De Decano* late scripsi in prima huius operis parte.

Illius Decisiones legere est in Collectione *Diversorum*.

[1] *Arch. Rot., Admiss. Iulio III,* nn. 1 et 2.
[2] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. XXI.
[3] Ibi, *Admiss. Iulio III,* n. 3.
[4] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. XIX.
[5] Ibi, *Admiss. Iulio III,* n. 4.
[6] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. XX.

408. *Paulus Aemilius Verallus.* Clericus, Romanus, frater germanus cardinalis Veralli qui fuerat Auditor Rotae, i. u. d., utriusque Signaturae Referendarius – praesentavit Motumproprium die 25 novembris 1552, et successit in locum Hieronimi Novati, « nuper defuncti « in Rom. Curia ». [1] – Processus illius, constans quatuor paginis, est sine data; haec tamen, aliena manu apposita fuit in dorso, et est: 1 mart. 1551. Sed per errorem: nam in dorso Motusproprii Decanus signavit 25 nov. 1552; neque potuit fabricari processus plusquam uno anno antequam Paulus Aemilius nominaretur Auditor Rotae. – Paulus Aemilius ex nobili romano Ioanne Baptista Verallo et ex Iulia de Iacobatiis, nobili et ipsa, progenitus, anno 1529 clericus tonsuratus, minoribus ordinibus insignitus, Bononiae, anno 1546, lauream in utroque iure consequutus est. Divitiis erat sufficienter instructus. [2] – Promotus ad episcop. Rossanen. anno 1551 et anno 1553 ad ecclesiam Caputaquen. [3]

*L. I.*, pag. 13: « Paulus Aemilius Varallus, Romanus, Episc. Capu« taquen. qui primo habuit Archiepiscopatum Rossanen. – Obiit die « 9 mart. 1577 ».

Decisiones illius aliquot manuscriptae servantur in archivio et inscribuntur: « Caputaquen ». Et typis impressae reperiuntur in Collectione *Diversorum*, item sub titulo: « Caputaquen ».

## § IX.

### Paulus IV.

*(23 maii 1555 – 18 aug. 1559).*

Ioannes Petrus Caraffa, neapolitanus, electus in Papam anno 1555 die 23 maii, obiit die 15 vel 18 augusti anno 1559. [4]

*Vice-Cancellarium* habuit Alexandrum card. Farnesium. [5]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Reomanus: Capisuccus.
*Ad Episcopatum:* Antonius Augustinus; F. Fantuccius.

[1] *Arch. Rot., Admiss. Iulio III*, n. 5.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XVIII.
[3] Eubel, l. c., III, pag. 364 et 167.
[4] *Arch. Rot., Admiss. Paulo IV.*
[5] Ibi, l. c.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

409. *Gaspar de Quiroga.* Canonicus Tholetanus, i. u. d. – in locum admissus Didaci de Deça.[1] - Processus illius, constans decem paginis, est sub data 11 ian. 1556. Clericus soecularis, Canonicus Tholetan. ac nobilis et de nobili genere procreatus, aetatis circa 38 annor., habens ultra 200 ducat. auri, bonae et probatae vitae, famae, conversationis. Haec in prima pagina. In ceteris 9 paginis continetur processus qui ei factus fuit de mandato rectoris Universitatis Studij oppidi de Alcalà, cum inibi Gaspar laureae in utroque potitus est.[2] – Rotam reliquit in Hispaniam iturus pro fungendis negociis, sibi a Rege commissis.

*L. I.*, pag. 29: « Gaspar de Chiroga, Hispanus - Canonicus Tho- « letan. - cessit d. Sarmiento Hispano sub Pio IV et postea Caurien. « Episcopus - deinde Gienensis - postea Episcopus Conchen. - et « deinde Archiepiscopus Toletanus sub Gregorio XIII et sub Pio IV - « et tandem creatus Cardinalis ab eodem S. D. N. Gregorio XIII die « 15 dec. 1576 ».

410. *Ioannes Baptista de Rubeis.* Clericus, Romanus, i. u. d. – successit Ioanni Antonio Capisucco ad s. purpuram promoto, et Motumproprium praesentavit die 24 ian. 1556.[3] Cum Iulius Oradinus, Decanus, die 17 april. 1562 fuit electus episcopus Perusinus, Ioannes Baptista Decanus factus est: sed cum idem Iulius Oradinus numquam sedis suae coeperit possessionem et anno 1564 eidem valedixerit, Ioannes Baptista muneri Decanatus valedicere coactus fuit: illud reassumpsit anno 1573 quo Oradinus est mortuus, idque tenuit ad diem usque 7 sept. 1590 quo mortem oppetiit.[4] - Sub Sixto V, Gubernator Perusiae et Umbriae a die 14 sept. 1587 ad oct. 1589.[5]

*L. I.*, pag. 49: « Ioannes Baptista de Rubeis, Romanus – Auditor « de mense iunii 1556. – Decanus de anno 1562 et de anno 1574. – « Obiit de anno 1590 ».

Illius Decisiones legere est inter *Diversorum.*

411. *Ioannes Aldobrandinus.* In *Diario* Seraphini legitur: « Octo- « bris 1569 – ... in locum vero R. d. Aldobrandini qui fuit promotus

[1] *Arch. Rot., Admiss. Paulo IV,* n. 1.
[2] Ibi, *Processus,* vol. I, n. XXI.
[3] Ibi, *Admiss. Paulo IV,* n. 2.
[4] Cfr. part. I, cap. I, *De Decano.*
[5] *Arch. Rot., Diarium Hier. Pamphilii.*

« ad Episcopatum Imolen. fuit suffectus d. Hippolitus Aldobrandinus « eius frater ».

*L. I.*, pag. 21 : « Ioannes Aldobrandini, Florentinus - qui a S. D. N. « Pio V electus fuit in Epum Imolen. et cum decreto quo officium « Auditoratus vacaret - et locum dedit Hippolito Aldobrandino eius « fratri - postea die 17 maii 1570 idem Ioannes Aldobrandinus creatus « fuit Cardinalis a S. D. N. Pio V ».

412. *Gabriel Paleottus.* Anno 1555 commendatur Papae ut ei concedatur auditoratus Rotae. [1] - Promotus fuit ad Cardinalatus honorem. [2]

*L. I.*, pag. 9: « Gabriel Paleottus Bononien. - Cardinalis creatus « a Pio quarto die 12 martii 1565 ».

Decisiones illius legere est in Collectione *Diversorum.*

413. *Alexander Iunius.* - *L. I.*, pag. 33 : « Alexander Iunius Antu- « erpiensis ».

## § X.

### Pius IV.

*(26 decembris 1559 – 9 decembris 1565).* [3]

Ioannes Angelus de Medici, electus die 26 decembris anni 1559. Celebrem edidit apostolicam Constitutionem *In Throno iustitiae* anno 1561, qua, postquam fassus est, in Palatii sui Auditorio « uni- « versorum Christi fidelium graviores causae per duodecim summae « virtutis et doctrinae viros, ex omnibus mundi partibus magna cum « diligentia conquisitos, mature cognosci et magna cum iustitia ter- « minari ... in quo pauca admodum correctione digna (sese) offen- « disse » nonnulla tamen, potius pro litibus abbreviandis ac partium dispendiis evitandis vel saltem minuendis, statuit. [4] Hac suâ, constitutione Pius IV constitutionem innovavit Innocentii VIII *Finem litibus*, qua sublata fuit multiplicitatem commissionum, ita ut « una com- « missio in qualibet instantia sufficeret et illius vigore Auditor causam « sibi commissam cognoscere et cum omnibus et singulis dependen- « tibus et emergentibus ac alias quomodolibet incidentibus decidere « valeret », uti postea servatum est.

[1] *Arch. Vat.*, Armad. V, caps. 5, n. 11.
[2] Ibi, *Admiss.*, Motusproprius Petri Guicciardini, illius successoris.
[3] Ibi, *Admiss. Pio IV.*
[4] Vol. III, n. 165, pag. 297.

Anno, autem insequenti, 1562, Motuproprio *Dudum siquidem* VI kal. aug. ad Decanatum Rotae Romanae extendit et ampliavit ordinationem latam a Paulo IV pro Decanatu S. Collegii, statuens: « nunc et de cetero perpetuis futuris temporibus, occurrente vaca- « tione (eiusdem S. Rotae Decanatus) nonnisi ad antiquiorem cau- « sarum Palatii Auditorem in dicta Curia residentem aut ex causa « publica absentem et extra eamdem Curiam per Romanum Ponti- « ficem destinatum » Decanatum huiusmodi devenire posse. [1]

Obiit anno 1565.

*Vice-Cancellarium* habuit Alexandrum card. Farnesium. [2]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Cardinalatum:* Gabriel Paleottus; P. de Sancta Cruce.

*Ad Episcopatum:* Antonius Augustinus.

AUDITORES AB EO CREATI:

Magistri:

414. *Gaspar Gropperius.* Processus illius, constans quatuor paginis, est sub data 26 mart. 1560: probavit « quod in haud ignobili civitate « Suziatien. Ducatus Westphalia, Colonien. dioec. quum in humanis « fuerunt magnificus et clarissimus vir Ioannes Gropperius, senior, « eius Reip. VII consul. et veneranda Anna Hughen, coniuges legi- « timi, et quod praedicti coniuges ex huiusmodi legitimo inter ipsos « contracto et consumato matrimonio quamplures utriusque sexus « liberos genuerunt et procrearunt, inter quos Ioannes Godefridus, « Patroclis et ipse Gaspar nati procreatique filii fuerunt, omnes quidem « iurium doctores et ad varias minimeque vulgares dignitatum tam « Ecclesiasticarum quam temporalium administrationum functiones, « tum per Ss. Pontifices, Imperatorem, Reges, Principes Electores « reliquosque Monarchas, asciti. ...; item quod... u. i. d., et eorundem « in almis et celeberrimis Colonien. et Lovanien. Universitatibus per « aliquot annos Professor, Caesariae et Imperatoriae Maiestatis « Caroli V. f. r. et quondam Adolphi Archiep. Colonien. Principis « Electoris et Ducis Iuliae consiliarius domesticus, ipsiusque dictae « Colonien. dioeces. per quamplures iam exactos annos Vicarius et « Officialis Generalis...; quod... possidet, ultra patrimonium suum et « alios sibi proventus et redditus annuos competentes, Praeposituram « Ss. Cassi et Florentii oppidi Bonen. (quae in Eccl. Colonien. Archi-

[1] Vol. III, pag. 303, n. 166.

[2] *Arch. Rot., Admiss. Pio IV.*

« diaconatus existit) ipsi (etiam absenti) summam et valorem 200 ducat. « auri de Camera subministrantem ». [1]

*L. I.*, pag. 33 : « Gaspar Gropperius, Germanus – an. 1560 fuit « declaratus locus ipsius vacans a S. D. N. Greg. XIII P. M. quia « per plures annos absens, saepius interpellatus, redire recusavit, de « mense octobris 1579 ».

415. *Pomponius Cotta*. Mediolanen., i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 24 maii 1560, electus Auditor in locum Fabii Accoramboni defuncti in Curia. [2] - Processus illius tribus paginis constat cum tribus paginis allegatorum et est sub data 1561 die 4 decembris. Ipso scimus, fuisse Pomponium i. u. d., nobilem et de antiqua familia quae fuit magnifica de tempore centum annorum : erat de Collegio iurisperitorum Mediolanen. Pater eius Ioannem Antonium nomen habuit et matri nomen fuit Faustina Bagarotta. Clericus fuerat et in portatis habebat ultra scut. 700. [3] - *Diarium* Seraphini, Pomponium elatum ad episcopatum Novarien. tradit sub die 19 iulii 1577.

*L. I.*, pag. 5 : « Pomponius Cotta Mediolanen. creatus E.pus Nova- « riensis a Gregorio XIII ven. 18 iulii 1577 ».

Decisiones illius aliquot manuscriptae inveniuntur in archivio, et typis impressae in Collectione *Diversorum*.

416. *Franciscus de Mendoca Sarmiento*. Clericus, Turgien, i. u. d. - successit Gaspari de Quiroga et Motumproprium praesentavit die 21 iun. 1560, uti in dorso cedulae motusproprii Prosper de Sancta Cruce, se de suae ecclesiae nomine vocans Kissamen, signavit. [4] - Huius Auditoris nomen a *Libro iuramenti* exulat. - Episcopus Astoricen. 4 iun. anni 1574. [5]

417. *Iacobus Gratus*. Bononiensis, i. u. d. - et in Gymnasio Bononien. publice profitens : - filius Hieronimi nobilis Bononien. « viri « quidem in utroque iure suo tempore eminentis scientia, olim amici « nostri et nobis obsequiosissimi ». Ita Pius IV in Motuproprio, quem Iacobus praesentavit die 31 ianuarii 1561, electus Auditor in locum avunculi sui Fantucci resignatarii. [6] - Processus illius constat quatuor paginis sub data 21 ian. 1562 : nos edocet Iacobum fuisse filium

[1] *Arch. Rot, Processus*, vol. I, n. XXII.
[2] Ibi, *Admissiones Pio IV*, n. 1.
[3] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXIII.
[4] Ibi, *Admiss. Pio IV*, n. 2.
[5] Eubel, l. c., III, pag. 135.
[6] *Arch. Rot., Admiss. Pio IV*, nn. 3 et 4.

Hieronimi, et Lucretiae de Fantucciis, - i. u. d. et de Collegio doctorum Bononien., perdivitem. [1]

*L. I.*, pag. 41 : « Gratus Iacobus, Bononien. - obiit mense augu- « sti 1569 ».

Illius Decisiones in Collectione *Diversorum.*

418. *Christophorus Robusterius.* Clericus, Tarraconen. - Canonicus Barchinonen. - i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 14 nov. 1561, electus in locum Antonii Augustini episcopi Alifan. et Illerden. [2] - Processus illius constat sex paginis et est sub data 7 dec. 1562. Eo probavit se esse filium Ioannis Samant, civis Tarraconen., et Magdalenae Robusterae, filiae Petri Robuster; clericum soecularem – i. u. d. – Canonicum Barchinonen. [3]

*L. I.*, pag. 17 : « Christophorus Robusterius de Samanat. - Tarra- « conen. - Hispanus - Auditor 9 dec. 1562 - promotus ad Episco- « patum Oriolen. 17 aug. 1587 cum retentione officii Rotae ad bene- « placitum in Consistorio - decessit die 27 ian. 1588 ».

Decisiones illius impressae legi possunt in Collect. *Diversorum* et aliquot illarum in Collect. *Recentiorum* sub titulo *Oriolen.*

419. *Ioannes Baptista Rota.* Clericus Montisregalis, Motumproprium praesentavit die 31 ianuarii 1563, successus in locum d. Reoman ad cardinalatum promoti. [4] - Obiit anno insequenti. [5]

*L. I.*, pag. 45 : « Ioannes Baptista Rota, Pedemontanus ».

420. *Seraphinus Olivarius Rezzalius.* Mortuo I. B. Rota, istius locum Papa concessit Seraphino, clerico Lugdunen., i. u. d. - qui Motumproprium praesentavit die 20 oct. 1564. [6] - Decanus post I. B. de Rubeis a die 7 sept. 1590, ad diem 20 aug. 1602, quo, renunciatus Patriarcha Alexandrinus, sedit in Rota Locumtenens, usque ad diem 9 iun. 1604, quo creatus est Cardinalis. [7]

*L. I.*, pag. 45 : « Seraphinus Olivarius Rezzalius, Lugdunen. - « Auditor 26 nov. 1565 - obtinuit per Signaturam concessum - et « fuit promotus ad Patriarchatum Eccl. Alexandrinae die 26 aug. 1602 - « et deinde Cardinalis creatus a Ssmo D. N. Clemente VIII, die « 9 iun. 1604. - Obiit 10 febr. 1609 ».

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. I, n. XXIV.
[2] Ibi, *Admiss. Pio IV,* n. 5.
[3] Ibi, *Processus,* vol. I, n. XXV.
[4] Ibi, *Admiss. Pio IV,* n. 6.
[5] Ibi, *Diarium Seraphini.*
[6] Ibi, *Admiss. Pio IV,* nn. 7, 8.
[7] Cfr. Vol. I, cap. III, *de Decano.*

*Diarium* illius inscriptum est « Compendium Decisionum Rota-« lium » et initium sumit a die 2 oct. 1566.

Decisiones illius typis prodierunt, in duos tomos distributae, an. 1614 Romae. Reperiuntur etiam in Collect. *Diversorum*. Sunt numero 1500 et maximi usque factae fuerunt.

421. *Petrus Guicciardini*. Clericus, Florentinus, successit in locum Rpd. Paleotti ad s. purpuram elati, et Motumproprium praesentavit die 19 mart. 1565.[1] – Processus illius constat duobus paginis cum dimidio; et est sub data 22 iun. 1565. Natus Pisis anno 1529, e nobili familia Guicciardini florentina, matrem habuit de nobili familia de Iacobis, florentina. Erat i. u. d. promotus in Universitate Pisana; clericus soecularis; possidebat praedia et domos in civitate et territorio florentino et alia bona mobilia in Urbe.[2] – *Diariis* colligitur, Petrum obiisse infra iulium et octobrem an. 1567.

*L. I.*, pag. 9: « Petrus Guicciardinus, Florentinus ».

422. *Scipio Lancellottus*. Clericus, Romanus, i. u. d. – advocatus Consistorialis – praesentavit Motumproprium die 23 mart. 1565. Successit Prospero de Santacruce per promotionem istius ad cardinalatum.[3] – Ex *Diario* hauritur, Scipionem designatum fuisse Auditorem die 2 octobris 1566, die 24 ianuarii 1567 receptum fuisse in Rota, et die 31 ianuarii ei fuisse os apertum. – Processus illius constat quatuor paginis et est sub data 21 ian. 1567. Intus adest folium in quo haec adnotantur: « Die lunae xxvi martii 1565 commissa fuit « inquisitio R. D. Petri Guicciardini pro eius admissione ad Audito-« ratum. Die vero xxx martii 1565 commissa fuit similiter inquisitio « R. D. Scipionis Lancellotti ». Data Motusproprii est clara: item clara data processus, sicuti clarissimae datae Diariorum et datae folii alligati ad processum. Ideo dicendum est Scipionem recepisse et praesentasse Motumproprium de mense martio 1565 et die 30 eiusdem commissam fuisse inquisitionem: sed postea, nescio quo impedimento, forsan inquisitio protracta est ad diem 21 ianuari 1567, qua finita, tribus diebus post, receptus est in Rota. – Scipio, maior 30 annis, natus ex nobili familia de Lancellottis ex nobili et honesta muliere domina Antonina de Aragonia et nobili viro q. b. m. Horatio de Lancellottis, fuit i. u. d., et « in almo Collegio magnificorum Advo-« catorum Consistorialium Urbis in Sacristia Ecclesiae S. Eustachii « loco alias solito et consueto graduatus et doctoratus de anno 1547,

[1] *Arch. Rot., Admiss. Pio IV*, n. 9.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXVI.
[3] Ibi, *Admiss. Pio IV*, n. 10.

« mense octobris ». Clericali tonsura insignitus mense aprili 1537. Munus obivit Advocati Consistorialis. [1]

*L. I.*, pag. 37: « Scipio Lancellottus, Romanus – Auditor die « ..... 1566. – Cardinalis creatus lunae 12 dec. 1583, a Ssmo D. N. « Greg. XIII ».

Illius Decisiones legere est inter *Diversorum* et *Recentiores*.

## § XI.

## Pius V.

*(7 ianuarii 1566 – 1 maii 1572).*

Michaël Ghislerius, electus anno 1566, obiit anno 1572. [2]

Promoto ad ecclesiam Imolen. Ioanne Aldobrandini, istius locum Rotae contulit Hippolito qui serius fuit Papa Clemens VIII. [3]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Alexander card. Farnesius. [4]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Ioannes Aldobrandini.

*Ad Episcopatum:* Ioannes Aldobrandini.

### Auditores ab Eo creati

### Magistri:

423. *Bonsignorus Finetti.* Senensis, Motumproprium praesentavit die 8 aug. 1567: successit Petro Guicciardini defuncto. [5] – Processus illius constat tribus paginis, est sub data 11 febr. 1568. Eo scimus, Bonsignorum fuisse natu nobilem, clericum, i. u. d. [6] – Fuerat Advocatus Consistorialis. [7] – Obiit anno 1572. [8]

*L. I.*, pag. 9: « Bonsignorus Finettus, Senen. ».

424. *Alphonsus Binarinus.* Canonicus Bononien., utr. i. d. – utriusque Signaturae Referendarius – successit Iacobo Grato et Motumproprium praesentavit die 7 oct. 1569; [9] – sedit in Rota Auditor

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. XXVII.
[2] Ibi, *Admiss. Pio V.*
[3] Vol. III, pag. 308, n. 169.
[4] Ibi, *Admiss. Pio V.*
[5] Ibi, *Admiss. Pio V*, n. 1.
[6] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXVIII.
[7] Ibi, *Diarium.*
[8] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII*, n. 1, Motusproprius Laurentii Blanchetti successoris illius.
[9] Ibi, *Admiss. Pio V*, n. 2.

die 5 aprilis 1570. [1] - Processus illius constat sex paginis et est sub data 13 mart. 1570: sex testes auditi sunt, inter quos Auditor C. A.: edocemur, Alphonsum natum fuisse ex Ioanne Maria et Iulia de Arvis Bononien.; clericum, imo Sacerdotem; i. u. d.; Canonicum Bononien. [2] - Fuerat etiam Praelatus domesticus; Maioris residentiae Abbreviator. [3]

*L. I.*, pag. 41: « Alphonsus Binarinus - Auditor an. 1570. - fuit « promotus ad Eptum. Reatinum sine retentione officii Auditoratus « de anno 1572 ».

425. *Hippolitus Aldobrandinus.* Clericus, Florentinus, i. u. d. - Motumproprium praesentavit die 10 octobris 1569: signatum manu S. Pii V. [4] - *Diarium* habet sub mense octobris 1569: « In locum « r. d. Aldobrandini qui fuit promotus ad Episcopatum Imolen., « fuit suffectus d. Hippolitus Aldobrandinus eius frater. – 14 apri- « lis 1570 Rpd. Hippolitus Aldobrandinus sedit in Rota ». - Processus illius constat tribus non integris paginis et est sub data 13 april. 1570. Eo scimus, Hippolitum studio iuris incubuisse Bononiae et Patavii et Perusiae; Romae vero Advocatum egisse, et informasse, qua talis, etiam Auditores Rotae. [5]

*L. I.*, pag. 21: - « Hippolitus Aldobrandini, Florentinus - de « mense martii 1570 electus Auditor - et deinde Datarius S. D. N. « Sixti V creatus die 17 maii 1585 - et ab eodem Pontifice Car- « dinalis creatus die 18 dec. 1585 - et tandem electus summus « Pontifex die 30 ian. 1592, vocatus Clemens VIII ».

Cetera vide inferius, ubi scribo de Clemente VIII.

## § XII.

## Gregorius XIII.

### (*14 maii 1572 - 10 april. 1585*).

Hugo Buoncompagni, bononien., electus anno 1572, obiit die 10 aprilis 1585. [6] « Papa Gregorio XIII dichiarò incompatibile l'Udi- « torato di Rota e il Chiericato di Camera col Vescovato, per l'adem- « pimento degli inerenti doveri ». Ita *Moroni* in suo *Dizionario* voce:

[1] *Arch. Rot., Diarium.*
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXIX.
[3] Ibi, *Admiss. Pio V*, l. c.
[4] Ibi, *Admiss. Pio V*, n. 3.
[5] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXX.
[6] Ibi, *Diarium Hier. Pamphili* sub die 10 aprilis 1585.

*Uditori di Rota*, pag. 228, col. II; ast inter acta Gregorii mihi datum non est constitutionem de hac re reperire.

*Vice-Cancellarium* habuit Alexandrum card. Farnesium. [1]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Cardinalatum:* Scipio Lancellotti; G. de Quiroga.

*Ad Episcopatum:* Binarini; Sarmiento; Cotta; Vicecomes; G. de Quiroga.

AUDITORES AB EO CREATI:

Magistri:

426. *Laurentius Blanchettus.* Clericus Bononien., i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 23 iul. 1572. [2] - « In locum d. Finetti, « fato functi, suffectus fuit a S. D. N. Greg. XIII . . . et mandato « eiusdem Ssmi fuit commissa inquisitio die 1 aug. durantibus feriis, « tum quia in Rota plura vacabant loca, tum quia commodius visum « est anticipare propter ingressum alterius Auditoris electi ». [3] Processus illius constat duobus paginis sub data 14 dec. 1572. Nos docet, Laurentium natum fuisse ex nobili Constantia Musotti et Caesare nobili Bianchetti; 30 et ultra annis aetatis constitutum; i. u. d.; pensionem possidentem 300 scut. et quendam Prioratum in Gallia valoris annui 500 scut. [4]

*L. I.*, pag. 9: « Laurentius Blanchettus, Bononien. – de anno 1572 « Auditor - Datarius Legationis cum Card. Caietano ad Galliae « Regem (anno 1589). [5] Et deinde eodem munere functus in Ger- « mania et Polonia cum Card. Hippolito Aldobrandini - et postea « ab eodem, ad Pontificatum assumpto sub nomine Clementis VIII, « creatus Cardinalis 5 iun. 1596 ».

Illius decisiones legere est inter *Diversorum* et *Recentiores*.

427. *Caesar de Grassis.* Clericus Bononien., i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 18 aug. 1572, electus in locum Binarini, « Episcopi Reatini, ad officium Auditoratus, quod pluribus annis citra « serie continuata per Romanos Pontifices praedecessores nostros « civibus Bononien., uti dicitur, collatum fuit ». [6] « Die 1 oct. 1572: « In locum r. d. Binarini, electi Episcopi Reatini, fuit suffectus a

[1] *Arch. Rot., Admiss. Gregorio XIII.*
[2] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII*, n. 1.
[3] Ibi, *Diarium.*
[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXXI.
[5] Ibi, *Diarium.*
[6] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII*, n. 2.

« S. D. N. dominus Caesar de Grassis Bononien., qui plures ex « familia sua praedecessores Auditores habuit. - Die 2 martii 1573: « Hac Rota fuit admissus r. d. Caesar de Grassis ».[1] Processus illius est sub data anni 1573 (sed ex *Diario* scimus inquisitionem commissam fuisse die 13 oct. 1572) et constat sex paginis. Ipso edocemur Caesarem natum fuisse ex nobilibus Ioanne Antonio et Blanca de Grassis Bononien.; ordines minores suscepisse Bononiae, iuri civili et Canonico per plures annos Bononiae operam dedisse et an. 1573 doctoratum in utroque recepisse.[2] Fuerat Canonicus et Praepositus Cathedralis Bononien.[3]

*L. I.*, pag. 41: « Caesar de Grassis Bononien. - Auditor an. 1573 « de mense febr. - fuit electus in Canonicum S. Petri de Urbe et « renunciavit Auditoratui propter infirmitatem die 4 aug. 1591 - fuit « electus in locum suum Barbaccia ».

428. *Franciscus Cantuccius.* Perusinus, i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 10 sept. 1573 et successit in locum Iulii Oradini defuncti.[4] - Processus illius est sub data 17 april. 1574 et constat 13 paginis. Eo scimus, Franciscum natum fuisse ex Onufrio et Filena Cantucci; legit in civitate Perusia ius civile, aggregatus in collegio doctorum illius civitatis; et habebat plus quam 200 ducat. in portatis. Processui adnexum est instrumentum fidei doctoratus sub data 12 iun. 1564.[5] - Anno 1585 assumptus fuit ad episcopatum Lauretanum a Sixto V.[6]

*L. I.*, pag. 25: « Franciscus Cantuccius, Perusinus. Primus Epi- « scopus Lauretanus a Sixto V Pont. Max.; 24 Martii 1586 vacavit « locus - obiit die 25 Novembris eodem anno ».

429. *Gregorius Bravo de Soto Maior.* Palentinus, i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 24 oct. 1575 et admissus fuit in Rota in locum d. Sarmiento, episcopi Astoricen. die 6 april. 1576.[7] - Processus illius constat octo paginis et est sub data 4 april. 1576; adnexum habet processum *in partibus* sub die 7 april. 1575, qui 10 paginis conflatur. Eo scimus, Gregorium de an. 1567 fuisse promotum in Universitate Salamantina ad gradum licentiaturae in iure Canonico et die 19 oct. 1575 creatum utr. iur. doctorem. Natus

[1] *Arch. Rot., Diarium.*
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, XXXII.
[3] Ibi, *Admiss.*, l. c.
[4] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII*, n. 3.
[5] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXXIII.
[6] Ibi, *Diarium.*
[6] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII*, n. 4.

erat ex Francisco Bravo et Francisca de Soto maior, incolis oppidi Vallissoleti, Palentinae dioec.; clericus tonsuratus; possidens ultra 200 ducat.[1]

*L. I.*, pag. 29: « Gregorius Bravo, Hispanus, Auditor de anno 1586, « obiit 2 Xmbris 1590 ». (Corrige datam 1576).

430. *Marcellus de Bubalis* (*del Bufalo*). *Diaria* sub die 2 oct. 1577 adnotant: « vacabat locum b. m. P. Ae. Veralli et d. P. Cottae « Episcopi Novarien. ..... in locum b. m. P. Ae. Veralli, Au- « ditor designatus d. Marcellus Bubalus, Romanus ». - Die lunae « 9 dec. 1577 hac Rota fuit admissus Rpd. Marcellus Bubalus ».[2] – Processus illius constat 15 paginis et est sub data 15 novembris 1577. Eo scimus, natum fuisse Marcellum ex Iulio et Antonina de Serlupis patriciis Romanis. Presbyter erat; i. u. d. et Referendarius Papae; perdives et facultosus. Adnexum adest privilegium doctoratus quo Marcellus auctus fuerat Patavii die 20 april. 1560. Erat utriusque Signaturae Referendarius.[3] - « *Die 6 mart. 1591.* « Contigit eadem die res valde lacrimabilis: nam Bubalus, Rotae « Auditor, vir insignis eruditionis et magnus practicus, praesertim « in materiis beneficialibus, cum per 42 et amplius dies mingere « non potuisset, sine ullo dolore paullatim contabuit et obiit. Infelix « rerum humanarum conditio et fragilis plane et caduca rerum con- « stantia, cum vir gravis et iam per 12 fere annos in Rota ver- « satus, quo tempore accepturus erat laborum suorum praemia, « immature obiit ».[4]

*L. I.*, pag. 13: « Marcellus Bubalus, Romanus - Auditor 9 dec. 1577 « - obiit die 6 mart. 1591 ».

Illius Decisiones prostant in Collectione *Diversorum*.

431. *Gaspar de Vicecomitibus* (*Visconti*) Mediolanen., i. u. d., de collegio Doct. et in Papien. gymnasio ordinarius lector - praesentavit Motumproprium die 6 ian. 1578 in locum P. Cotta Ep.i Novarien. et admissus fuit in Rota 16 iun. 1578.[5] - Processus illius sub die 8 april. 1578 Mediolani, constat 29 paginis. Parentes eius fuerunt « Giovanni Battista et l'Illma Violante ambi duoi de' Visconti... per « più et più anni ha studiato in legge hora in Bologna, et hora ne « la città di Pavia... doppo che fu dottorato, fu deputato per let-

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. XXXIV.
[2] Ibi, *Diarium*.
[3] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXXV.
[4] Ibi, *Diarium Poeniae*, adnotatio in margine *a*, fol. 3t.
[5] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII*, n. 5.

« tore di leggi ne la detta città di Pavia dove sempre ha letto... « sin al tempo che fu levato il studio per causa della peste... e « non solo era lettore, ma ancora consultava secondo le occorrenze « et era tenuto et reputato per un grande ed eccellente dottore e « consultore et l'ho sentito laudare et da senatori et da Presi- « dente del Senato di Milano che fosse riuscito così grande lettore « et virtuoso in sì poco tempo ». Et alibi: « Esso Sig. Conte Ga- « spare in sua parte per il manco l'avrà d'entrata og'anno... « 100 scudi d'oro in oro... perchè tra loro duo fratelli possedono « da 8000 pertiche di terra... quali io medesimo... ho misurato ».[1]

*L. I.*, pag. 5: « Gaspar Vicecomes, Mediolanen. - Auditor 16 iun. « 1578 - Ep.us Novarien. 5 nov. 1584 cum retentione officii ad bene- « placitum. – Deinde 28 eiusd. mens. et eod. anno evectus ad « Archiep. Mediolanen. cum retentione. - Recessit die 14 iun. 1585 ».

Decisiones illius legere est in Collectione *Diversorum*.

432. *Ioannes Romaeus Barbatiae de Mangiolis* (*Barbaccia*). Locum Rotae vacantem « per assecutionem Canonicatus et praebendae Basi- « licae S. Petri de Urbe a dilecto filio Caesare de Grassis » Gregorius dedit Ioanni Romaeo, clerico Bononien.[2] Sed Ioanne Romaeo tunc temporis morante in Portugallio, morte praeventus neque Romam venit, neque potuit in Rota admitti.

*L. I.*, pag. 41: « Ioannes Romaeus Barbaccia, Bononien., qui « ante admissionem decessit in Portugallio ».

433. *Petrus Franciscus Gypsius*. Clericus et nobilis Bononien. successit in locum I. B. Romaei Barbatiae, defuncti, et praesentavit Motumproprium die 10 febr. 1581.[3] - Precessus illius sub data 3 iun. 1581 constat novem paginis: eo scimus, Petrum natum fuisse ex Galeatio nobili Bononien. et Ludovica de Pacellis, etiam nobili Bononien. Possidebat « multa bona stabilia et praedia in civitate et « districtu ac Comitatu Bononiae ultra domum magnam quam simi- « liter possidet ». Fuerat Gubernator Norciae et Vissi ac Collateralis Curiae Capitolii et Adv. Consistorialis.[4]

*L. I.*, pag. 41-42: « Petrus Franciscus Gypsius, Bononien. - Audi- « tor die 23 iun. 1581. - Obiit Romae an. 1599 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

434. *Franciscus Oranus* (*Orani*). Clericus Leodien., i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 18 feb. 1581, electus Auditor in

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. XXXVI
[2] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII*, n. 6.
[3] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII*, n. 6.
[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XXXVII.

locum Gropperii, « ob ipsius diutinam a Rom. Curia absentiam » vacantem. [1] - Processus illius constat octo paginis et est sub data 12 dec. 1581. Franciscus filius fuit Francisci, Senatoris et iudicis Leodien., et Catharinae de Amours. Studio iuris incubuit in Universitate Lovanien. et Romae; Clericus et possidens pensionem annuam 150 ducat. auri ei reservatam per duas sententias Rotales, unam a Lancellotto, alteram a de Grassis in causa: « Canonicatus et prae- « bendae contra Carondolet », latas. [2]

*L. I.*, pag. 33: « Franciscus Oranus, Leodien. de anno 1581. - « obiit Romae XIII kal. aug. 1599 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

435. *Hieronimus Pamphilius*. Clericus, Romanus, i. u. d. - creatus Auditor in locum Scipionis Lancellotti, nuper ad cardinalatus honorem promoti. [3] - Processus illius, constans fere integris novem paginis, est sub data 29 maii 1584. Progenitus Hieronimus ex Pamphilio de Pamphiliis et Horatia de Matheis coniugibus, clericus, in utroque iure (cuius studio incubuit tum Romae, tum Perusiae), laurea decoratus erat. Officio incubuit Locumtenentis Apostolicae Camerae. [4] - Decanus Rotae a die 26 aug. 1602 ad diem 9 iun. 1604 post Seraphinum Olivarium. [5]

*L. I.*,pag. 37: « Hieronimus Pamphilius, Romanus. - Auditor die « 4 iun. 1584 - electus Regens S. Poenitentiariae die 1 oct. 1593 - « et Cardinalis creatus a S. D. N. Clem. VIII die 9 iun. 1604 ».

*Diarium* illius exscriptum e suo originali existente penes gentem Pamphiliam, possidet archivium; paucis et usque gravibus adnotationibus adiectis rerum, memoria dignarum, fideliter dietim refert causas in Rota sua tempestate discussas.

Decisiones illius manuscriptae manent rotali archivio, et quamvis nepos illius Ioannis Baptista Pamphilius, dum iste fuit et Rotae Auditor et Papa sub nomine Innoc. X sese opposuerit ne publicarentur, tamen in unum collectae typis editae sunt et legi possunt etiam in Collectione *Diversorum*.

[1] *Arch. Rot., Admiss. Gregorio XIII,* n. 7
[2] Ibi, *Processus,* vol. I, n. XXXVIII.
[3] Ibi, *Admiss. Gregorio XIII,* n. 8
[4] Ibi, *Processus,* vol. I, n. XXXIX.
[5] Part. I, cap. III, *De Decano.*

## § XIII.

### Sixtus V.

*(24 april. 1585 – 27 aug. 1590).*

« ..... ad Pontificatum assumptus fuit die 24 april. (1585) Illmus « et Revmus dms d. Felix Perrettus, card. tit. S. Hier. Illyricorum, « nuncupatus de Monte Alto, qui vocatus fuit Sixtus V, quem Deus « ad multos annos feliciter conservet ». [1]

Sixtus sub die 18 dec. 1885 in suum Datarium assupsit Rpd. Hippolitum Aldobrandini; et die 24 mart. 1586, primum creans episcopum Lauretanum, eundem episcopatum contulit Rpd. Cantuccio. [2]

De mense sept. 1587 I. B. de Rubeis Decanum misit Praefectum Perusiae et provinciae Umbriae. Anno insequenti de eodem mense septembri voluit Rotam extraordinarie congregari in Monasterio Pacis ut finis imponeretur causae *Albanen. - Prioratus* super reservatione iuris patronatus in limine fundationis. [3]

Anno 1589 Cardinali Caietano, Legato in Galliam pro creat e novi Regis, Datarium dedit Laurentium Blanchettum. [4]

Promotis, Hippolito Aldobrandini ad s. purpuram et Francisco Cantuccio ad episcopatum Lauretanum, electionem successorum remisit Rotae quae Hippolito successorem dedit Franciscum Mantica, legum professorem in Universitate Patavina, an. 1586, et Cantuccio Neapolionem Comitulum, perusinum. [5]

Sed Rotae, « Sixtus V cum non esset satis bene affectus eo quia « suis desideriis saepe non satisfecisset, parum honoris semper « exhibuit ». [6] Ideo de illius obitu ita Auditores commemorarunt: « *27 aug. 1590.* Hora 22 obiit Sixtus V P. M., cuius anima requie- « scat in pace »: vel: « Obiit Sixtus V », vel: « Lunae 27 aug. 1590. - « In palatio de Monte Cavallo hora fere 23 obiit Sixtus V, tota « Urbe exultante. Exequiis rite solutis, Cardinales ingressi fuerunt « Conclave, die veneris 7 sept. ».

*Vice-Cancellarium* successive gesserunt Alexander card. Farnesius et Alexander card. Perettus. [7]

[1] *Arch. Rot., Diarium Pamphilii.*
[2] Ibi, l. c.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, l. c. et *Diarium Poeniae.*
[5] Ibi, l. c.
[6] Ibi, l. c.
[7] Ibi, *Admiss. Sixto V.*

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Hippolitus Aldobrandinus.
*Ad Episcopatum:* Cantuccius; Robusterius.

Auditores ab eo creati

Magistri:

436. *Flaminius Plattus* (*Piatti*). Clericus Mediolanen., de gremio Collegii doctorum Mediolanen., i. u. d. - successit Gaspari Vicecomiti et praesentavit Motumproprium die 20 iunii 1585, seditque in Rota die 7 februarii 1586.[1] - Processus illius constat undecim paginis non integris: et est sub data 4 februarii 1586. Flaminius natus ex Hieronimo de Plattis et Antonia Vincemala coniugibus, clericali caractere insignitus fuit die 7 iunii 1560; studio utriusque iuris operam dederat Papiae et anno 1574 inibi ab ea studiorum Universitate gradum et lauream doctoratus consequutus fuit. Legit, interpretavit in iure, consuluit, iudicavit Mediolani. Plura in civitate et territorio Comitatuque Mediolanensi possidebat patrimonialia bona. – Creatus fuit cardinalis die 6 martii 1491, et dominus Poenia in *Diario* suo, sub ea die, haec habet: « Iste d. Plattus erat multum meus amicus et « ego (Poenia) apud Regios Oratores Catholici mei Regis Philippi, « nempe Ducem Suessarum et Comitem de Olivarez, acriter semper « institi ut Ssmo commendarent, et horum commendationes causa « fuerunt illius tam celeris promotionis, cum parum antea esset notus « Pontifici et vix sex annis erat Auditor ».

*L. I.*, pag. 5: « Flaminius Plattus, Mediolanen. - Auditor die 7 februa- « rii 1586 - creatus Cardinalis 6 martii 1591 a S. D. N. Greg. XIV, « obiit die 2 novembris 1613 ».

437. *Franciscus Mantica.* Utinen. - i. u. d. - in Gymnasio Paduano legens - habuit locum Hippoliti Aldobrandini elati ad s. purpuram et Motumproprium praesentavit die 15 april. 1586 et fuit admissus in Rota die 10 dec. 1586.[3] - Processus illius decem paginis constat et est sub data diei 3 dec. 1586. Filius fuerat Andreae et Fontinae de Fontanabona coniugum: clericus, Bononiae et Patavii utrique iuri incubuit et ab anno 1558 usque ad diem 3 dec. 1586, « semper et « continue tam in legendo et in iure interpretando, quam etiam in

[1] *Arch. Rot., Admiss., Sixto V,* n. 1.
[2] Ibi, *Processus,* vol. I, n. XL.
[3] Ibi, *Admiss. Sixto V,* n. 2.

« consulendo et iudicando in civitate Patavii et Bononiae » pro utriusque iuris doctore fuit reputatus. Possidebat « quamplura bona « stabilia ». [1]

*L. I.*, pag. 21: « Franciscus Mantica, Utinensis. - Auditor 10 decem- « bris 1586 – successit in locum Illmi Cardinalis Aldobrandini – et « Cardinalis creatus a Clemente VIII sub die 5 iun. 1596 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

438. *Neapolio Comitulus*. Perusinus, i. u. d. - de gremio doctorum Perusinorum - praesentavit Motumproprium die 2 maii 1586, electus in locum Cantuccii promoti ad episcopatum Lauretanum, [2] et fuit admissus in Rota die 5 febr. 1587. [3] - Processus illius 13 paginis constat et est sub data 29 ian. 1587. Parentes Neapolionis fuerunt Hieronimus Comitulus et Iacoba de Crispoltis: clericus, doctoratus in Universitate Perusina: eratque satis dives, Auditor causarum Cardinalis Caraffa, interpretavit iura in studio Perusino. [4] - *Diarium* Poeniae sub die 5 iulii 1591, narrat: « ... D. Neapolio Comitulus creatus « fuit Episcopus Perusinus; quod valde placuit Dominis omnibus, « propter integritatem, insignem pietatem, et mores incorruptos et « Episcopo vere dignos, quibus vir ille erat decoratus ».

*L. I.*, pag. 25: « Neapolio Comitulus, Perusinus - mense ian. 1857, « Eps. Perusinus a S. D. N. Greg. XIV - die 20 iul. 1591 vacavit « locus ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

439. *Franciscus Poenia* (*Peña*). Robusterio, promoto ad ecclesiam Oriolen., successit Franciscus Poenia die 3 octobris 1588, cuius Motusproprius, unicus in forma Bullae, asservatur in *Ordinationes*. [5] *Diarium* ipsius Poeniae, cuius tantum archivio manet sumptum, edocet Poeniam prima vice suffragia in Rota protulisse die 24 octobris 1588. [6] - Vir virilis animi, rectus, ingeniique prompti, res Rotae et aevi sui ita narravit in *Diario* ut ipse animo suo perficiebat. Hinc quum refert mortem Sixti V sub die 27 aug. 1590, haec scribere non dubitavit: « In palatio de Montecavallo hora fere 23 obiit Sixtus quin- « tus, *tota Urbe exultante* ». Creato vero Papa Greg. XIV, referens, papam auxisse provisionem menstruam Auditorum scribit, rem « bonis « omnibus » placuisse et « Curiam valde exhilarasse, cum Rotae Tri-

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. XLI.
[2] Ibi, *Admiss. Sixto V*, n. 3.
[3] Ibi, *Diarium*.
[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XLII.
[5] Ibi, *Ordinationes*, part. I, n. XXXII.
[6] Vol. III, n. 172, pag. 310.

bunal in magna semper veneratione fuerit habitum, *cui Sixtus V,* « *cum non esset satis bene affectus, eo quod suis desideriis saepe* « *non satisfecisset, parum* honoris semper exhibuit ». Item sub die 25 aug. 1592 narrans vicissitudines aliquas controversiae a Papa Clemente VIII Rotae commissae *de Investitura Ducatus Ferrarien.*, inter alia adnotat, Cardinalem Sfondratum nepotem Greg. XIV « qui omnia « arbitrio suo gerere volebat », vocasse Poeniam simul cum Orano, apud eos omnem operam navantem ut causam deciderent in favorem Ducis Ferrariae. Quod ut melius ab eis obtineret Cardinalis dederat Poeniae pensionem annuam 300 ducat. aur. super fructibus et distributionibus Canonicatus Salmanticen: « sed nihil profuit - scribit Poe- « nia - ut contra Ecclesiam mutarem sententiam ». Et quia Seraphinus in sententiam abivit praedicto Duci favorabilem, dum ceteri Auditores (excepto Blanchetto) contra Ducem sentierunt, Poenia scribit: « solus Seraphinus Decanus fuit, cum magno suo dedecore, in « contraria sententia ». - Post Pamphilium, Cardinalem creatum die 9 iun. 1604, Decanus fuit Franciscus noster usque ad diem 21 augusti 1612, quo obiit. [1]

Sub Poenia Decano multa utilia decreta sunt uti non semel indigitavi scribens de Decisionibus rotalibus etc.: et adnotare non omittam *Diarium* illius maximae usque auctoritatis fuisse in Rota.

*L. I.*, pag. 17: « Franciscus Poenia, Hispanus - Auditor 14 octo- « bris 1588 - successit in locum Rpd. Robusterii - obiit 21 aug. 1612 « dum esset Decanus Rotae ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores;* aliquot manuscriptae manent archivio Rotae.

## § XIV.

### Urbanus VII.

### (*16 sept. 1590 - 27 sept. 1590*).

« *Die sabati 15 septembris 1590.* - Ante meridiem creatus est « Papa Dñus Ioannes Baptista Castaneus, S. R. Eccl. Cardinalis, qui « fuit vocatus Urbanus VII. [2].

« *Veneris 17 septembris 1590*, obiit Rpd. de Rubeis, Rotae Deca- « nus, et die mox sequenti fuit sepultus in Ecclesia B. M. de Aracoeli. [3]

[1] Cfr. Part. I, cap. III, *De Decano.*

[2], [3] *Arch. Rot., Diarium Poeniae, Additiones* (in principio).

« *Die iovis 20 sept. 1590* una cum Card. Peretto de Monte Alto « Vicecanc., Collegialiter Auditores Rotae iverunt ad osculandum de « more pedes Pontificis, ... ante coronationem ». Et cum Seraphinus Olivarius, Rotae Decanus, et tres antiquiores Auditores non essent satis firma valetudine, orationem ad S. Sanctitatem habuit d. Oranus. Cui Papa humanissime respondens, addidit « ad locum vacantem « per obitum I. B. de Rubeis Decani, velle vocare egregium aliquem « virum Romanum, quia is locus Romano Auditori debebatur: pro- « pterea nos (scribit Poenia) videremus qui forent idonei et in fra- « ctione panis noti, ut tanto loco et tam magno Tribunali praefici « mereretur; nam licet *nec ullo privilegio, nec lege, nec consuetudine « id nobis competeret*, sed potius *voluntate* praedecessorum *fuerit ali- « quando tributum*, ut nobis benevisumn ominaremus, nolle se nos ea « gratia privare ». [1]

*Die sabati 22 sept. 1590* Auditores vigore privilegii ipsis dati a Pontifice statuerunt proponere « Pompeium Arrigonium et Garziam « Millinum Advocatos Consistoriales, praestantes viros, literis insignes « ac probitate et virtute decoratos, ex quibus Millinus erat de pro- « genie dicti Urbani VII nam ipsi quodam agnationis gradu, licet « remoto, coniungebatur ». [2] Sed die 27 sept. Urbanus VII moritur [3] et res infecta ideo mansit.

*Vice-Cancellarius* illi fuit cardinalis Peretti de Monte Alto.

## § XV.

### Gregorius XIV.

### (*4 oct. 1590 – 17 oct. 1591*).

« *Die 4 oct. 1590.* - Nicolaus Sfrondatus Mediolanen., Eps. Cre- « monen., S. R. Eccl. Card., Romanus Pontifex plenis suffragiis est « denunciatus et vocatus Gregorius XIV ». [4]

Auditores ad Papam se contulerunt die 10 dec. et ab eo summa humanitate fuerunt accepti, Papa respondente Italico sermone. [5] Iussit Gregorius « 300 ducat. auri in auro singulis Auditoribus dari, pro « Sede vacante Sixti V et Urbani VII. Erat in more positum, ut « Papa, recens electus, 200 ducat, aureos singulis Auditoribus nume-

[1] *Arch. Rot., Diarium Poeniae,* nn. 1, 2, 3, fol. 1.
[2] Ibi, l. c., n. 4.
[3] Ibi, l. c., adnotatio in margine sub *Die 1 octobris 1590,* fol. 2.
[4] Ibi, l. c., adnotatio in margine, fol. 2.
[5] Ibi, l. c., n. 5, 6.

« rarii iuberet. Itaque 400 ducat. fuerant numerandi: verum cum, « nescio quo casu, centum essent detracti, Papa menstruam provisio- « nem auxit; nam cum antea 20 scut. singulis mensibus erogarentur « singulis annis singulis Auditoribus 500 numerari iussit ». [1]

Confirmavit facultatem ab Urbano VII concessam Rotae proponendi aliquot viros idoneos in locum I. B. de Rubeis [2] et « Audito- « res super imagine Crucifixi iurantes non revelare quae tractarentur « et dare suffragium secundum conscientiam, nulla habita ratione pri- « vatarum passionum aut favorum qui pro multis intercedebant, nomi- « naverunt Pompeium Arrigonium et Garziam Millinum » et ordinarunt quod de Rutilio Alterio fieret honorifica mentio. [3]

In honorem collegii rotalis Gregorius ad cardinalatus fastigia evehit Flaminium Plattum, Auditorem Rotae, die 6 mart. 1591. [4] In locum Bubali defuncti, substituit Pompeium Arrigonium die 10 martii 1591 [5] sicut de alio prius vacante, providerat Millinum. [6]

Rotae commisit examen quaestionis, quid sentiendum de concedenda investitura Ferrarien., petita a Duce Ferrariae. Ea occasione mirabile dederunt Auditores constantiae exemplum: nam adnitente Duce totis viribus investituram obtinere, nullum non movit lapidem ut Auditores Rotae pro se pronunciarent. Ad id opera usus etiam fuit Cardinalis Nepotis qui ad se vocato F. Poenia et alio Auditore, Francisco Poenia « pridie eius diei qua nos (est ipse Poenia qui rem « narrat) advocavit, dederat pensionem annuam 300 ducat. aur. super « fructibus et distributionibus Canonicatus Salmanticen., sed nihil « profuit ut contra Ecclesiam mutarem sententiam ». [7] Obiit Gregorius XIV una hora fere post mediam noctem diei 17 oct. 1591. [8]

*Vice-Cancellarius* illi fuit cardinalis Peretti de Monte Alto.

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Flaminius Plattus.
*Ad Episcopatum:* Neapolio Comitulus.

[1] *Arch. Rot., Diarium Poeniae,* n. 7.
[2] Ibi, l. c., nn. 9, 10.
[3] Ibi, l. c., n. 12. fol. 3.
[4] Ibi, l. c., n. 13.
[5] Ibi, l. c., n. 14.
[6] Ibi, l. c.,, n. 18.
[7] Ibi, l. c., n. 19, fol. 4.
[8] Ibi, l. c., adnotatio in margine, fol. 6.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

440. *Ioannes Garzia Millinus*. Romanus, Motumproprium praesentavit die 1 februarii 1591: [1] in Rota sedit die 26 iunii eiusdem anni, succedens Ioanni Baptistae de Rubeis, defuncto. [2] - Processus illius, constans 15 paginis, est sub data 25 iunii 1591. Ioannes, natus ex Mario et Hortensia de Iacobatiis, clericus, ab almo Collegio Advocatorum Consistorialium lauream doctoratus die 20 septembris 1584 consequutus, possidebat « domus, vineas, census et officia ac alia sta- « bilia et mobilia ». Munus exercuerat Advocati Consistorialis. [3] - Cum cardinale Gaetano Papae Legato in Poloniam ivit anno 1596, Datarius Legationis. [4] - Promotus ad archiepiscopatum Colossen., Nuncius missus fuit in Hispaniam a Paulo V die 1 iunii 1605 et die insequenti Rotae valedixit, Hispaniam versus iter aggressurus; residens apud Catholicam Maiestatem creatus fuit cardinalis die 18 septembris 1606, « quod eius merita et summa omnium exspectatio expostu- « labat ». [5] - Missus postea, anno 1608, Papae Legatus ad civitatem Pragen., ibi morte oppetiit Scottus, Rotae Auditor, Datarius Legationis. [6]

*L. I.*, pag. 49: « Ioannes Garsia Millinus, Romanus, Auditor « 21 iunii 1591 - et obtinuit signaturam per concessum die 11 iunii 1604 « a Ssmo D. N. Clemente VIII - et deinde a S. D. N. Paulo V « creatus Archiepiscopus Rhodien. cum retentione Auditoratus die « 3 iunii 1605 - et postea ab eodem Pontifice missus Nuncius in « Hispaniam et Cardinalis creatus die 11 septembris 1606. - Obiit « die lunae prima octobris 1629 ».

Decisiones *coram* Millino captae, numero 416, Venetiis apud Guerilios typis editae sunt anno 1649.

441. *Pompeius Arrigonius*. Romanus, i. u. d. - Advocat. Consistorialis - electus a Rota, praesentavit suum Motumproprium die 15 martii 1581 in locum Marcelli Bubali (*del Bufalo*) defuncti. [7] - Processus illius est sub data 19 decembris 1591 et constat 4 paginis non integris. Parentes eius fuerunt Ioannes et Eugenia Tara. Cum esset Pom-

[1] *Arch. Rot., Admiss. Gregorio XIV*, n. 2.
[2] Ibi, *Diarium* Poeniae.
[3] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XLIII.
[4] Ibi, *Diarium Poeniae*, adnotatio in margine, fol. 9t.
[5] Ibi, *Diarium Coccini*, adnotationes in margine, fol. 17t.
[6] Ibi. l. c., adnotatio in margine, fol. 18.
[7] Ibi, *Admiss. Gregor. XIV*, nn. 3, 4.

peius Advocatus Consistorialis nil aliud probavit processu, quam legitimitatem natalium. [1] - Illius opera, anno 1595, usus fuit Clemens VIII ad componendas lites super limitibus ortas inter multa loca Status Ecclesiastici; [2] et die 5 iunii 1596 illum creavit cardinalem. [3]

*L. I.*, pag. 13: « Pompeius Arrigonius, Romanus, Auditor 20 decem- « bris 1591. - Cardinalis creatus a Clemente VIII die 5 iun. 1596; « obiit Neapoli 4 april. 1616 ».

442. *Alexander Litta*. Mediolanen. - Advocatus Consistorialis - praesentavit Motumproprium die 3 aprilis 1591 et admissus fuit in Rota die 17 aprilis 1592, in locum d. Platti, elati ad s. purpuram. [4] - Processus est sub data 16 april. 1592 et constat 19 paginis, quia continet attestationes redditas Mediolani. Camillus Litta et Margarita de Bosii fuerunt illi parentes; clericus, anno 1582, post quam Bononiae iuris utriusque studio incubuerat, Ticinii in Universitate doctoratum consequutus est. [5] - Coccinus in *Diario:* « Sabati ultima « septembris 1606 D. Litta ab hac vita migravit hora 20, cuius « anima in benedictione sit ».

*L. I.*, pag. 5: « Alexander Litta - Auditor die 20 aprilis 1592. - « Obiit Romae 30 septembris 1606 ».

Illius Decisiones legere est inter *Recentiores*.

443. *Franciscus de la Penna*. Perusinus, i. u. d., et de gremio Collegii doctorum Perusinorum. Successit in locum Neapolii Comitoli promoti ad episcopatum Perusiae. [6] - Processus illius constat 9 paginis non integris et est sub data 26 nov. 1592. Parentes eius nomen habuerunt Bernardinum et Iustinam de Baglionibus: ipse clericali caractere in Urbe insignitus fuit; lauream doctoratus in utroque adeptus erat Perusiae; advocavit et legit per plures annos tam in Gymnasio Perusino quam in Maceratensi. [7]

*L. I.*, pag.. 25: « Franciscus della Penna, Perusinus, Auditor « 27 nov. 1592. - Obiit die 18 maii 1593 ».

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. I, n. XLIV.
[2] Ibi, *Diarium Poeniae,* adnotatio in margine, fol. 9, sub die 14 dec. 1595.
[3] Ibi, l. c., adnotatio in margine, fol. 9t, sub die 4 iunii 1596.
[4] Ibi, *Admiss. Gregor. XIV,* n. 5.
[5] Ibi, *Processus,* vol. I, n. XLV.
[6] Ibi, *Admiss. Gregor. XIV,* n. 1.
[7] Ibi, *Processus,* vol. I, n. XLVI.

## § XVI.

### Innocentius IX.

### (*29 oct. 1591 - 30 dec. 1591*).

« *24 octobris 1591.* Cardinales, cantata Missa de Spiritu Sancto « ingressi sunt Conclave, et die 29 istius mensis concordibus suffragiis « elegerunt d. Cardinalem Ioannem Antonium Facchinettum Bono- « nien. tit. Ss. Quatuor, qui fuit appellatus Innocentius IX ». [1]

Auditores collegialiter a Pontifice recepti sunt die 2 nov. 1591, quibus Papa benevolis verbis alloquutus est, eos exhortans ad sancte administrandam iustitiam. [2]

« Mandavit Decano ut referret dd. Auditoribus ut deinceps in « rescriptis expeditis in Signatura Papae non haberetur ratio, quod « non adsit derogatio regulae de iure quaesito non tollendo, quia « cum, causa cognita et ex certa scientia, praedicta rescripta ema- « nent, non indigent praedicta derogatione: ideoque in regula com- « prehendi censeantur ». [3]

« *Lunae 30 dec. 1591,* duabus fere horis antequam illucesceret, « S. D. N. Innocentius Papa eius nominis IX, sicut Domino placuit, « multum omnibus moerentibus et collacrimantibus, viam est uni- « versae carnis ingressus ». [4]

*Vice-Cancellarium* gessit Cardinalis Peretti de Monte Alto. [5]

## § XVII.

### Clemens VIII.

### (*30 ian. 1592 - 3 martit 1605*).

« Die dicta, (30 decembris 1591) Cardinales ingressi sunt Con- « clave, numero 52, sub die 10 ianuarii 1592, et sub die iovis 30 ia- « nuarii eiusdem anni, fere ad meridiem, concordibus suffragiis, ele- « gerunt in Pontificem Romanum d. Hippolitum Aldobrandinum, « Presbyterum Cardinalem, qui fuit vocatus Clemens VIII.

« Iste erat natione Florentinus, filius Silvestri Aldobrandini qui, « tempore Pauli Pp. III, tamquam rebellis fuerat per Ducem Floren- « tiae in exilium missus.

[1] *Arch. Rot., Diarium Poeniae,* adnotatio in margine, fol. 6.
[2] Ibi, l. c., adnotatio in margine, fol 6, et 6t.
[3] Ibi, l. c., n. 26, fol. 5t.
[4] Ibi, l. c., n. 27, ibi.
[5] Ibi, *Admissiones Innoc. XI.*

« Iste Card. Aldobrandinus fuit Rotae Auditor creatus a Pio V, « et a Sixto V factus primum Datarius, et deinde de anno 1585 « ab eodem in Collegium Cardinalium cooptatus.

« Communi consensu vulgi receptum erat Romae, nullum unquam « Rotae Auditorem fuisse electum in Papam, quod num verum esset « incertum est mihi, licet putem, aliquot Rotae Auditores ex Car- « dinalibus fuisse creatos Papas. Et inter alios Innocentium IV, quem « Capellanum fuisse, memoriae proditum est. Sunt autem et dicuntur « Auditores Rotae, Capellani Papae: utcumque tamen res se habeat, « iste d. Aldobrandinus, prius fuit Rotae Auditor, in quo officio per « 16 annos laudabiliter fuit versatus. Dominus conservet eum ad « optimum regimen Ecclesiae suae sacrosanctae ». [1]

Cetera quae Hippolitum Aldobrandini Auditorem Rotae concernunt, vide supra sub pag. 109, n. 425. Heic exponam gesta illius pontificatus.

« Sabathi 8 febr. 1592. – Collegialiter una cum Card. de Monte « Alto Vicecancellario ivimus ad deosculandum pedes S. Sanctitati « sequentes Rotae Auditores: Decanus, Laurentius Blanchettus, Fran- « ciscus Gratus, Mantica, Franciscus Poenia, I. Garzia Millinus et « Pompeius Arrigonius; Franciscus Gypsius impeditus, non accessit. « Decanus eleganti oratione Pontificis virtutes et generis prosapiam « breviter laudavit. Papa breviter quoque respondit, vix se agno- « scere eas virtutes in se esse, optare tamen se, ac precari Deum « assidue ut sibi gratiam suam largiretur, qua posset iniunctum sibi « Pontificatus munus decenter et pie obire; quantum vero ad nos « spectabat, se quidem nostrum exstitisse Collegam; ideoque Nobis « futurum beneficentissimum, nunc vero evasisse nostrum Principem « et ideo curaturum ut nos ubique et honorem nostrum tueretur et « defenderet, nihilque magis sibi curae futurum, quam huius Collegii « decus, unde Sedis Apostolicae potissimum dignitas in Orbe terra- « rum elucebat, *cupereque se ut omnes intelligerent tam se aestima- « turum honorem nostrum, ut qui nos tangeret, pupillam oculi sui « esset offensurus.* Deinde modestissime hortatus est nos, ut incorrupte « et intrepide ius redderemus et in causis perscrutandis diligenter « invigilaremus. Et sic dimissi sumus. [2]

« Lunae 16 mart. 1592. - Fuimus ad Rotam, ubi invenimus ordi- « nem missum a Ssmo ut post auditam Missam ascenderemus ad « eius conclavia cum Rocchettis, Cappis et scripturis causarum;

[1] *Arch. Rot., Diarium Poeniae,* nn. 28, 29, 30, 31, fol. 6.
[2] Ibi, l. c., nn. 32, 33, fol. 6, 6t.

fuit, nulla habita ratione commendationum singulis Auditoribus por- « quod cum fecissemus, Ssmus etiam de more celebravit Missam, qua « finita, et intromissis nobis ad eius conclave, sedit, nobis stantibus, « et dixit haec praecisa verba: - *Io ho desiderato vedervi collegial- « mente, per essere stato dei vostri, e però ho voluto che questa Rota « si facesse in presenza nostra, ed ancora per dare esempio agli altri « Tribunali.* - Et confestim pronunciata per Suam Sanctitatem solita « oratione, propositis causis et dictis suffragiis, fecimus solitas reso- « lutiones.

« Eadem die, finita Rota quae duravit per quinque integras horas, « Ssmus dixit, sibi fuisse gratissimum nostrum conspectum et actum « iudicandi et discutiendi causas adeo laboriosum et diligentem multum « sibi probari; ideoque se nos hortari ad alacriter ulterius pergen- « dum. Tunc vero, omnes suo ordine, pedibus eius osculo infixo, « discessimus ». [1]

Clemens VIII iussit videri a Rota causam « inter Dños Cardinales « Presbyteros et Cardinales Diaconos super Constit. Sixti V, qua « concedebatur Cardinalibus Diaconis privilegium optandi Episcopatus « maiores in qualibet quarta vacatione » motam a Card. Ascanio de Columna Card. Diacono quem optabat Episcopatum Praenestinum vacantem per obitum Marci Antonii de Columna, etsi non esset quarta vacatio. Et causa disputata fuit « per tres horas et amplius « coram Ssmo » die 12 aug. 1587 divisis suffragiis quoad exsistentiam privilegii Cardinalibus Diaconis concessi, sed concordibus quoad exclusionem iuris Card. Ascanii, quippe quod non fuerit quarta vacatio.[2]

Die quo Clemens VIII « una cum Smo Sacramento Eucharistiae » (13 april. 1598), Roma egressus Ferrariam petiit ad capiendam personaliter possessionem illius feudi, Rota non habuit locum, quia cum Papa discedit et « ultra quadraginta milliaria proficiscitur una cum « Ssmo Sacram. Eucharistiae, quasi esset festum Palatii, non habetur « Rota ». [3]

Per obitum Camilli Peregrini (Pellegrini), Auditoris Veneti, erat eligendus novus Auditor venetus ex quatuor praesentatis a Republica Venetiarum. Praesentatio facta fuit Papae adhuc Ferrariae com moranti, qui mense septembri 1598 « per Card. Aldobrandinum « Nepotem suum, scriptis litteris ad . . . Rotae Deeanum, significavit, « se Auditoris electionem Rotae iudicio committere ». Et electio facta

[1] *Arch. Rot., Diarium Poeniae,* nn. 34, 35, fol. 6t, 7.
[2] Ibi, l c., nn. 39, 40, 41, 43, fol. 8.
[3] Ibi, l. c., n. 43, fol. 8t.

rectarum a praefato card. Nepote in favorem cuiusdam Prezzati, unius ex quatuor praesentatis, et electus fuit Ioannes Baptista Coccinus. Ea occasione statutum est, Auditores singulos non debere similibus commendatitiis litteris sive cardinalium, sive Principum personaliter respondere, sed unum Decanum pro omnibus. [1]

Dies mortis Clementis VIII nec in extracto *Diarii* Poeniae nec in eo Coccini inveniuntur. O rerum humanarum incredibilis vanitas! Scribae qui tam solliciti fuerunt ex iis *Diariis* referre plausus et pompas factas occasione electionis huius Papae qui fuerat Auditor Rotae, ita ut in margine adnotatum inveniatur quod populus circumfusus per plateam S. Petri, magna voce clamabat: « Vivat Papa « Clemens » obliti prorsus sint diem defunctionis illius adnotare! Sed unum idemque non est, novum Papam acclamare, et Papam commendare sepulchro!

Vice-Cancellarius illi fuit Alexander cardinalis Peretti. [2]

### Auditores ab Eo promoti :

*Ad Cardinalatum:* - Franciscus Mantica; Pompeius Arrigonius; Seraphinus Olivarius; Laurentius Blanchettus; Hieronimus Pamphilius.

*Ad Episcopatum:* - Andreas Fernandez de Corbuba; Seraphinus Olivarius.

### Auditores ab Eo creati

### Magistri:

444. *Andreas Fernandez de Corduba.* - Suffectus die 9 decembris 1592, in locum b. m. domini Bravi. [3] - Illius processus est sub data 13 maii 1593. Fuerunt parentes ei Franciscus Fernandez de Corduba et Elisabeth Carvajal; lauream in iure canonico recepit in Universitate Salamantina, in iure autem civili « in la città di Sivi« glia »: beneficia et pensiones possidebat et erat sacro presbyteratus ordine insignitus. [4] Die 7 oct. 1602, accomodatis verbis « se « a Rota licentiavit » promotus ad eccles. Pacen., petens a Rpd. Seraphino Olivario, Patriarcha Alexandrino, ut munus suae consecrationis acceptare vellet « et ab Auditoribus ut consecrationi intervenirent », eisque reliquit suas Decisiones, ut si « aliqua controversia circa illas « oriretur, Domini possent videre veritatem ». [5] - Ipso auctore, *Rota Cordubensis* in Rotae tribunali inducta est. [6]

[1] *Arch. Rot.*, l. c., nn. 46, 47, 48, fol. 9, et n. 51, fol. 9t.
[2] Ibi, *Admissiones, Clemente VIII.*
[3] Ibi, *Diarium.*
[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XLVII.
[5] Ibi, *Diarium Coccini*, adnotatio in margine, fol. 15t.
[6] Cfr. Part. I, caput *De Rotis Martiniana, Urbaniana, Cordubensi*, etc.

*L. I.*, pag. 29: « Andreas Fernandez, Hispanus, de Corduba. - « Auditor 14 maii 1593,[1] - promotus ad Eccl. Pacen. die... octo- « bris 1602. - Obiit de anno 1611 ».

Vulgo et passim appellatus a civitate sua: *Corduba*, Corduben.

Aliquot ex Decisionibus illius inveniuntur impressae in voluminibus *Recentiorum*.

445. *Alexander Iustus* (*Giusti*). Clericus Collen., i. u. d. - utriusque Signaturae Referendarius - Motumproprium praesentavit die 1 oct. 1593; successit in locum Francisci della Penna defuncti.[2] - « *Die 13 oct. 1609.* « D. Iustus, cum summo tam Auditorum quam reliquorum Ordi- « num moerore, ex hac vita migravit. Die sequenti hora 22 fuerunt... « Iusto factae solemnes exequiae, quibus intervenerunt Domini cum « Mantellono et Cappuccio et Galero infulato, comitantibus Advocatis « Consistorialibus et quammaxima Curialium multitudine. Sepultus est « in Ecclesia S. Caeciliae ad montem Iordanum ».[3]

*L. I.*, pag. 25: « Alexander Iustus, Collensis. - Auditor 23 mart. « 1594. - Regens S. Poenit. Apost. sub die 11 iunii 1604 - obiit die « 13 oct. hora sexta noctis an. 1609 ».

Aliquot ex Decisionibus illius reperiuntur in voluminibus *Recentiorum*.

446. *Dyonisius Ratta*. Clericus Bononien., i. u. d. - Illius Motusproprius est sub data iul. 1596 - et successit in locum P. Arrigonii, elati ad s. purpuram.[4] - Processu traditur filius Ludovici Ratta civis Bononien. et D. Pantalena; clericali caractere insignitus; studiis incubuit Patavii et Bononiae. Perhibetur utriusque Signaturae Referendarius, Praelatus domesticus, « Governatore in la città di Ravenna. « Governatore in la provincia di Campagna et Marittima, Locote- « nente civile per alcuni anni del Illmo A. C. in tempo che era « Uditore il Cardinal Mattei... con soddisfatione del Principe »; habuitque in bonis « da 7 a 8 mila scudi de entrata ».[5]

*L. I.*, pag. 13: « Dyonisius Ratta, Bononien. - Auditor die 2 maii « 1597. - Obiit die 6 nov. eiusdem anni, Romae ».

447. *Horatius Lancellottus*. Promoto ad s. purpuram Laurentio Blanchetto (*Bianchetti*) die 5 iun. 1596, in eius locum Clemens VIII

[1] Haec data male exscripta fuit; nam in citato Diario optime legitur data 9 decembris 1592. Et si processus coepit fabricari sub die 13 maii 1593, num potuisset insequenti die Auditorem esse Corduba hic noster?

[2] *Arch. Rot., Admiss. Clemente VIII*, n. 1.

[3] Ibi, *Diarium Coccini*, adnotatio in margine, fol. 18.

[4] Ibi, *Admiss. Clemente VIII*, n. 2.

[5] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XLVIII.

elegit Auditorem Horatium Lancellottum, diaconum, Romanum, qui Motumproprium praesentavit die 26 iun. 1596. Erat utr. Sign. Referendarius, Canonicus S. Petri Urbis.[1]

*L. I.*, pag. 9: « Horatius Lancellottus, Romanus - 24 mart. 1597 « Auditor - et Regens S. Poenit. die 14 oct. 1609. - Cardinalis crea- « tus a Paulo V, die 17 aug. 1611. - Obiit die 9 dec. 1620 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

448. *Camillus Peregrinus* (*Pellegrini*). In locum Francisci Manticae, cardinalis creati in Consistorio diei 5 iun. 1596, suffectus fuit Camillus, sacerdos Veronensis., i. u. d. - utriusque Signaturae Referendarius.[2]

*L. I.*, pag. 22: « Camillus Peregrinus, Veronensis. - Auditor « die 9 iun. 1597. - Obiit Ferrariae die... aug. 1598 ».

449. *Franciscus Sacratus*. Clericus Ferrarien., i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 25 iun. 1598 Seraphino Decano, et successit in locum D. Ratta, defuncti « apud sedem Apostolicam ».[3] - Processus illius est sub data 22 iunii 1599. Parentes habuit nobiles Ferrarienses Thomam Sacratum et Camillam item Sacratum, perdivites; Ferrariae operam studiis dedit, ibique lauream in utroque iure consequutus. - Perhibetur utriusque Signaturae Referendarius.[4] – Celebris controversia quae exarsit inter Franciscum et I. B. Coccinum ob assecutionem Decanatus vacantis per mortem d. Poeniae relata est a me fusius in *cap. I, De Decano:* ea occasione fuit Sacratus ad archiepiscopatum Damascenum promotus, mansitque in Rota Locumtenens. - Die 11 februarii 1621 a Gregorio XV creatus Datarius, die 26 eiusdem mensis se licentiavit a Rota; die vero 19 aprilis insequentis sacra purpura fuit cohonestatus.[5]

*L. I.*, pag. 13: « Franciscus Sacratus, Ferrarien. - Auditor « die 25 iunii 1599 - Archiepiscopus Damascenus die 5 novem- « bris 1612 a S. D. N. Paulo V. - Datarius S. D. N. Gregorii XV, « 11 februarii 1621 - et Cardinalis creatus ab eodem Pontifice Gre- « gorio die 19 aprilis 1621. - Obiit die 6 septembris 1623 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

450. *Ioannes Baptista Coccinus*. Defuncto Camillo Peregrino (*Pellegrini*) Ferrariae cum inibi Clemens VIII adhuc moraretur, Respublica Veneta eidem Clementi Ferrariae quatuor nomina Docto-

[1] *Arch. Rot., Admiss. Clemente VIII*, n. 3.
[2] Ibi, *Admiss. Clemente VIII*, n. 4.
[3] Ibi, *Admiss. Clemente VIII*, n. 5 et 6.
[4] Ibi, *Processus*, vol. I n. XLIX.
[5] Ibi, *Diarium Coccini*, nn. 111, fol. 15t; 116. fol. 16.

rum praesentavit ex quibus, ut moris erat, eligeret unum in Rotae Auditorem. Inter haec erat nomen Ioannes Baptista Coccini, iuris utriusque doctor. Papa, uti suo loco in *I parte* narravi, electionem commisit iudicio Rotae, et Rota elegit I. B. Coccinum, qui Motumproprium praesentavit an. 1599-1600. Erat hic utr. Sign. Referendarius. [1] – Sedem decanalem conscendit, post obitum d. Poeniae et quo iure contra d. Sacratum, fuse exposui iam in prima parte *c. I. De Decano.* – « Ems. Card. Franc. Barberinus Vicecanc., sequendo vestigia Maio« rum suorum, in diebus Natalitiis convitandi Rr. Pp. Dd. Rotae « Auditores (*de qua consuetudine neminit Decis. I, in ant. de Constit.*) « contigit die *6 ian. 1641*, quae fuit dies Epiphaniae, paulo post « initium accessus ad mensam, quod Rms d. I. B. Coccinus, Rotae « Decanus, apoplexia oppressus et biduo post ex hac vita migravit « et die iovis x. ian. sumptu magno apparatu in Ecclesia Societatis « Iesu, adstantibus eisdem Auditoribus et tota Curia, habita oratione « per r. p. Adrianum, eiusdem Societatis religiosum, funus solemne « fuit celebratum ». [2] – Ita clausa est vita istius doctissimi et piissimi viri, cuius operum et doctrinae semper in Rota viridis memoria vixit et vivet, et cui tamen aeternus Rex iustitiae non permisit congruam suorum laborum terrenam mercedem in sacra purpura nancisci! - *Diarium* illius, cuius habemus tantum Extractum, incipit: « Lunae « 20 martii 1600, anno aetatis meae 28, mens. 2, dies 14 ».

Cum sederit in Rota usque ad diem 8 ian. 1641, et fuerit rerum tribunalis curiosissimus, propemodum infinita sunt quae scripto consignavit de Rotae collegio, tribunali et de publicis factis habentibus cum Rota connexionem. Huiusmodi scripta Coccini patribus Iesuitis manserunt, qui publicae utilitati servarunt in bibliotheca Collegii Romani. Quae tamen maxima ex parte typis non fuerunt edita. Eorum vero pars quae respicit rationem procedendi tribunalis rotalis, in vulgus sparsit Ridolphinus in sua *Praxi recent.*: aliam satis ponderosam partem *Adnotationum* Coccini typis vulgavit Dominicus de Zaulis, ex quo Ioseph Bondini an. 1854, in suo opusculo *Del Tribunale della sagra Rota Romana*, ea traxit quae in praedicto opusculo legi possunt a pag. 147, ad pag. 169. Nomine appellata fuerunt haec scripta Coccini *Adnotationes* et sub hoc nomine passim citata ab auctoribus et in Decisionibus Rotae inveniuntur.

*L. I.*, pag. 22: « Ioannes Baptista Coccinus, Venetus. - Auditor « die 13 mart. 1600. – Obtinuit signaturam per concessum die

[1] *Arch. Rot., Admiss. Clemente VIII*, n. 7.
[2] Ibi, *Diarium Pirovani.*

« 11 sept. 1606, a S. D. N. Paulo V. - Regens S. Poenit. 13 sept. 1611 « ab eodem Pontifice, et Decanus post obitum Rmi. Poeniae ».

Fere innumerae sunt illius Decisiones, quas scripsit per 41 annos quibus fuit Auditor Rotae; quorum complures *Magistrales* appellatae sunt iure meritoque. Franciscus Rubeus numero 500 Decisiones Coccini, una cum Decisionibus Ludovici Gomez edidit in uno volumine, quarum quarta editio prodiit Veronae an. 1647. Et legere eas est inter *Recentiores*.

451. *Alexander Ludovisius*. Clericus Bononien., i. u. d., utriusque Signaturae Referendarius ac Praelatus - successit Petro Francisco Gypsio, defuncto, an. 1599. [1]

*L. I.*, pag. 42: « Alexander Ludovisius, Bononien. – Auditor « 17 aprilis 1600 et Sapientiae Locumtenens Card. Camerarii - Archiep. « Bononien. die 2 april. 1612 cum retentione Auditoratus ad beneplacitum S. D. N. Pauli V. - Cardinalis creatus ab eodem, 19 sept. 1616. « - postea creatus summus Pontifex 9 febr. 1621, vocatus Gregorius XV. - Obiit sabato 8 iul. 1623 hora 21 ».

Cetera de eo dicam cum habeam sermonem de Gregorio XV: hic tamen adnotare non praetermitto illius Decisiones in unum volumen collegisse et typis mandasse Venetiis, an. 1638, Oliverium Beltramini in Rom. Curia Advocatum ac Prothonotarium Apost., easque locupletasse argumentis, summariis, adnotationibus et indice. Oliverius *Aureas* appellavit Decisiones Ludovisii qui erat tunc Gregorius XV. Sunt numero 584, quarum prima est sub data 9 iunii 1600 et novissima 20 februarii 1612. Legere eas est inter *Recentiores* ubi sunt sub appellativo *Emo Cardinali Bononien.*, vel: *Gregorio XV.*

452. *Hermannus Hortembergh*. Colonien., i. u. d. - electus fuit in locum Francisci Orani defuncti. an. 1600. Erat praepositus S. Cuniberti; Canonicus Metropolitanae Colonien. [2]

*L. I.*, pag. 33: « Hermannus Ortembergus Noviomagus, - die « 11 nov. 1600. - Eps. Atrebaten. electus die 24 nov. 1610 cum « retentione Auditoratus ad beneplacitum Ssmi. - Obiit mense maii 1626 « in Civitate Atrebaten. ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores* sub nomine *Atrebaten.*

453. *Alphonsus Manzanedo de Quinones*. Motusproprius illius datus fuit anno Clementis decimotertio idest 1604, quo Alphonsus perhibetur presbyter Zamoren., i. u. doctor. [3]

[1] *Arch. Rot., Admiss. Clemente VIII*, n. 8.
[2] Ibi, *Admiss. Clemente VIII*, n. 9.
[3] Ibi, *Admiss. Clemente VIII*, n. 10.

*L. I.*, pag. 29: « Alphonsus Manzanedo de Chinones, Hispanus. « - Auditor 24 nov. 1604. - Patriarcha Hierosolimitanus electus die « 26 oct. 1622 a S. D. N. Gregorio XV. - Obiit die 13 nov. 1627 ».

Ex illius Decisionibus reperiuntur complures inter *Recent.* ut v. g. *part. I, dec. 113;* quae est *Magistralis.* Sed eas omnes in unum ex originalibus collegit et summariis ornavit Ludovicus De Valle, nobilis Brisichellensis, ac demum ab *Amico* argumentis et locupletissimis indicibus auctae fuerunt, ac, resecatis iis Decisionibus quae alibi sunt impressae illisque tantum indicatis, unico volumine prodierunt Romae ex Typ. N. A. Tinassi an. 1673. Sunt numero 919.

454. *Dyonisius Simon a Marquemont,* Clericus, Parisien., i. u. d. - Motumproprium praesentavit Francisco Poeniae Decano die 21 iun. 1604; successit in locum Seraphini Olivarii elati ad patriarchatum Alexandrinum. [1] Erat Cubicularius et Familiaris Papae. - Processus illius est sub data 26 ian. 1605, incipit, narrans processum fuissse fabricatum coram Poenia, Decano, a « Ssmo D. N. Papa specialiter et expresse « deputato ». Dyonisio Simoni pater fuit Dyonisius, dominus de Marquemont, regis Christianissimi a secretis; mater vero Maria Roillard. Natus Parisiis die 1 oct. 1572, clericus fuit et in almo gymnasio Andegavi in iure utroque anno 1592 doctor renunciatus; in bonis habebat ultra 200 ducat. [2] - Fasciculus processus coopertus est pergamena, et in prima pagina haec adnotatio legitur: « Rpd. de Mar- « quemont admissus fuit in Rota, et praestitit solitum iuramentum die « veneris XXVIII ianuarii an. MDCV » quod numquam antea in ceteris processibus invenitur.

*L. I.*, pag. 45: « Dyonisius Simeon de Marquemontio, Parisinus. - « Auditor die 4 febr. 1605. - Archiep. Lugdunen. electus die 5 nov. 1612 « a S. D. N. Paulo V. - et postea Cardinalis creatus a S. D. N. « Urbano VIII die 19 ian. 1626. - Obiit die 16 sept. eiusdem « anni 1626 ». [3]

Decisiones illius legere est inter *Recentiores.*

455. *Ioannes Baptista Pamphilius.* Clericus, Romanus, i. u. d. - Motumproprium praesentavit die 14 iun. 1604 quo successit avunculo suo Hieronimo, cardinalitia dignitate cohonestato a Clemente VIII. [4] *Diariis* constat illius processum decretum fuisse die 25 iun. 1604. Cum fuerit Papa Innocentius X, cetera de eo scribam, de Innocentio scribens.

[1] *Arch. Rot., Admiss. Clemente VIII,* n. 11.

[2] Ibi, *Processus,* vol. I, n. L.

[3] *Liber Iuramenti* datam primam male refert; nam data iuramenti Dyonisii apposita in processu, forsan eodem die qua Dyonisius iuravit, verior habenda est.

[4] Ibi, *Admiss. Clemente VIII,* n. 12.

*L. I.*, pag. 37: « Ioannes Baptista Pamphilius, Romanus. - Auditor « die 20 Xmbris 1604 - in Sapientia Locumtenens Card. Camerarii « de anno 1612 - Consultor Canonista S. Poenit. sub die 20 sept. 1916. « - Nuncius ad Regem Neapoli a S. D. N. Gregorius XV de mense « mart. 1621. - Patriarcha Antiochenus et Nuncius Hispaniarum « electus a S. D. N. Urbano VIII et ab eodem Pontifice Cardinalis « creatus die 19 nov. 1629 - et deinde electus Summus Pontifex die « 15 sept. 1644 et nuncupatus Innocentius X. - Obiit die 7 ian. 1655 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*, aut sub nomine Revmi Pamphilii, aut, saepius, sub nomine Revmi Patriarchae Antiocheni.

## CAPUT VIII.

### § I.

### Soeculo XVII.

### Sacrae Romanae Rotae generales notae per soeculum XVII.

1. – Soeculi XVII prima medietate Rota adhuc virilitatis robore exuberat, et duos alios Summos Pontifices e gremio Rotae exire conspicimus: Gregorium XV et Innocentium X.

2. – Privilegia, honores, honoraria in Rota confluunt: ipsi Auditores, adacti adprecari ut insignia suorum privilegiorum attenuentur, ne cum cardinalibus concurrere videantur, creati apostolici Subdiaconi, sacrorum Palliorum custodes, et iussi in violaceas nigras vestes commutare.

3. – Ast tantae gloriae fulgor et fastigium adscensui finem et praecipiti descensui initia ponit. Sub altera huius soeculi medietate potiones initia sumunt; mense octobri a propositione causarum abstinetur; lites et simultates excitantur ab Auditoribus cum Camera Apostolica, cum Advocatis Consistorialibus, cum Consultoribus S. Officii, cum Baronibus minoribus, super praecedentiis et praeeminentiis: litem quoque et cum Apostolicae Camerae Impressore ciere tentatum est. – Inter sese Auditores aemulationibus et discordiis dimicant. – Fabula Curiae facta est Rota, quae senilitatis limina iam prope salutat.

4. – Nam ab extra qui illam potenter impetit iam adest: Ioannes De Luca. Hic, advocatum agens, saepius e Rota victus egressus, acriter ferens, nullum in Rota locum pro suis Neapolitanis adesse, nil praetereundum duxit ex quo contra Rotam linguam et calamum

acuisset. Cardinalis creatus, in Rotae stylos et Auditores pro posse insurrexit.

5. – Intus, Taia, qui vix ac electus fuerat in Auditorem primus omnium, in domo professa Iesuitarum inhabitans, insteterat cum quodam Patre Iesuita ut tot ceremoniae novitiatus resecarentur et, factus Auditor, bene meminerat rigoris quo a Rota sua admissio facta fuit, cardinali De Luca morem gerit.

6. – Hisce in adiunctis, e Rota novus egreditur Papa, Alexander VIII, qui in minoribus dum esset vel civit ipse vel auxilium praebuit Auditoribus cientibus et foventibus contentiones super praeeminentiis et praecedentiis; ast Papa exsistens, Rotae penitus oblitus est.

7. – Satagerunt nonnulli ex Auditoribus ingruentibus malis remedia afferre, inter quos eminet Iacobus Emerix: ast iam Rotae, pulsis melioribus annis, senium venerat, et bonus Emerix, quasi illius finem non longinquum persentiens, illius monimenta sedula cura colligit ad perpetuam memoriam. Siquidem altera huius soeculi XVII medietate, auctore Emerix, colligi coeptum est causarum Positiones; collectio incipit fieri rotalium Decisionum; initia ponuntur Cameralis Diarii; archivio sedes constituitur certa et stabilis, et rotalium stylorum memoria Emericianae Praxi Rotae signatur.

8. – Et hisce cum non adeo longinquae mortis indiciis Rota soeculi XVII cursum contrivit.

## § II.

## Leo XI.

*(1 aprilis 1605 – 27 aprilis 1605).*

Alexander Octavius de Medicis, florentinus, qui Ecclesiae praefuit per 27 dies.

Huius Papae electio in Diariis non adnotatur: de illius morte haec adnotat Coccinus: « Mercurii 27 april. 1605. - Rotali causarum « cognitione peracta, iisque iam resolutis, allatum est Dominis sum- « mum Pontificem Leonem XI, nuper ad illud dignitatis culmen eve- « ctum, obiisse ». [1]

[1] *Arch. Rot.. Diarium Coccini* fol. 17, adnotatio in margine.

## § III.

### Paulus V.

*(16 maii 1605 – 28 ian. 1621).*

« Hac die d. Card. Burghesius (Camillus) ad summi Pontifi- « catus dignitatem secunda hora noctis assumptus fuit, vocatus Pau- « lus V ». [1]

Die 1 iun. ab Eccl. Rhodien. d. Millinum, iam Nuncium ad Regem Hispan. destinatum, ad Episcopatum Colossensem promovit, [2] ac die 4 iul. insequentis Rotae dedit « consuetum convivium, atque « exemplo f. m. Clementis VIII singulis (Auditoribus) 100 aureos », [3] quos quolibet anno continuavit Rotae tradere.

Anno 1611, kal. martii, Reformationis Tribunalium Urbis edidit Bullam *Universi agri dominici*, qua, quoad Rotam, omnia confirmavit quae a suis praedecessoribus, praesertim Innocentio VIII et Pio IV, fuerant statuta. [4]

Anno 1613 die 2 febr., Rotae Decano ius recognovit habendi duas candelas, dicens: « Decanus Rotae debet habere duas candelas, « quas de manu S. Sanctitatis solet recipere ». [5]

De mense martio 1618, Rotae assignavit certa cubicula in Palatio Quirinali, quae idem Pontifex invisit, et Decano, gratias ei nomine tribunalis agenti, dixit: *in nostris libenter vellemus vos cubiculis recipere posse:* iussitque aulam Cancellariae Apostolicae posthac posse inservire pro publicis disputationibus. Et finita Rota quae primo habita fuit iisdem in cubiculis die 23 praedicti mensis, Paulus per Costagutum, primum ab Economo Pontificiae domus Magistrum, voluit scire an bene se habuissent Rotae Auditores et an aliquid deesset: et Rotae Auditores gratias ingentes Ssmo reddentes, maximis Rotae tribunal honoribus affici significarunt. [6]

Montem pacis notariorum Rotae erigit. [7]

Obiit die iovis 28 ianuarii, hora 23 cum dimidio, anno 1621. [8] *Vice-Cancellarius* illi fuit Alexander card. Farnesius. [9]

[1] *Arch. Rot.*, citat. *Diarium Coccini.*
[2] Ibi, l. c.
[3] Vol. III, n. 194, pag. 323.
[4] Ibi, n. 197, pag. 324.
[5] Ibi, n. 200, pag. 331.
[6] Ibi, n. 204, pag. 333.
[7] Ibi, n. 208, pag. 336.
[8] Ibi, n. 210, pag. 351.
[9] *Arch. Rot., Admiss. Paulo V.*

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Millinus; Horatius Lancellotti.

*Ad Episcopatum:* Millinus; Ludovisius; Hortemberg; Sacratus.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

456. *Iacobus de Cavaleriis.* Clericus, Romanus, i. u. d., utriusque Signaturae Referendarius - habuit locum Garziae Millini ad s. purpuram evecti et Motumproprium praesentavit die 6 oct. 1606.[1] – Testes processus examinati fuerunt die 21 mart. 1607, qui retulerunt, patrem Iacobi fuisse Bernardum Cavalieri, nobilem civem romanum; matrem vero Dianam Santoriam (Santori), bonae conditionis et famae; Iacobum autem in bonis habuisse « assai più di doicente « ducati d'oro di camera ». Initio processus aliena manus hanc apposuit glossam: « Dñs Iacobus de Cavaleriis die lunae XXVI martii 1607 « fuit admissus ad Rotam; praestitit solitum iuramentum: et fuit sibi « os clausum ».[2]

*L. I.*, pag. 50: « Iacobus Cavalerius, Romanus - Auditor die 26 mar- « tii 1607 - Datarius S. D. N. Urbani VIII, creatus 15 sept. 1623, et « ab eodem Pontifice Cardinalis creatus die 19 ian. 1626. - Obiit « Tibure die 29 ian. 1639, hora prima noctis ».

Decisiones *coram* Cavalerio ipse Cavalerius in unum volumen collegit cum solitis indicibus et argumentis, existens iam Cardinalis, ac publicavit Romae typis R. C. A. an. 1629 dedicavitque Urbano VIII in ostensionem sui grati animi ob innumera ab Urbano accepta beneficia. Numero sunt 658, a die 14 maii 1607 ad 3 iul. 1623 editae. Prostant etiam in voluminibus Collectionis *Recentiorum.*

457. *Bernardinus Scottus.* Clericus, Mediolanen., i. u. d. - successit in Rota Alexandro Litta, defuncto. Praesentavit Motumproprium die 6 nov. 1606.[3] - Instrumentum depositionis testium super habilitatibus illius datam praesefert 5 aprilis 1607. Attestantur testes, Bernardino patrem fuisse Ludovicum civem mediolanen. et matrem Luciam Bossi « di bonissima conditione et fama..... et loro sono « anco di casa illustrissimi tanto dalla banda del padre, quanto della « madre ». Patavii Bernardinus renunciatus fuit doctor in utroque ure « et è dottore di collegio di Milano, quale grado non si dà si

[1] *Arch. Rot., Admiss. Paulo V,* n. 1.
[2] Ibi, *Processus,* vol. I, n. LI.
[3] Ibi, *Admiss Paulo V,* n. 2.

« prima non è dottorato in Pavia et anco sia egli nato nobile sì « de padre come de madre ». Gregorius XIV eum creaverat Advocatum Consistorialem « per il collegio di Milano » ; et Gaspar Visconti, archiepiscopus Mediolanen., contulit illi Romae primam tonsuram clericalem.[1] - Sub die 29 iul. 1608 adnotat Coccinus:[2] « d. Scottus extremum diem obiit in civitate Pragen., qua una cum « Cardinale Millino S. Sedis Legato, profectus fuerat ».

*L. I.*, pag. 5: « Bernardinus Scottus, Mediolanen. - Auditor die « 11 maii 1603 - obiit Pragae 28 iul. 1608, Datarius legationis ». Sed *Liber iuramenti* erronee admissionis datam 1603 signat; nam apostilla apposita in prima pagina processus sic habet: « fuit admissus « ad Rotam die veneris XI maii 1607 » : quod vero omnino concinere debet, nam processus est sub data 5 aprilis illius anni.

458. *Philippus Pirovanus.* Clericus, Mediolanen., i. u. d. - habuit locum Bernardini Scotti nuper defuncti.[3] - Inquisitio illius decreta die 11 maii 1609, perfecta fuit sub data 1 febr. 1610. Franciscus Pirovani ex Margarita Braschi, nobili mediolanen., natum suscepit Philippum: « li soprannominati Signor Francesco et Margarita, consorti, « sono sempre stati di Nobile et honesta conditione et bonissima « fama e reputazione ». Philippus autem doctor fuit renunciatus Patavii, et erat e gremio collegii doctorum Mediolani « essendo anco « ivi Avvocato famoso e di gran reputazione et fama » ; clericus et perdives.[4]

*L. I.*, pag. 6: « Auditor die 8 febr. 1610. - Consultor Canonista « Sacrae Poenitentiariae 9 nov. 1629 - et Decanus per obitum Coc- « cini die 8 ian. 1641 - et per obitum eiusdem, die 19 eiusdem mensis « declaratus Regens S. Poenitentiariae ».

Obiit Decanus Rotae eodem anno 1641, die vero 10 septembris.[5]

Praeter Motumproprium et processum, archivium istius Auditoris possidet volumen *Diarii*, quod ab anno 1610 ad diem pervenit 3 iul. 1641. In eo refert causas propositas per id temporis in Rota, paucas vero continet adnotationes. Pirovanus unicuique causae apposuit numerum progressivum: et hoc fecit ab initio usque ad diem 19 aprilis 1619, quo numerus est propositionum causarum 9939. Postea ab huiusmodi praxi, unice sua, destitit.

Decisiones illius legere est inter *Recentiores.*

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. I, n. LII.
[2] Ibi, *Diarium,* fol. 18, adnotatio in margine.
[3] Ibi, *Admiss. Paulo V,* n. 3.
[4] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. LIII.
[5] Caput III, *de Decano* in I operis parte.

459. *Franciscus de Ubaldis.* Diaconus, Perusinus, i. u. d. - successit *per obitum* Alexandro Iusto, et cedula Motusproprii in forma *Brevis*, ab eo praesentata fuit die veneris 8 ian. 1610. Die 29 ordinata fuit illius inquisitio, quae clausa est die 30 aprilis. Ita in dorso Motusproprii.[1] - Illius inquisitionis, seu processus, acta penitus hodie desiderantur: sed Coccinus sub die 14 maii 1610 adnotat: « In hac « Rota fuit ordinatum quod d. Franciscus de Ubaldis, Perusinus, « electus Auditor, non informaret Rotam, quia illius persona erat « satis cognita, cum per 28 annos legisset in Universitatibus princi- « palibus ».[2] - Et revera « ab augustis patriae suggestis in quibus « aliquandiu fuerat summa cum laude versatus, ad Messanenses « primum inde ad Avenionenses exedras honestissimis condicio- « nibus..... evocatus fuerat ».[3]

*L. I.*, pag. 21: « Franciscus Ubaldus Perusinus - Auditor 25 octo- « bris 1610 - obtinuit signaturam per concessum die 13 sept. 1611 « a S. D. N. Paulo V. - Obiit sub die 17 martii 1626 ».

Decisiones coram Francisco coeptas, anno 1661 publicavit Augustae Perusiae, adiectis argumentis, summariis, adnotationibus et indice lucupletissimo, Ioan. Antonius Monaldus nepos, eas inscribens: *Decisiones Ubaldae.* Hoc consulto; nam cum Decisionibus Francisci idem Antonius publicat Decisiones Benedicti de Ubaldis, de quo sermo erit suo loco faciendus: tunc quot numero sint et qua ratione in illa editione dispositae referam: hic tantum adnotabo quod « has ipsas « Decisiones oraculi sui suffragio dignatus (Urbanus VIII) typis et « posteritati tradi, non annuisse solum voluerit, sed iussisse. Ibant « illae pleraeque aut per se sparsim, aut cum alienis mixtim editae: « pars maior et potior privatis in scriniis et pluteis manuscriptae late- « bant ».

460. *Fabritius Verospius.* Clericus, Romanus, i. u. d., utriusque Signaturae Referendarius - Auditor Contradictarum - Praelatus domesticus - in locum successit Horatii Lancellotti evecti ad s. purpuram, et motumproprium praesentavit die 12 dec. 1611.[4] Examen duorum testium probantium Rpd. Fabritium esse legitimum, clericum, doctorem et habere in reditibus plusquam 200 ducatos, locum habuit die 20 ian. 1612. Testes retulerunt parentes Fabritii fuisse nobiles Hieronimum et Penelopem Gabrielli « di fama bonissima et conditione

[1] Unica hodie existens talis in volumine *Admissionum,* ibi Paulo V, n. 4.
[2] *Arch. Rot., Diarium,* fol. 18 in adnotationibus additis.
[3] Ita litterae dedicatoriae, praeinsertae editioni Decisionum, Francisci.
[4] *Arch. Rot., Admiss. Paulo V,* n 5.

« nobile nella città di Roma, et hanno havuti molti titoli et honori, « et primari in questa città » : Fabritium autem clericum fuisse, in utroque doctorem.[1]

*L. I.*, pag. 9: « Fabritius Verospius - Auditor die 25 iunii 1612. - « Datarius S. Poenitentiariae 3 oct. 1617. - Abiit Nuncius extraor- « dinarius in Germaniam die 13 martii 1619; rediit 5 nov. eiusdem « anni. - Abiit denuo Nuncius extraordinarius in Germaniam, missus « a S. D. N. Greg. XV die 16 ian. 1622; rediit 27 nov. eiusdem « anni. - Factus a S. D. N. Urbano VIII Perusiae et Umbriae Guber- « nator die 27 oct. 1623 - et Cardinalis creatus ab eodem Urbano « die 30 aug. 1627. - Obiit 27 ian. 1637 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

461. *Matthaeus Burattus*. Clericus, Bononien., i. u. d. - utriusque Signaturae Referendarius - familiaris Rpd. Spinola Locumtenentis civilis A. C. - electus in locum Alexandri Ludovisi Archiep. Bononien. – Motumproprium praesentavit die 5 oct. 1612.[2] Abest archivio illius processus.

*L. I.*, pag. 42: « Matthaeus Burattus, Bononien. - Auditor « 15 april. 1613. - Obiit Romae die 16 martii 1627 hora 17 ».

Nonnulla refert de illius vita filius eius Ioannes, qui in litteris ad *quinquaginta viros Bononiae Senatores*, praeinsertis tertio tomo Decisionum Matthaei, sequentia scribit: « ..... Bononiae vestrae..... « in iurisprudentia diutissime versatum, Pauli V Pontificis Optimi « Maximi benigna auctoritas in Romanam Curiam accersivit. Idem, « olim Bononiae Pro-legatus, cum ipsum inconcussa fide, prudenti « doctrina, supra mediocritatem excultum cognovisset, Camerae « Ap. Auditoris Locumtenentem elegit Alexandri Ludovisii qui post, « pontificatum..... Gregorius XV est nuncupatus in Romana Rota « successorem dignissimum declaravit, biganiae impedimento per « diploma, quod amplissimum extat, deleto ».

Decisiones coram Buratto, in vol. 3, dispositas, typis R. C. publicavit Franciscus Ferentilli advocatus, Romae an. 1637. Legi etiam possunt inter *Recentiores*.

462. *Guilelmus Du Nozet* (seu *Du Broc*). Nimburen. civitatis - i. u. d. - utriusque Signaturae Referendarius - in locum Rpd. Marquemontii, archiepiscopi Lugdunen., fuit electus.[3] – Coccinus nar-

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. LIV.
[2] Ibi, *Admiss. Paulo V*, n. 6.
[3] Ibi, *Admiss. Paulo V*, n. 8.

rat:[1] « In inquisitione D. Dunozetti, cui hodie ex gratia Domini « voluerunt remittere unam instantiam ad effectum ut posset ante « festa paschalia habere punctum et praesentare in Rota conclusio- « nes ». - Processus seu inquisitio est sub data 4 maii 1613, et nos edocet, nobilem virum Franciscum du Nozet, commissarium ordinarium militiae in regno Franciae et domicellam Claudiam Olivier in civitate Nivernen., coniuges legitimos, filium habuisse Guilelmum, qui Parisiis clericali charactere fuit insignitus et anno 1602, die 18 octobris, in florentissima Universitate Auriaci Biturigum adeptus fuit in utroque iure lauream doctoratus.[2]

*L. I.*, pag. 45: « Guilelmus du Nozet Nivernensis - Auditor die « 17 maii 1613. - Archiepiscopus Seleucien. electus a S. D. N. « Greg. XV Vice-legatus Avenionen., die 17 mart. 1621 - et existens « in Gallia, libere resignavit in manibus Urbani VIII auditoratum die « 23 maii 1626. - Obiit in eodem loco 20 nov. 1626 ».

Decisiones coram Dunozetto typis vulgatae fuerunt Romae anno 1668 a Ioanne Scipione de Pol Santrochet, concinnatae tamen a d. Mario Fino, Auditore a Studiis Dunozetti, iunioris. Numero sunt 353.

463. *Ioannes Baptista Rembold.* Clericus Augustanus, i. u. d. - Utriusque Signaturae Referendarius - habuit locum Rotae quem obtinebat Hortemberg promotus ad episcopatum Atrebaten. Motumproprium praesentavit die 4 martii 1613.[3] – Illius processus datam praesefert 14 februarii 1614. Patrem habuit nobilem Christophoram patritium Augustanum, matrem vero Iulianam Vellseren., item patritiam Augustanam; clericali caractere aliisque sacris ordinibus et presbyterali in civitate Amerina insignitus; anno 1607, die 24 martii in florentissimo Perusiae Gymnasio lauream doctoratus in utroque iure assequutus est, ac possedit ex bonis patrimonialibus et ecclesiasticis ultra summam 200 ducatorum.[4]

*L. I.*, pag. 33: « Ioannes Baptista Remboldus, Augustanus. – « Auditor 26 februarii an. 1614. - Obiit die 18 novembris in nocte « sequenti 1626 ».

Decisiones coram Remboldo « in unum ex originalibus recollectae, « ac argumentis, summariis, et locupletissimis indicibus ornatae, « resecatis tamen iis Decisionibus quae alibi sunt impressae, illisque « tantum indicatis, addita Mantissae loco collectanea votorum et

[1] *Arch. Rot., Diarium*, fol. 13[t], n. 92.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LV.
[3] Ibi, *Admiss. Paulo V*, n. 7.
[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LVI.

« responsorum diversorum celebrium iurisconsultorum una cum non-« nullis additationibus, argumentis, summariis et indice », in publicam lucem prodierunt Romae an. 1676 ex Tip. Corvi etc., opera et studio Iosephi Domitii, i. u. d. - Legi etiam possunt inter *Recentiores*.

464. *Martinus Andrëas* (*Andres*). Clericus, Segobricen., decretorum doctor - in R. Curia causarum Advocatus - in locum d. Poeniae, defuncti, admissus, Motumproprium praesentavit die 6 iun. 1613.[1] Illius inquisitio est sub data 19 febr. 1614: natus ex nobilibus Martino et Beatrice Roldan in civitate Segobricen., sacerdos, et anno 1590 die 15 maii doctoratus in iure consequutus.[2] – Coccinus narrat, die 11 oct. 1613 processum Martini fuisse completum, prout antea processum d. Remboldi absentis. « Instabat d. Martinus Andreas procedi « ad ulteriora, non obstantibus allegatis, per d. Remboldum, absen-« tem Reipublicae causa; Domini, praedictis auditis, fecerunt decretum « in hunc qui sequitur modum : Dñi ordinarunt fieri relationem S. D. N. « quod Processus d. Remboldi et d. Martini Andreae sunt completi, et « quod de iis fuit bene auditum. – Item, ordinarunt quod d. Martinus « Andreas procedat ad ulteriora, scilicet ad disputationem publicam « et privatam usque ad admissionem et possessionem inclusive; cum « conditione tamen, quod si d. Remboldus accederet ad Urbem ante « diem adeptae possessionis in Rota per D. Martinum Andream, « teneatur exspectare donec d. Remboldus fecerit disputationem publi-« cam et privatam et quousque coeperit possessionem in Rota; si vero « d. Remboldus non accesserit ad Urbem tempore praedicto, non « possit se excusare ex quocumque impedimento; et fuit ordinatum « quod de his fieret relatio S. D. N. ». Qui, relatione audita, decretum approbavit, appellavitque « prudens et aequum ». Et « Domini « voluerunt dignis de causis servare decretum Rotale ad unguem ». Accidit tamen quod d. Remboldus Urbem reintraverit ante diem 24 ian. 1614, et sic Martinus nequivit contra eum habere praecedentiam.[3]

*L. I.*, pag. 17: « Martinus Andreas, Hispanus - Valentinus – Au-« ditor 3 mart. 1614. – Obiit Romae die 20 iulii 1619 ».

Decisiones illius inter *Recentiores*.

[1] *Arch. Rot., Admiss. Paulo V,* n. 9.
[2] Ibi, *Processus,* vol. I, n. LVII.
[3] Ibi, *Diarium,* fol. 13[t] et sqq., nn. 94, 95, 96, 97, 99, 100

## § IV.

### Gregorius XV.

*(9 febr. 1621 – 8 iul. 1623).*

« Die martis 9 febr. 1621. Hac die, sub noctem, hora 24, Car- « dinalis Alexander Ludovisius, Bononiensis, summus Pontifex fuit « denunciatus in Conclavi, in quo aderant Cardinales 52, et ipse « vocatus Gregorius XV, qui prius fuerat Auditor Rotae, ex qua ad « Archiepiscopatum Bononien. fuerat translatus ».[1]

Die 11 creavit Datarium d. Sacratum, archiep. Damascenum,[2] quem paucis post diebus Cardinalem fecit;[3] Rotam collegialiter recepit die 19 illius mensis illique donativum contulit scut. 2400 auri pro sua electione.[4] Merlinum deputavit Datarium an. 1623, mense martio:[5] denique die 8 iulii praedicti « diem suum hora 21 « clausit extremum ».[6]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Alexander card. Perettus, et postea Ludovicus Card. Ludovisius.

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Sacratus.
*Ad Episcopatum:* Manzanedo de Quinones.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

465. *Clemens Merlinus.* Clericus Forolivien. - Civis Ferrarien. ex privilegio, i. u. d., olim in Universitate Ferrarien. publicus professor - successit in locum Sacrati promoti ad s. purpuram et Motum-proprium praesentavit 26 april 1621.[7] – Decanus a die 10 septembris 1641 ad diem 24 iulii 1642, quo est mortuus.[8] Sub hac die Cerrus in suo *Diario* adnotat: « Clemens Merlinus, Rotae Decanus, « diem ultimum clausit, commune debitum solvens ».

[1] *Arch. Rot., Diarium Coccini,* fol. 15t, n. 110.
[2] Ibi, n. 111.
[3] Ibi, fol. 19t, adnotatio in margine: *Lun. 26 april. 1621.*
[4] Ibi, fol. 16, 16t, nn. 113, 114, 115 et 117.
[5] Ibi, fol. 16t, n. 118.
[6] Ibi, n. 120.
[7] Ibi, *Admiss. Gregor. XV,* n. 1.
[8] Part. I, Cap. III, *De Decano.*

*L. I.*, pag. 14: « Clemens Merlinus, Forolivien. civis Ferrarien. – « Auditor die 26 nov. 1621. – Datarius creatus a S. D. N. Gre- « gorio XV die 26 febr. 1623 – et Datarius S. Poenitentiariae die « 30 aug. 1627 – et Decanus per obitum b. m. Pirovani – et Regens « S. Poenitentiariae die 10 sept. 1641. – Obiit die iovis 24 iul. 1642 ».

Decisiones coram Merlino in 2 vol. dispositae, ex originalibus depromptae, vulgatae sunt et tanto favore acceptae ab iuris profes- soribus fuerunt ut altera earum prodierit editio an. 1662 scilicet 20 an. post obitum Clementis. Eas typis mandavit frater eius Marcu- lus. Lectae fuerunt etiam inter *Recentiores.*

466. *Balthassar Sebastianus Navarro de Arroyta.* Clericus Teru- len., i. u. d. - obtinuit in Rota locum Martini Andreae defuncti et Motumproprium praesentavit die 9 iun. 1621.[1] - Die prima decem- bris 1621 initium habuerunt acta illius inquisitionis. Probavit Bal- thassar se filium fuisse nobilis Dominici et Dorotheae Sebastian filiae Martini Martinez de Arroyta, natum in civitate Teruel, regni Hispa- niarum Aragoniae. Clericus, doctor in iure canonico renunciatus in gymnasio Caesaraugustano, in bonis patrimonialibus et aliis ecclesia- sticis ultra summam et valorem annui redditus 200 ducat. habebat.[2] - Motuproprio illius successoris Pauli Durani scimus, Navarrum recessisse ad partes Hispaniarum, et cum non revertisset Romam, habitum fuisse tanquam dimissionarium; unde fuit illi constitutus successor in Rota.[3]

*L. I.*, pag. 18: « Balthassar Sebastianus Navarrus, Hispanus ex « Aragonia. - Auditor die 17 decembris 1621 – et promotus ad « Episcopat. Tarraconen. an. 1631 de mense sept. - sed prius abierat « a Rota ad Consilium Aragoniae ».

Decisiones coram Navarro legere est inter *Recentiores.*

## § V.

## Urbanus VIII.

### (*6 aug. 1623 - 24 iul. 1644*).

« Feliciter fuit assumptus ad Pontificatum, die dominico festo « Transfigurationis Domini 6 aug. (1623) S. D. N. Urbanus VIII ».[4]

[1] *Arch. Rot., Admiss. Gregor. XV,* n. 2.
[2] Ibi, *Processus,* vol. I, n. LVIII.
[3] Ibi, *Admiss. Urbano VIII,* n. 1.
[4] Ibi, *Diarium Coccini,* fol. 16[t], n. 120.

Solitum donativum pro sua assumptione Rotae dedit, [1] sed cum a die quo electus fuit ad diem usque 2 sept. non bene valens audientias non admitteret, [2] ideo Rota collegialiter ad eum non accessit, nisi die 24 novembris illius anni. [3]

Sub die 5 sept. 1625 declaravit Datarium suum Cavalerium, Rotae Auditorem. [4]

*Breve* diei 9 maii 1637 *Cum sicut Nobis* statuit Urbanus quod, omissa Rota fieri solita in feria quarta post dominicam Pentecostes, eius loco prima Rota Quadragesimae, quae esse debebat *Rota Memorialium*, fieret *Rota Dubiorum*, et appellaretur Rota Urbana; ac insuper, quum esset incertum an subrogatio *Rotae Corduben.* nuncupatae, quae feria quarta ante Festum Corporis Christi a pluribus annis fieri consueverat in locum illius quae feria sexta post idem festum fieri debuisset, fuisset apostolica auctoritate comprobata, Rotam Corduben. approbavit et confirmavit, illique robur adiecit apostolicae firmitatis. [5]

Anno 1643 sub die 19 novembris Constitutionem edidit *Exponi Nobis*, qua sub poena excommunicationis latae sententiae statuit, ne Auditores eorumque in Studiis Adiutores verbum faciant de Auditorum votis. [6] Haec Constitutio dein lecta est quotannis in Rota iuramenti, uti retuli suis locis in prima operis parte.

« Die veneris 29 iulii 1644 hora undecima cum dimidia circiter, « obiit Papa Urbanus VIII. Vir eruditione insignis, graecas, latinas, « etruscasque literas optime callens, Legum doctor eximius, eloquen- « tissimus semper et ab omnibus habitus, ingenioque promptus, adeo « ut homines loquendo vinciret ». Ita Otthobonus in suo *Diario*. [7]

*Vice-Cancellarium* successive gesserunt Ludovicus card. Ludovisius et Franciscus card. Barberinus. [8]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Marquemont; Cavalerius; Fabritius Verospius; Ioannes Baptista Pamphilius; Virili; Benedictus de Ubaldis; Hieronimus Verospius; Pancirolus.

[1] *Arch. Rot.*, citat. *Diarium*, l. c.
[2] Ibi, l. c., fol. 17, n. 12.
[3] Ibi, l. c., fol. 20, adnotatio in margine.
[4] Ibi, l. c.
[5] Vol. III, n. 219, pag. 355.
[6] Vol. III, n. 225, pag. 361.
[7] Ibi, citat. *Diarium*, fol. 31[t], n. 120.
[8] Ibi, *Admiss. Urbano VIII.*

*Ad Patriarchatum:* Pancirolus.

*Ad Episcopatum:* Pamphilius; P. Duranus; Macchiavelli; Cornelius (Corner).

### Auditores ab Eo creati

Magistri:

467. *Paulus Duranus* (*Duran*). Clericus, Barchinonen., i. u. d. - successit d. Navarro « per dimissionem, seu recessum notorium ad « partes Hispaniarum ». [1]

*L. I.*, pag. 18: « Paulus Duran, Hispanus ex Catalonia. – Audi- « tor die 19 maii 1625 – promotus e Rota ad Episcopatum Urgel- « len. die 9 ianuarii 1634 ».

Decisiones coram Durano inveniuntur typis impressae Lugduni 1639 sub unico volumine: sunt numero 463, solitis exornatae argumentis et indice.

468. *Lucas Antonius de Viriliis* (*Virili*). Presbyter, Romanus, i. u. d. - utriusque Signaturae Referendarius - assumpto ad Cardinalatum Iacobo Cavalieri, istius locum Rotae obtinuit et Motumproprium praesentavit die 26 ian. 1626. [2] - Processus super habilitate, sufficientia et idoneitate Lucae Antonii de anno 1626 mense iunio fuit fabricatus. Senis in scientiarum omnium Studio in utroque iure doctor fuit renunciatus. Illi pater fuit Lelius et mater Sigismunda Prati, ambo nobiles romani. Presbyter erat, et advocatiam profitebatur Romae. [3]

*L. I.*, pag. 50: « Lucas Antonius Virilis, Romanus - Auditor « die 22 iunii 1626 - Vice-praefectus Signaturae iustitiae - et Car- « dinalis creatus a S. D. N. Urbano VIII die 19 novembris 1629. - « Obiit die iunii 1634 ».

Decisiones coram de Viriliis legere est inter *Recentiores*.

469. *Benedictus de Ubaldis*. Clericus, Perusinus, per obitum avunculi sui Francisci de Ubaldis habuit locum in Rota et Motumproprium praesentavit die 23 mart. 1626. [4] - Processus est sub data 18 novembris 1626, et ex eo eruitur, Benedictum natum fuisse ex illustrissimis nobilibus, Mario Monaldi et Zenobia Ubaldi Perusiae: clericus ac in Romana Curia Advocatus. [5] - Frater illius Ioannes Antonius Monaldi in litteris dedicatoriis quas praeinseruit editioni Deci-

[1] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII,* n. 1.
[2] Ibi, *Admiss. Urbano VIII,* n. 2.
[3] Ibi, *Processus,* vol. I, n. LIX.
[4] Ibi, *Admiss. Urbano VIII,* n. 3.
[5] Ibi, *Processus,* vol. I, n. LX.

sionum Ubaldarum, narrat: « Benedictus frater avunculum (nempe « Franciscum) Avenionem sequutus et mox Romam perpetuus comes, « numquam a nutu discedens, ut in illo contubernio et studiorum « consortio proficeret, benevolentiam erga se paternam expertus, filii « loco habitus (ab avunculo) in filium cooptatus, *in nomen familiae « adscitus*, bonorum ac fortunarum heres, cum illum (avunculum) « provectum aetate meritorum et gloriae plenum, sibi praereptum « vidit etc. ». Et addit, Benedictum a cardinale Antonio Barberino vel iussu patrui illius Urbani VIII vel sponte assumptum fuisse comitem cum « pro negociis maximis atque gravissimis ad Italiae prin- « cipes legatione functus fuisset ».

*L. I.*, pag. 26: « Benedictus Ubaldus, Perusinus – Auditor « 2 dec. 1626 – et Cardinalis creatus a Ssmo D. N. Urbano VIII « die 28 nov. 1633 ».

Decisiones coram Ubaldo – uti supra scripsi de Francisco de Ubaldis – publicatae fuerunt a fratre Benedicti an. 1661 et inscriptae *Decisiones Ubaldae* quia mixtim in duob. vol. reperiuntur inter decisiones avunculi sui Francisci. Duo vero volumina illa in tres partes dispescuntur, quarum tertia refert in unum collectas decisiones Benedicti « in ordine ad primam et secundam partem Francisci Ubaldi « avunculi »; illae ex Benedicti Decisionibus quae vel inter *Recentiores*, vel alibi fuerant iam impressae, omittuntur, et tantum earum fit mentio et citatio. Numero sunt 203 cum solitis argumentis et indicibus.

470. *Edmundus Amatus Du Nozet.* Diaconus Antissiodoren., i. u. d. – Praelatus domesticus – per dimissionem Auditoratus factam a D. Guilelmo Du Nozet habuit locum Rotae et praesentavit suum Motumproprium die 29 maii 1626.[1] - Illius inquisitio est sub data 11 dec. 1626. Natus ex nobilibus Francisco du Nozet et Amata de Thebaunt in civitate Nivernen., fuit i. u. d. in Romana *Sapientia* renunciatus. Abbas S. Martini de Aumale; Prior commendatarius S. Petri de Mortenier Rotomagen. dioecesis; nepos Illmi et Revmi d. Guilelmi du Nozet Archiep. Seleucien. vicelegati Avenionen.[2] – Decanus a die 24 iul. 1652 ad 14 oct. 1657, quo obiit.[3] - Obitum illius ita adnotat Celsus in suo *Diario:* « hora 16 obiit R. P. D. Ama- « tus Du Nozettus Rotae Decanus, non sine maximo omnium dolore

[1] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII*, n. 4.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXI.
[3] Part. I, cap. III, *De Decano.*

« et meo praesertim, qui illum summopere diligebam et venerabar: « obiit in suae aetatis anno ».

*L. I.*, pag. 46: « Amatus du Nozet, Gallus – Auditor 15 ianua- « rii 1627 electus - Decanus per obitum R. P. D. Merlini die 5 iul. « 1652 – obiit die dominico 14 oct. 1657 hora 16 ».

Decisiones coram Dunozetto numero 1009 duobus tomis comprehensae, publici iuris factae sunt a Scipione Pol Santrocheto, Advocato, qui in litteris dedicatoriis ad Cardinalem Petrum Otthobonum, olim Auditorem Rotae, haec scribit: « Amatus Dunozetus « iam pridem S. Rotae Decanus, Decisiones suas dum viveret mihi « tradidit, Eminentissime princeps, ut eas pro bono publico, cui « multum insudaverat in lucem proderem. Quia vero tibi semper fuit « in eodem Tribunali collega amicissimus, nec ideo est cui potius « debeant illius Decisiones consecrari, mei ufficium est, ut eas tuae « Celsitudini offeram ... – Romae kal. nov. 1668 ».

471. *Franciscus Maria Ghislerius* (*Ghislieri*). Per obitum d. Buratti habuit locum Rotae, et Motumproprium praesentavit die 7 iunii 1627.[1] – Illius inquisitio est sub data 29 nov. 1627. Ea scimus, nobilem Aloisium Ghislerium a sua legitima uxore nobili Camilla de Zani suscepisse natum Franciscum Mariam, Bononiae. Franciscus Maria autem, « de clericali charactere in civitate Faventiae insigni- « tus fuit »; item « in florentissimo Bononien. gymnasio ... in iure « pontificio et Caesareo lauream doctoratus et gradum adeptus est »; et percipiebat in bonis patrimonialibus et aliis bonis ultra summam et valorem annui redditus ducat. 200 auri de Camera.[2]

Franciscus Maria inter Auditores qui plus honoris et laudis Rotae tribunali contulerunt non est malo fato accensendus! « In his « annalibus », candide narrat in suo *Diario* d. Petrus Otthobonus,[3] « aut potius Diariis, nolebam inserere quae acciderunt circa d. Ghi- « slerium, quem plurimum adamavi, et ob singularem doctrinam « maximopere sum reveritus; sed quia secretissimum negotium et « per plures menses sancte custoditum in publicum prodiit, ex « sequenti scriptura, a d. Celso compilata et a pluribus Auditoribus « subscripta, veritas apparebit. Scriptura enim fuit composita ex man- « dato S. D. N. (Innocentii X) cuius tenor est:

« Essendosi divulgato per la Corte e pervenuto anche alle orec- « chie di N. S. che nel Tribunale della Ruota, per l'addietro sempre

[1] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII*, n. 7.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXII,
[3] Ibi, *Diarium Otthoboni*, fol. 47[t] et ssq., nn. 235, 236.

« incorrotto, vi sia al presente persona, che, stimando più l'utile che « la reputazione e più l'interesse che la Coscienza, abbia fatta la « Giustizia venale, la medesima Santità sua con l'occasione che « Mons. Ghislieri fu alli ... di Luglio a ringraziarla a nome del Tribu- « nale, del Banchetto e regalo solito darsi alla Rota nella Congr. delle « spedizioni delle cause fatte li 31 di Luglio 1648, fu risoluto con- « cordemente che fossero tre Uditori di Ruota ai piedi di N. S. sup- « plicandolo, ad accertarsi della persona, e farne quella dimostrazzione « che meritava un tanto delitto. Esaggerò e detestò quel fatto, assai « più di ogni altro Monsignor Ghislieri, dicendo che S. S. aveva « accennato sempre di un solo, che perciò era necessario d'inquirere « diligentemente, che il Decano caminava con troppa freddezza in « un negozio di tanta importanza, che non si doveva tardar tanto a « darne parte alla Ruota, ma subito doveva convocarsi una Congre- « gazione per consultare i rimedi opportuni, con inviare ogni giorno « qualche Uditore ai piedi di Sua Santità a supplicarla a liberare « il Tribunale da questa macchia col castigo del Delinquente.

« In conformità adunque di questa risoluzione il medesimo giorno « 31 di Luglio li Monsignori Decano, Ghislieri e Royas procurorno « l'Udienza da Nostro Signore, ed introdotti il giorno seguente, dopo « la Congreg. del S. Uffizio, esposero a Sua Santità le suppliche « del Tribunale e il desiderio che si aveva che chi fusse stato ritro- « vato reo di detta colpa, non restasse esente dalla pena e che il « medesimo venisse omninamente rimosso, perchè non conveniva che « un tristo fosse tra tanti buoni e la mala fama di un solo pregiu- « dicasse all'innocenza ed integrità degl'altri. Sentì volentieri Sua San- « tità l'Istanza del Tribunale, approvò il zelo di ciascheduno e con « somma pietà e prudenza, incaricando primieramente il segreto sotto « pena di scomunica, ordinò che dal Tribunale se ne facesse extra- « giudizialmente Inquisizione. Accettò volentieri ciascheduno che la « causa si vedesse nel Tribunale senza strepito e formazione di « Processo, sottoponendosi a quello che dal medesimo venisse decre- « tato; onde alli 3 di Agosto, radunatisi gli Uditori tutti in Casa « di Monsignor Decano, sotto pretesto d'interessarsi del Collegio « Nazzareno, ivi dopo molti discorsi fu risoluto che si esaminassero « le azioni di ciascheduno intorno l'integrità, e benchè alcuno degli « Uditori proponesse prima di cominciar detto esame, e che la cosa « passasse più avanti, che se alcuno sentiva rimordersi la coscienza « poteva, confessando l'errore, prostrarsi ai piedi di Nostro Signore « e implorare la Sua Clemenza, come anco quella del Tribunale, asse-

« rendo ingenuamente, che se esso avesse cosa che l'aggravasse « che non saprebbe eleggere altro partito, niente di meno sebbene « molti approvorno detta proposta, quella non piacque a Mons. Ghi- « slieri che detestava più d'ogni altro il delitto, e mostrava, con « fronte intrepida, desiderio che quello apparisse e che il Reo ne « ricevesse il castigo; sicché datosi principio all'esame, volle per « esempio degli altri uscire il primo Monsignor Decano, e sottoporsi « a detta censura, rimanendo gli altri undici in una stanza separata, « che l'assente non potesse sentire, e principiatosi per ordine a « discorrere, non solo non fu trovata cosa alcuna contro di Lui, ma « sommamente lodata ed ammirata la bontà ed integrità sua, il suo « sapere, e la sua modestia: onde finito in breve spazio di tempo « lo scrutinio della persona d'esso, e rientrato dove erano gli altri, « uscì fuori per il secondo Monsignor Ghislieri, sopra del quale fu « detto per pubblica voce e fama, che egli avesse chiesto e ricevuti « in prestito denari da diversi che hanno Cause e Liti nel Tribu- « nale, ed in specie scudi cinquecento d'oro dal Sig. Cardinal Mon- « talto, affermando uno de' Sig. Uditori aver veduto il biglietto « scritto da Monsignor al suddetto Sig. Cardinale con la richiesta « di simil somma, con aggiunger di più che discorrendo seco il mede- « simo Cardinale era trascorso in dire, che se fosse stato frezzato (?) « di somma maggiore, non voleva assolutamente sborsarla, ma si « contentava piuttosto di perder la Causa. - Altri affermarono, che « nella causa *Sarsinaten.* aveva ricevuto scudi mille e cinquecento « d'oro dal Principe Borghese, ed uno di essi, atteso che discor- « rendo in Frascati con la Principessa di Rossano di detta Causa, « e che si era fatto assai a guadagnare il voto di Monsignor Ghi- « slieri essa replicasse: Mercé alli 1500 scudi d'oro, che il Principe « li ha mandati: e soggiunse un altro che stringendo il medesimo « Principe per averne la verità esso non l'avesse apertamente con- « fessato, ma parlato in modo, che si poteva assai ben compren- « dere, che il danaro fosse stato sborsato. - Attestorno due altri « Uditori che parimente in occasione di Lite aveva richiesto e rice- « vuto in prestito scudi 400 moneta dalla Sig. Principessa di Verula, « e che avendo colui che portò il denaro dopo alcuni mesi pregato « il medesimo Monsignore a farle due righe di ricevuta per sua « giustificazione, egli non solo ricusasse di farla, ma che dopo si « fosse mostrato sempre contrario in tutti gli interessi di detta Sig.ra « senza aver però mai restituito il denaro, ed asserivano li medesimi « che avevano sentito il tutto da detta Sig.ra, quale mostrava non

« già di dolersi del denaro perduto, ma del modo, che detto Mon-
« signor Ghislieri teneva ed usava con Lei. Fu affermato da due,
« che nel tempo che doveva proporsi la *Romana fideicommissi, de*
« *Maximis*, l'istesso Mons. inviasse biglietto al Sig. Camillo, nel
« quale asserendo essere stato debitore per causa di Gioco in una
« certa Conversazione, pregava il medesimo acciò l'accomodasse di
« ottanta dobbole, con dire che da questa sua confidenza doveva
« argomentarsene, quanto poteva promettersi dalla sua debolezza
« in servizio di esso, e perchè risolse di non mandarlo, persuaso da
« un Uditore a cui si compiacque di comunicare il biglietto, per
« tema che detto Ghislieri non gli si attraversasse e gli facesse per-
« dere la Causa, di ordine dell'istesso Auditore partecipò il biglietto
« con il Ponente, acciò vedesse quel che passava, ed invigilasse che
« per detta ripulsa il Sig. Camillo non ricevesse alcun pregiudizio.
« – Fu detto che nella *Causa Romana–Societatis de Robignis* avesse
« dalli medesimi ricevuti scudi 2000 con condizione di non essere
« dovuto a restituirli se non in caso che, perduta la Causa, fossero
« costretti dai Creditori a pagare. - Vi fu chi rappresentò di aver
« inteso da qualche persona che il Voto di detto Prelato si poteva
« acquistare con le dobbole; altri, li discorsi tenuti seco dall'Avvocato
« Roncone con rammarico e sentimento non ordinario, che il Tri-
« bunale fosse diffamato in simile materia. - Altri attestano di avere
« inteso il simile dal Perugia, e da diversi Curiali, ed in somma
« furono trovati tanti particolari, e trovata una diffamazione sì mani-
« festa, che fu concluso, e per benefizio di Monsignor Ghislieri acciò
« formandosene il Processo non ricevesse il dovuto gastigo, con
« discapito perpetuo della sua riputazione, ed anco per onorevolezza
« del Tribunale, acciò non restasse screditato affatto, che si suppli-
« casse Nostro Signore a voler considerare gli eccessi di detto Pre-
« lato, ma usando della sua benignità e Clemenza, si degnasse in
« grazia nel Tribunale di provvederlo di qualche Chiesa.

« Fu discorso e trattato ancora di supplicare Sua Santità a con-
« condonargli gli errori passati, con ammonirlo ad emendarsi e mutar
« vita, ma si concluse, che essendo egli abituato nel giuoco ed
« oppresso gravemente dal debito, fosse impossibile distoglierlo da
« quello, e liberarsi in modo alcuno da questo: sicchè per forza e
« necessità gli convenisse tenere quello stile nell'avvenire, che per
« elezione e volontà aveva tenuto per il passato.

« Finito lo scrutinio della Persona di Mons. Ghislieri, quale durò
« per lunghissimo spazio, e chiamato dentro assieme con gli altri, si

« accorse egli molto bene, che i suoi mancamenti non erano occulti; « onde mutato in cera, e con voce molto tremante, proruppe in queste « parole: « Dalla lunghezza del tempo, che le Sig.rie Vostre mi hanno « trattenuto fuori, comprendo che questa tempesta venga a scaricarsi « sopra di me. Le supplico ad aver riguardo alla reputazione mia, « de' miei parenti, e della mia patria.

« Nessuno rispose parola, ma Mons. Royas, che seguiva in ordine, « uscì immediatamente fuori per sottoporsi all'istessa censura, sic- « come di mano in mano fecero tutti gli Uditori, e senza essersi « contro alcuno di loro ritrovato neppure un neo.

« Fu risoluto, che con ogni celerità fusse Monsignor Decano solo « a farne relazione a Nostro Signore, ed essendosi opposto Monsignor « Ghislieri, con dire che la celerità non era necessaria e che non « conveniva mandare il Decano solo, non potè rimuovere altrimenti i « Sig.ri, onde mezzo perduto, nell'uscire che faceva dalle stanze di « Mons. Decano si raccomandava a tutti, e metteva avanti la sua « riputazione.

« La mattina seguente Mons. Decano fu a darne parte a Sua « Santità dalla cui bontà e prudenza si aspettano quelle risoluzioni « che sono proprie di se medesima.

« Amato Dunozetto Decano. – Francesco Royas. – Cristoforo « Peutinger. – Celio Bichi. – Carlo Cerri. – Girolamo Melzi. – Leone « Verospi. – Pietro Ottoboni ».

Scripturae praefatae Corradus et Arguelles noluerunt subscribere, « quia dicebant se habere causas particulares ob quas non subscri- « bebant; nec d. Celsus, scripturae compilator, subscripsit ». [1] Et prosequitur Otthobonus, Papam decrevisse eum expellere penitus a Rota: in honorem tamen Curiae et Tribunalis, illi concedere episcopatum Terracinen: [2] sicuti revera contigit die 1 februarii 1649, frustra adnitentibus et Marchione Tanari, cognato Ghislerii, qui se offerebat paratum solvere omnia debita cognati sui, et cardinalibus Spada, Mattei, Cesi, ut Papa ab accepta resolutione resiliret. Imo petente Ghislerio a Pontifice ut dignaretur sibi concedere ecclesiam Terracinen. *cum recentione Auditoratus ad beneplacitum iuxta solitum aliorum Auditorum*, Pontifex, audita Rota, quae tamen dixit rem omnino pendere a

[1] *Arch. Rot.*, citat. *Diarium Otthoboni*, fol 51, n. 237.

[2] Utique cum tunc temporis civitas et agrum Terracinense essent morbo « malaria » summopere vexati, concessio episcopatus huiusmodi potius poenam quam promotionem redolebat: et tantae parvitatis episcopatus sine retentione Auditoratus, Auditori Rotae nequibat non esse plus poenam quam promotionem.

clementia Sanctitatis suae, noluit illi concedere retentionem Auditoratus. Et cum Ghislerius se, post Consistorium contulit ad invisendos Rotae Auditores, proiecte quasi cum omnibus se gerebat; neque ullus fuit Auditor Rotae qui ad domum illius accesserit, hoc valde approbante ipso Innocentio X.[1]

Ita finem habuit in Rota vita istius Auditoris qui iam factus fuerat sub-Decanus.

*L. I.*, pag. 42: « Franciscus Maria Ghislerius, Bononien. – Audi- « tor die 15 dec. 1627: – fuit promotus die 1 feb. 1649 ad Epis- « copatum Terracinen. et deinde Imolen. »

Decisiones coram Ghislerio legere est inter *Recentiores.*

472. *Hieronimus Verospius.* Clericus romanus, i. u. d. - habuit locum Rotae vacantem per promotionem Fabritii Verospii ad cardinalatum, et praesentavit Motumproprium die 20 sept. 1627.[2] - Processus illius sub data 5 mart. 1628 edocet, patrem Hieronimi fuisse Ferdinandum, matrem autem Iuliam de Massimi, qui eum Romae procreaverant. Clericus et in utroque iure doctor, Hieronimus possidebat et percipiebat in bonis patrimonialibus ultra summam et valorem annui redditus ducat. 200 auri de camera.[3]

*L. I.*, pag. 10: « Hieronimus Verospius, Romanus, – Auditor die « 27 martii 1628 – Consultor S. Poenitentiariae die 19 ian. 1641 – « et Cardinalis creatus a S. D. N. Urbano VIII die 16 dec. 1641. - « Obiit die ian. 1652 ».

Decisiones coram Verospio legere est inter *Recentiores.*

473. *Cornelius Henricus Motmannus* (*Motmann*). Per obitum Ioannis Baptistae Rembold apud sedem aplicam. locum Rotae obtinuit Cornelius Henricus Motmann, clericus Leodien., i. u. d., qui Motumproprium praesentavit Coccino, Decano, die 15 ian. 1627.[4] - Die 16 nov. 1628 fuit illius processus fabricatus: eo scimus, Cornelium Henricum « partim in Ingolstadiensi, partim in Coloniensi et Vien- « nensi Universitatibus iuris utriusque studia legitimo tempore quin- « quennali decurrisse », et in Universitate Ingolstadiensi lauream doctoratus in utroque fuisse consequutum anno 1615, die 31 ianuarii. Ab Emo Card. Garzia Mellino, Urbis Vicario, sacros Ordines recepit Romae, an. 1628, die vero 20 nov., cum iam existeret Rotae Auditor,

[1] Ibi, citat. *Diarium Otthoboni,* nn. 239p, 240, 241, 243. - Cfr. etiam *Diarium Celsi.*

[2] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII,* n. 9.

[3] Ibi, *Processus,* vol. I, n. LXIII.

[4] Ibi, *Admiss. Urbano VIII,* nn. 5 et 6.

« etiam absque litteris dimissorialibus Ordinarii sui, in vim litterarum « Apostolicarum idoneus ad hoc ... reputatus et admissus ». Nobilis, et Illm̃us d. Guillelmus Motmann fuit illi pater; mater vero nobilis Anna de Haesdal: ambo e Leodiensi civitate. Cornelius Henricus clericali charactere Leodii insignitus, ibique Canonicus Ecclesiae Collegiatae S. Pauli, possidebat ultra valorem et summam annui redditus 200 ducat. auri de Camera. [1]

*L. I.*, pag. 33: « Cornelius Henricus Motmannus, Leodiensis. – « Auditor die 1 decembr. 1628. – Obiit die 24 april. 1638 Tusculi, « hora 22 ».

Decisiones coram Motmann inter *Recentiores*.

474. *Ioannes Queypo de Llano*. Presbyter Oveten. – successit in locum d. Manzanedo, defuncti, mense iunio anni v Urbani VIII. [2] – Processus illius, sub data 10 dec. 1628, refert, Ioannem fuisse Licentiatum in iure *Caesareo*, anno 1612 die vero 22 sept. in Universitate Salamantina, in qua denique lauream Doctoratus in utroque iure consequutus est; primam clericalem tonsuram recepisse e manibus episcopi Oveten.: parentes habuisse Severum et Mariam Flores coniuges, incolas oppidi de Cangas illius dioeceseos, utrumque nobilem; et summam valoremque ultra 200 ducat. annui reditus illi fuisse ex bonis patrimonialibus et aliis bonis ecclesiasticis. [3]

*L. I.*, pag. 30: « Ioannes Queypo de Llano, Hispanus – Auditor « die 12 ian. 1629 – discessit die 1 april. 1633 electus Praeses Val- « lisoletanus et postea Ep.s Pampilonen. et Gienen. ».

Decisiones coram Queypo de Llano inter *Recentiores*.

475. *Ioannes Iacobus Pancirolus* (*Panziroli*). Clericus, Romanus, i. u. d. – utriusque Signaturae Referendarius - locum habuit Ioannis Baptistae Pamphilii, anno 1630. [4] – Sed narrat Coccinus, Ioannem Iacobum post nominationem duobus annis moratum fuisse extra Curiam « Apostolicae Sedis servitio legitime detentum »: quapropter illius Motusproprius, nonnisi die 30 iul. 1632 fuit admissus, et inquisitio decreta die 6 augusti insequentis, una cum inquisitione d. Buccabella: huiusmodi acta nequivissent *de iure* fieri feriis generalibus iam incoeptis et durantibus; sed attentis peculiaribus servitiis quae Pancirolus s. sedi impendebat « inter luctuosas non temporum minus, quam regionum « calamitates », attentis officiis card. Barberini, Rota censuit tanti

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. LXIV.
[2] Ibi, *Admiss. Urbano VIII*, n. 8.
[3] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXV.
[4] Ibi, *Admiss. Urbano VIII*, n. 10.

Principis obsequendum esse desiderio « quod maxima iustitia atque « aequitate nitebatur ». At fuit decretum « ut casus, praecipuis comi- « tantibus circumstantiis, in exemplum nullatenus tradi possit ». [1] - Processus, sub data 1633 die 11 ianuarii, nos edocet Ioannis Iacobi patrem fuisse Virgilium Panziroli et matrem Prudentiam de Alexiis; Ioannem Iacobum autem, Romae iuris studio incubuisse et in utroque lauream doctoratus consequutum fuisse in Archigymnasio « Sapientia »; primam tonsuram recepisse « nel luogo di Madrid in Spagna » ; habuisseque in bonis ultra valorem annui reditus 200 ducat. auri de Camera. [2]

*L. I.*, pag. 38: « Ioannes Iacobus Panzirolus, Romanus – Auditor « die 24 ian. 1633. – Consultor S. C. S. Officii die 7 maii 1641 in « locum b. m. Coccini – et a S. D. N. Urbano VIII creatus Patriarcha « Constantinopolitanus et Nuncius ad Philippum IV, Regem Hispan., « die 16 dec. 1641 – et postea creatus Cardinalis ab eodem die « 13 iul. 1643. – Obiit die 3 sept. 1651, dum erat Cardinalis a « Secretis sub Innocentio X ».

Decisiones coram Pancirolo legere est inter *Recentiores*.

476. *Alexander Buccabella* (*Boccabelli*). Clericus romanus, doctor in theologia et in utroque iure – locum obtinuit Rotae vacantem per promotionem d. Antonii Virili ad sacram purpuram, et Motumproprium praesentavit die 20 iul. 1632. [3] - Die 9 martii 1633 fabricatus fuit illius processus, quo scimus, Alexandrum filium fuisse Ioannis Bap.tae Boccabelli et Dionorae Avila, clericum, et Canonicum S. Petri Urbis, in utroque iure doctorem, habentem in portatis ultra summam et valorem 200 ducat. annui redditus, nam - uti testes referunt - « lo stesso Monsignore et sua famiglia ... hanno sempre « tenuto carrozza, servitori vestiti nobilmente, e stavano commodi in « casa; in tal manera che se l'entrata del suo patrimonio non ecce- « desse la somma di 200 ducati di Camera, con li suoi benefizi non « haverebbe potuto trattarsi nella manera che hanno fatto ». [4]

*L. I.*, pag. 50: « Alexander Buccabella, Romanus - Auditor die « 11 aprilis 1633. - Obiit hora 7 die 22 maii 1639 ».

Decisiones coram Buccabella, inter *Recentiores*.

477. *Franciscus Maria Macchiavelli*. Assumptus in locum Benedicti Ubaldi, clericus, Florentinus, i. u. d. - Motumproprium Coc-

[1] *Arch. Rot., Diarium Coccini*, n. 126, fol. 17t.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXVI.
[3] Ibi, *Admiss. Urbano VIII*, n. 11.
[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXVII.

cino, Decano, praesentavit die 9 dec. 1633.[1] - Processus illius, sub die 17 maii 1634, docet, Franciscum Mariam filium fuisse Philippi Macchiavelli et Mariae Magalotti, Clericum et Canonicum S. Petri Urbis, doctorem in utroque renunciatum in Archigymnasio « Sapientia » Romae, complures Abbatias possedisse, quapropter habuisse in bonis summam et valorem annui redditus scutor. ultra 200.[2]

*L. I.*, pag. 26: « Franciscus Maria Macchiavellus, Florentinus - « Auditor 2 iun. 1634. - E.pus Ferrarien. die 11 oct. 1638, dum « erat absens in Civitate Coloniae cum Legato Ap.lico, idest d. Card. « Ginnetto, et fuit promotus absque alio examine ».

Decisiones coram Macchiavello inter *Recentiores*.

478. *Petrus Carrillo de Acuña*. Hispanus - subrogatus Ioanni Queypo de Llano - Motumproprium praesentavit die 23 dec. 1633.[3] - Processus Petri datam praesefert 3 iun. 1634. Eo scimus, Petrum, Hispaniarum e provincia Castellae veteris, ab E.po Vallisoletano sacrum diaconatus Ordinem recipisse die 25 nov. 1629, presbyteratus autem die 9 insequentis mensis decembris illius anni; doctoratum in iure pontificio assecutum fuisse in universitate Seguntina die 8 oct. 1633, et licentiatum in iure Caesareo promeruisse in universitate Vallisoletana die 24 dec. 1628. Illi pater fuit nobilis Didacus Carrillo, et mater nobilis Catharina de Burena, habebatque in portatis ultra summam et valorem duc. 200 annui redditus.[4] - Otthobonus narrat, sub die 11 april. 1644: « Rpd. Petrus Carillus, Hispa- « nus, a Serenissimo Rege Catholico Praeses Vallisoletanus destinatus, « Roma discessit magno omnium moerore ob praeclaras animi dotes et « egregia virtutum ornamenta, doctrinam, liberalitatem ac modestiam, « quibus excelluit adeo ut animos omnium unice sibi conciliaverit. Di- « scedens Neapolim versus, petiit a Dominis ut in Albo Rotae retine- « retur, donec Hispaniam attingeret, vel Doctor Gutteriez Argueglia « y Valdes Romam perveniret; quod Domini benigne concesserunt, « menstruo etiam stipendio illi relicto, die 26 aprilis 1644 ».[5]

*L. I.*, pag. 30: « Petrus Carillus de a Cuña, Hispanus ex Castilla - Au- « ditor die 28 iun. 1634 - electus Praeses Vallisoletanus - et de anno 1648 « E.ps Salamantinus - et postea Archiepiscopus Compostellanus ».[6]

[1] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII*, n. 13.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXVIII.
[3] Ibi, *Admiss. Urbano VIII*, n. 12.
[4] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXIX.
[5] Ibi, *Diarium Otthoboni*, n. 101, fol. 28ᵗ-29.
[6] Pene innumeris decoratus fuit honoris titulis Petrus Carrillo, quos illius nepos recensens singillatim, integram paginam replevit!

Decisiones coram Carillo typis vulgavit Petrus Carrillo et Manuel, nepos, qui eas unico tomo collegit. Numero sunt 303 et solitis indicibus et argumentis exornantur. Prodierunt Lugduni an. 1665. - Legere etiam eas est inter *Recentiores*.

479. *Franciscus de Roxas* (alias *Royas*). Clericus Valentinus - i. u. d. - obtinuit locum Pauli Durani promoti ad ecclesiam Urgellen., et praesentavit Motumproprium die 16 iun. 1635.[1]

*L. I.*, pag. 18: « Franciscus de Royas, Hispanus, Valentinus « - Auditor lunae 10 dec. 1635 - promotus ad Arch. Tarraconen. « an. 1653 cum retentione officii Auditoratus ad beneplacitum Ssm̃i « in Consistorio habito die 8 ianuarii ».

Narrat Celsus, Royas die 13 ian. 1653 intervenisse Rotae in habitu episcopali et tamen sedisse in loco suo, non obstante quod esset archiepiscopus ; sub die vero 10 mart. illius anni 1653, adnotat : « in principio intervenerunt decem Auditores ... prope finem « vero accessit d. Royas ad effectum petendi licentiam, prout fecit, « nec protulit votum in causis. Perfecta itaque Rota, ipse fecit bre- « vem orationem, supplicando omnes ut dignarentur illi remittere « errores pluries commissos tempore quo fuit in Tribunali, et quod « essent certi quod in quolibet loco conservaret desiderium immen- « sum inserviendi, prout conservabat et memoriae tenebat gratias « innumeras a singulis acceptas. Unde Rm̃s Decanus, nomine Tri- « bunalis, respondit, ipsum se gessisse ut nemo sit qui non debeat « integritatem, doctrinam et diligentiam suam summopere commen- « dare, et reddendo illi gratias de similibus exhibitionibus, augura- « tum fuit iter felicissimum. Idem d. Royas in distributione de pro- « pinis facienda, dixit quod ... portio ipsius applicaretur pro servitio « cappellae, et de hac oblatione, quamvis summa esset modica, De- « canus pariter gratias illi reddit ».[2]

Decisiones coram Royas numero 494 in lucem prodierunt, unico tomo contentae et solitis argumentis et indicibus exornatae, an. 1662, typis Ioan. Ant. Huguetan etc. Lugduni. Decisionum lectoribus sic affatur Impressor: « Vix Colophonem his aureis S. R. R. Decisionibus, « ab Illm̃o et R. D. Francisco a Roxas, eiusdem S. R. pro Corona « Aragonum dignissimo Auditore et in Pontificia Curia utriusque « Signaturae meritissimo Referendario, antea in Salmanticensi Acca- « demia (Hispanicarum litterarum vivo oraculo) maioris Collegii ... « sapientissimo alumno, nunc vero S. Metropoleos Tarraconen. vigi-

[1] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII,* n. 14.
[2] Ibi, *Diarium Celsi* sub diebus citatis.

« lantissimo Archiepiscopo elaboratis, in nostra Thipografia addeba- « mus ... etc. ». Legere eas est etiam inter *Recentiores.*

480. *Christophorus Peutingerius* (*Peutinger*). Clericus Augustanus, i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 16 oct. 1638. Illi concessus fuit locus in Rota vacans per obitum Cornelii Motmann. [1]

*L. I.*, pag. 34: « Christophorus Peutingerius, Augustanus - Au- « ditor die 28 martii 1639 - Obiit die 12 dec. 1656 in civitate « Amerina ».

Decisiones illius typis Rev. Camerae imprimi curavit an. 1673 quidam Nicolaus Chellinius, qui in litteris dedicatoriis, ad cardinalem Caraffa, de Peutingerio scribens, haec commemorat: « Itaque doctis- « simas ... Crist. Peutingerii, olim Rotae Rom. Auditoris, lucubra- « tiones edere constitui, summi et egregii viri cuius super illustre « ingenium et non vulgarem eruditionem, constans erat in civitate « (dum vixit) fidei et integritatis opinio, et singularis in causis cogno- « scendis et iudiciis exercendis studii ac diligentiae; cuius famae in « bibliotheca, aedibus quas ille habitabat proxima (quam viris doctis « frequentari mos est) diuturna et nondum etiam abolita celebritas « fuit ». Decisiones sunt numero 509, solitis argumentis et indicibus ornatae. Inter *Recentiores* etiam legi possunt.

481. *Coelius Bichius* (*Celio Bichi*). Clericus Senen., i. u. d. - in utraque Signatura Referendarius - habuit locum Rotae per promotionem D. Macchiavelli ad episcopatum Ferrarien. et Motumproprium praesentavit die 15 sept. 1638. [2] - Narrat Coccinus: « *Lunae 11 octo-* « *bris 1638* ... Urbanum VIII... pro novo Rotae Auditore ... elegisse « R. P. D. Coelium Bichium, Patritium Senensem, et A. C. in Civili- « bus Locumtenentem, cum maximo totius Curiae gaudio ». [3] - Obitus « Bichii ita describitur in *Diario* Celsi: « Die veneris 9 martii circa « occasum solis obiit d. Bichius. Eius cadaver asportatum fuit in « Ecclesiam S. Sabinae sine aliqua pompa, ibique die lunae 12 « eiusdem mensis fuit publice expositum, et a Revmo d. Suardo, Epi- « scopo, cantata Missa solemni mortuorum praesentibus omnibus « Auditoribus cum *mantellone* (sic) et *cappuccio*, nec non Advocatis « Consistorialibus et quampluribus Curialibus ».

*L. I.*, pag. 26: « Coelius Bichius Senensis - Auditor 1 apr. 1639 « - declaratus Consultor S. Officii a S. D. N. Alexandro VII die 20 « april. 1655. - Obiit die 9 mart. 1657 ».

[1] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII*, n. 16.
[2] Ibi, *Admiss. Urbano VIII*, n. 17.
[3] Ibi, *Diarium Coccini*, n. 130, fol. 18.

Editor Decisionum Bichii, in litteris dedicatoriis ad cardinalem Piccolomini, an. 1671, de Coelio sic commemorat: « Est opus Coelii « Bichii, fratris tui: cum enim Coelium Bichium dixi, virum dixi qui « in peritia iuris utriusque unus omnia potuit... prudentia iuris in deci- « dendis civilibus causis et prudentia regni in administrandis politicis « rebus, ita potuit facile sibi comparare summum illius aestimationis « publicae gradum ob quem deinde... ab Urbano VIII semper inter « prima sui soeculi capita est habitus, semper ad graviora Ecclesiae « Principum que negotia expedienda consultus, semper ita laudatus pro- « batusque, ut in arduis deliberationibus capiendis Pontifici sapientis- « simo saepe Bichii existimatio, fides, auctoritas pro ratione sufficeret ».

Decisiones coram Bichio Zanobius Masotti, editor Cameralis, anno 1671 publicavit Romae in duos tomos distributas. Sunt numero 672 et exornantur solitis argumentis et indicibus. Inter *Recentiores* quoque impressae sunt.

482. *Carolus Cerrus* (*Cerri*). Clericus, Romanus, i. u. d. - utriusque Signaturae Referendarius - Motumproprium praesentavit die 30 maii 1639, in locum subrogatus Alexandri Buccabellae.[1] - Processus illius archivio non manent: manet tamen illius *Diarii* duo tomi, quorum primus a die 27 aprilis 1650 ad 2 april. 1659, et alter a die 21 april. 1659 ad 31 maii 1666 pervenit. Dono dati fuerunt Rotae a Livio Bonzetti, S. Consistorii Advocato, Elephantutio Camerario Rotae.

Otthobonus et Celsus in suis *Diariis* narrant notabilius factum vitae Caroli Cerri, dum exstitit Auditor Rotae. Huiusmodi facti narrationem, prouti iacet in *Diario* Otthoboni, heic inserere non dubito. En igitur verba Otthoboni: « Hodie mane D. Cerrus Auditor Rotae « ante lucem ivit extra Portam Latinam in sua Rheda clausa, et « velis obductis, cum D. Dominico Salomonio Advocato insigni, et cum « duobus puellis, quae non erant meretrices; fuit D. Cerrus obser- « vatus, et Birruarii Capitolii circa serum obsederunt tres Portas Civi- « tatis per quas verisimiliter D. Cerrus ingredi debebat, et circa ho- « ram 2$^{am}$ noctis, dum volebant ingredi per Portam Latinam, fuerunt « a Birruariis detenti, nec valuit D. Cerro dicere, quod esset Auditor « Rotae, sed fuit in Rheda deductus in Capitolium, non tamen carcera- « tus, ibique mansit in quadam Sala, donec fuit commonefactus Senator « Urbis, qui illico certiorem fecit Emos Pamphilium et Panzirolum « qui statim alloquuti sunt S. D. N., et post aliquod temporis spa-

[1] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII,* n. 15.

« tium fuit iniunctum Senatori ut dimitteret D. Cerrum, sed retineret « Salomonium, duas Puellas, Rhedam et Aurigam ; die veneris sequenti « fuit maximus rumor per Urbem, nam videbatur laesa maiestas tanti « Tribunalis toto orbe venerandi a Birruariis Iudicis Laici pro Causa « levissima, nec constabat tales Puellas esse meretrices, sed permulti « testabantur de bona fama ; nec Bannimenta d. Gubernatoris Urbis « comprehendunt Clericos, Praelatos, aut Auditores Rotae, omnes « publice et palam compatiebantur casum. D. Decanus nomine Tri- « bunalis alloquutus fuit Emos Cardinales Pamphilium et Panzirolum, « et postea S. D. N. ; et tandem fuit relaxatus Salomonius, et Puellae « dimissae. Causa, quae erat commissa Marco Regulo Iudici D. Guber- « natoris, fuit abolita. D. Cerrus fuit in Cappella in Vigilia omnium « Sanctorum, sed aiunt, quod S. D. N. aegre tulit ; ad Rotam non « venit nisi die 26 novembris, quae fuit Martiniana die sabbati ; et « antequam veniret, visitavit omnes Auditores, qui illum maxime « compatiebantur. Omnes Auditores procurarunt, pendente Causa, « eum visitare, sed ille noluit admittere, praeter D. Bichium. Omnes « credebant quod illi ministri, qui tantum facinus admiserunt, publice « et palam castigarentur, sed usque adhuc nihil fuit factum ». [1] - Decanus a die 14 oct. 1657 ad diem 29 nov. 1669. - Cardinalis et deinde etiam episcopus Ferrariensis.

In suo *Diario*, quod admodum paucis exornavit adnotationibus, praeter elencha causarum in Rota statis diebus propositarum, hisce verbis refert suum ad Decanatum ascensum : « Die Dominica 14 octo- « bris 1657, hora 16 circiter, obiit Rmus d. Amatus Du Nozet Audi- « tor Gallus et S. R. Decanus ... Die lunae 15 oct. 1657 ... relatis « memorialibus fuit mutatus turnus ob decessum Rmi d. Amati Du « Nozet Decani, et ego optavi Decanatum ». Et referens causas Rotae insequentis incipit : Ego Decanus ... nihil (praesentavi).

*L. I.*, pag. 50 : « Carolus Cerrus, Romanus - Auditor die 9 de- « cembris 1639 - Decanus per obitum Amati Dunozetti - et a S. D. N. « Clemente IX Cardinalis creatus die 29 nov. 1669 ». [2]

Quum Cerrus fuit Camerarius, censuram Rotae non effugit. Nar- rat Otthobonus : « Mos erat quod in tribus ultimis Rotis, Thesau- « rarius Rotae expensis Rotae exhiberet collationes ; verum cum omne « aerarium Rotae aere alieno gravaretur, D. Cardinalis Panzirolius « quando fuit Thesaurarius dedit in tribus ultimis Rotis collationem

[1] Ibi, *Diarium Otthoboni*, n. 315, sub die 27 octobris 1650, fol. 66.

[2] Part. I, caput III, *De Decano ;* eum creavit cardinalem Clemens IX, in lectulo iacens et animam agens. (*Diarium Emerix n. 42*).

« de suo, quod laudabile institutum fuit etiam servatum ab aliis The-
« saurariis pro tempore, donec praeterito anno dominus Bichius dedit
« opiparum convivium. Idemque fecit hoc anno dominus Cerrus, qui
« etiam invitavit Adiutores Studii, Cubicularios et a pedibus. Sed
« forsan tam magnum dispendium non convenit frugalitati et mode-
« stiae nostri Tribunalis, praesertim cum convivium fuerit factum in
« Conventu Pacis, quod idem est ac si in publico factum esset ».[1]

Decisiones coram Cerro in 3 vol. distributas collegit, argumentis et indicibus exornavit, typisque Iosephi Corvi tandem edidit in lucem Romae 1682, abbas Franciscus a Balneo Fanensis qui, ut ipse fatetur in litteris dedicatoriis, Cardinali Cerro inservierat, « sive « Urbinas Auditor, sive Ferrariensis Vicarius ». Numero sunt 956, scilicet circiter 62 pro unoquoque anno quo exstitit Cerrus Auditor Rotae. Complures earum reperiuntur impressae inter *Recentiores*.

483. *Georgius Cornelius* (*Cornaro*). *L. I.* pag. 22 - « Georgius « Cornelius, Venetus, Auditor die 16 dec. 1641 - promotum e « Rota ad Episcopatum Patavinum die 21 iul. 1642, cum reten- « tione Auditoratus ad beneplacitum Ssmi, quod exspiravit post sex « menses ».

484. *Hieronimus Meltius* (*Melzi*). Philippo Pirovani defuncto, successit in Rota Hieronimus Meltius, clericus Mediolanen., i. u. d. - Advocatus Consistorialis - qui Motumproprium praesentavit die 25 octobris 1641. [2]

*L. I.*, pag. 6: - « Hieronimus Meltius Mediolanen. - Auditor die « 2 maii 1642. - Episcopus Papien. electus die 22 sept. 1659, cum « retentione Auditoratus ab beneplacitum S. D. N. Alexandri VII ».

*Diario Celsi* scimus, Meltium die 19 apr. 1660 « notificasse quod « a Carolo rege reportaverat approbationem, seu ut dicitur *il placet* « quoad Episcopatum Papien, collatum in eius personam ». *Diario* autem *Cerri*, successorem Meltii, nempe Vicecomitem, suum motumproprium praesentasse die 4 augusti 1660, et fuisse disputatum utrum Meltium posset « sicut fecit in praeteritis (Rotis) interesse « huic Congregationi, et ad hoc allegabatur exemplum promotionis, « b. m. Ludovisii ad Archiepisc. Bononien., et electionis in eius locum « b. m. Buratti, addendo quod Burattus praesentavit suum Motum- « proprium et incoepit suas functiones, et nihilominus Ludovisius « continuavit in Rota. Sed de hoc exemplo nulla data fuit iustifi-

[1] *Arch. Rot., Diarium*, n. 271, sub die 5 iulii 1649, fol. 56t.
[2] Ibi, *Admiss. Urbano VIII*, n. 19.

« catio, quinimmo ex Diariis antiquis colligebatur contrarium: nam « b. m. Ludovisius a Rota discessit 4 iul. 1612 et b m. Burattus « non fuit prius admissus quam die 18 aprilis 1613 ... Unde dictus « Rñs Papien. non interfuit in dicta Congregatione, praesertim ex « quo Ssñs in dicto Motuproprio sub data iulii proxime praete- « riti expresse dixit quod eius Auditoratus vacaverit et vacet ad prae- « sens per illius promotionem ad Episcopatum Papien. ». Igitur ultima vice Meltius Rotam adivit die 5 iul. 1660.

Decisiones coram Meltio legere est inter *Recentiores.*

485. *Leo Verospius* (*Verospi*). Clericus Romanus, i. u. d. - frater cardinalis Hieronimi, istius obtinuit locum in Rota cum s. purpura cohonestatus fuit, et Motumproprium praesentavit die 8 ian. 1642. [1] - Instrumentum publicum processus super habilitatibus Leonis est sub data 27 iunii 1642. Eo scimus, Ferrantem Verospium et Iuliam de Maximis, patritios Romanos, procreasse Leonem nepotem b. m. cardinalis Fabritii et fratrem cardinalis Hieronimi Verospi. Clericus erat Leo et doctor in utroque iure in almae Urbis gymnasio renunciatus, possidebatque ultra summam et valorem annui redditus scut 200. [2] - Fuit Regens S. Poenitentiariae.

*L. I.*, pag. 10: - « Leo Verospius Romanus - Auditor die 1 de- « cembris 1642 - S. Poenitentiariae Regens - obiit lunae 17 ian. 1666, « hora tertia circiter noctis ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores.*

486. *Petrus Otthobonus* (*Ottoboni*). Clericus Venetiarum, i. u. d. - in utraque Signatura Referendarius - Protonotarius Apostolicus - praesentavit suum Motumproprium Amato Dunozeto, Decano, sub die 12 ian. 1643, electus ad praesentationem Reipublicae Venetae in locum Georgii Cornelii (Cornaro) episcopi Patavini: [3] sed in Rota non sedit nisi die 13 novembris illius anni: absente Dunozeto, Decano, qui die 26 oct. Roma dicesserat Galliam versus, reversurus circa festum Paschatis, os Petro aperuit, Decani vices gerens, die 20 novembris 1643, Ghislerius. [4] - Processus est de mense octobris 1643, coram Ghislerio. Petrus sacrum baptisma recepit Venetiis in ecclesia S. Severi die 22 april. 1610, natus ex Marco Otthobono, Magno Venetiarum Cancellario [5] et Victoria Tornielli, « fameglie

[1] *Arch. Rot., Admiss. Urbano VIII*, n. 18.
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXX.
[3] Ibi, Motusproprius insertus actis processus.
[4] Ibi, *Diarium Otthoboni*. fol. 19t, n. 11 et fol. 21, n. 29.
[5] Coccinus narrat in sua depositione: « Casa Ottobona ha avuto duoi gran « Cancellieri della Serenissima Republica, che è dignità principalissima ».

« molto principali in Venetia ». Doctor philosophiae, Patavino Collegio adscriptus, lauream in utroque iure consequutus fuerat Romae in Archigymnasio *Sapientia* nuncupato, praesente Coccino Decano Rotae, die 13 iulii anno 1630 et insequenti anno 1631, e manibus Antonii Ricciuli, episcopi Bellicastren., Vicesgerentis Card. Ginnetti, Papae Vicarii, suscepit tonsuram clericalem. Tanta erat vitae integritate conspicuus, ut Coccinus in attestatione quam dederat, anno 1639, in processu super habilitate Petri, electi in Referendarium utriusque Signaturae, et quae inserta postea fuit Processui rotali, confessus sit: « È un angelo di bontà, et in tutto il tempo che è stato in « Roma ha pratticato qui in casa mia [1] con molta esemplarità, nè mai ho « conosciuto in lui un peccato veniale ». Abbatia quadam in dioecesi Ceneten. et aliis ecclesiasticis beneficiis gaudebat Petrus, ex quorum fructibus et ex proventibus familiaribus [2] fas ei erat « in hac « alma Urbe cum magno splendore et numerosa familia permanere ». Ab Urbano VIII Praeses constitutus fuerat in Interamnensi Reatina et Tiphernati civitatibus, quas laudatissime administraverat, « nullo « penitus mortalium de eo conquerente ». [3] - Tanti hominis admissio in Rota, admodum fuit laboriosa: effecta enim fuit tantum die 13 novembris 1643, scilicet 10 post menses a praesentatione Motusproprii: cuius rei causa prima, quam Petrus in suo *Diario* non semel memorat et de qua saepius queritur, fuit duritia Meltii qui noluit die 16 ianuarii se cum Verospio conferre ad Pontificem ad solitas relationes faciendas, sub praetextu quod « huiusmodi relationes fieri non debebant diebus « Informationum »: [4] ita re dilata, aliae supervenerunt difficultates, quae nonnisi die 13 novembris Petrum sinerunt Auditorem sedere in Rota.

In archivio asservatur illius Motusproprius, [5] illiuś processus, et extractum illius *Diarii*, complectens non tantum quae scripsit Petrus dum erat Auditor Rotae, sed et ea quae adnotavit dum fuit cardinalis. Efformat huiusmodi extractum secundam partem magni voluminis complectentis Extracta Diariorum Poeniae, Coccini et Emerix, et multa inibi leguntur scitu utillima de stylis rotalibus et de con-

[1] Idem Coccinus ait: « Conosco il Signor Pietro Ottobono con occasione che « ha studiato in casa mia, come compatriotto, e tra noi non vi è parentela alcuna ».

[2] Coccinus testificatur: « Il padre suo è ricchissimo che credo abbia più di « quindicimila scudi d'entrata consistenti in beni stabili, oltre agli offizii che ha « dalla Serenissima Republica ».

[3] *Arch. Rot., Processus,* Vol. I, n. LXXI.

[4] Ibi, *Diarium Otthoboni,* n. 3, fol. 19.

[5] Ibi, *Admiss. Urbano VIII,* n. 20.

tingentibus per id temporis rebus, inter quae praecipua sunt: 1) de iure Decani subrogandi Auditores in locum deficientium, contra Regentem Cancellariae Apostolicae huiusmodi ius sibi arrogantem, (nn. 33 et sqq.); 2) de iure Auditorum Rotae recipiendi ab Apostolica Camera vestes luctus in obitu Summi Pontificis (nn. 140 et sqq.); 3) de expulsione a Rota domini Ghislerii (nn. 236 et sqq.); 4) de iure praecedentiae Auditorum Rotae in Papalibus equitationibus, contra Barones Romanos (nn. 289 et sqq.). In genere se pandit diligentem et praecisum in referendis rebus etiam minimis, et pronum ad ea adnotanda quae vel ipse fecit aut dixit, vel ipsi et in honorem sui facta sunt.

Decisiones coram Otthobono semel typis editae sunt Romae anno 1657, et iterum eas, solitis indicibus et argumentis exornatas, impressit Paulus Balleonius Venetiis anno 1696, uno contentas volumine: illarum prima est sub data 14 dec. 1643, novissima vero - quae est 278ª - datam praesefert 31 ian. 1652.

Petrus Otthobonus ad sacram purpuram elatus fuit die 10 februarii 1652, et ipse factum sic narrat in *Diario:* « Ego Petrus Otthobonus ex Auditore S. Palatii fui assumptus ad Cardinalatum die « lunae 19 febr. 1652, nullis meis exigentibus meritis, sed divina « favente clementia et benignitate Ssmi D. N. Innocentii X, et protectione Serenissimae Reipublicae Venetiarum ». [1]

*L. I.*, pag. 22: « Petrus Ottbobonus, Venetus, - Auditor die « 13 nov. 1643 - Cardinalis creatus a Ssmo D. N. Innocentio X, « die 19 febr. 1652 - et a Ssmo D. N. Clemente IX ipso die « assumptionis ad pontificatum creatus pro-Datarius - et tandem, « die 6 octobris 1689 ad Pontificatum assumptus sub nomine Alexandri VIII ».

Cetera igitur narrabo cum de Alexandro VIII mihi sermo faciendus erit.

487. *Iacobus Corradus* (*Corradi*). Clericus, Ferrarien., i. u. d. – « ab Illma Civitate Ferrariensi S. R. Rotae Auditor, in locum b. « m. d. Clementis Merlini dum vixit eiusdem S. R. Auditoris et Decani « de anno proxime praeterito (*1651*) defuncti, nominatus et... a SSmo « D. N. Papa deputatus », Motum proprium praesentavit die 16 ian. 1643 Dunozeto, Decano. [2] - Processus illius edocet, Iacobum filium Quirini Corradi et Mariae Farulphae (Farolfi) baptizatum fuisse Ferrariae die 12 maii 1602 in ecclesia cathedrali illius civitatis. « Dopo haver « atteso per piú anni alla Grammatica et Umanità, attese anco a stu-

[1] *Arch. Rot., Diarium Otthoboni*, n. 321, fol. 67t.
[2] Ibi, *Admiss. Urbano VIII*, n. 21.

« diare nell'una e l'altra Legge, e poi fu addottorato nel Studio di « Ferrara con molto applauso di quei Signori Dottori... e fu anche « ammesso successivamente nel Collegio di detti Dottori, et per vinti « (20) anni et più, ha fatto l'Advocato in tutti i Tribunali di detta « Città, e fin dal principio che cominciò detta advocatione diede segni « evidentissimi che haverebbe fatta questa excellentissima riuscita che « Dio l'ha fatto fare, e tutti l'Eminentissimi Signori Cardinali Legati « di detta Città et anco l'Emo Sig. Cardinale Magalotto, già Vescovo « di detta Città, l'hanno sempre tenuto, trattato e dichiarato per uno « delli primari Advocati di detta Città, ove anco ha avuto più e diverse « volte tutti gli honori, gradi, e dignità che contribuisce la Città sud- « detta di Ferrara ai suoi più degni Cittadini, quali ha esercitato con « ogni diligenza, fedeltà et con squisita dabonaggine (idest: integri- « tate) ». Clericalem tonsuram recepit Ferrariae ab episcopo Civitatis Castelli die 25 nov. 1642, et paulo post ceteros sacros ordines usque ad presbyteratum inclusive. [1] - Mense ianuario 1643 Romam venit et Decano ac Auditoribus praesentavit suum Motumproprium paulo post Petrum Otthobonum: hinc inter Petrum et Iacobum « fuit orta aliqua « contentio super praeventione et futura praecedentia » quia Motus-proprius Iacobi signatus fuit a Papa ante Motumproprium Petri; sed Petrus Rotae eum praesentaverat ante Iacobum. Controversia vero brevi conquievit, cum Corradus praeventionis et praecedentiae iuri sponte cesserit. [2] - Disputationem secretam sustinuit die 10 nov. 1643, in qua « *c. Gemma*, de Sponsalibus., adeo docte et eleganter interpre- « tatus est, ut omnes Domini ipsum quammaxime laudarint ». Et Otthobonus, haec referens, addit: « Gratulor certe mihi et Tribunali « ob tam insignem virum in nostrum Ordinem adscriptum! ». [3]

*L. I.*, pag. 14: - « Iacobus Corradus, Ferrarien. - Auditor « 13 nov. 1643 - Cardinalis creatus a S. D. N. Innocentio X die « 19 feb. 1652 - et deinde deputatus pro-Datarius a S. D. N. Ale- « xandro VII, die 9 april. 1655 ».

Decisiones coram Corrado legere est inter *Recentiores*.

488. *Dominicus Cecchinus* (*Cecchini*). Clericus romanus, i. u. d. - utriusque signaturae Referendarius – Advocatus Consistorialis – electus in locum d. Panziroli, sacra purpura cohonestati, praesentavit suum Motumproprium, admissum die 31 iul. 1643. [4] - Absente

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. LXXII.
[2] Ibi, *Diarium Otthoboni*, n. 2, fol. 18t.
[3] Ibi, cit. *Diarium*, n. 22, fol. 20t.
[4] Ibi, *Admiss. Urbano VIII*, n. 22.

Dunozeto, Decano, processus illius fabricatus fuit coram Ghislerio sub data 16 dec. 1643. Eo edocemur, Dominicum parentes habuisse nobiles romanos Domitium Cecchini et Faustam Capisucchi, fuisseque baptismatis unda regeneratum die 12 febr. 1589 in parochia S. Salvatoris de Cuppellis, Romae. Lauream in utroque iure consequutus fuerat Perusiae, an. 1604, die vero 4 octobris. Sacro caratere presbyterali insignitus, erat Canonicus Sancti Petri Urbis, in qua Basilica sacram ordinationem suscepit die 2 martii 1624. Advocatus Consistorialis de mense mart. 1621; utr. Sign. Referendarius die 26 nov. 1622. [1] - Mortuo Urbano VIII die 29 iulii 1644, illius successor Innocentius X, eadem suae electionis die, quae fuit 15 septembris 1644, « ante omnia declaravit Datarium, d. Cecchinum ». - « Die « vero lunae 6 marti 1645 S. D. N. Innocentius X, promotione 8 Car« dinalium, Rpd. Dominicum Cecchinum, S. R. Auditorem et Sancti« tatis Suae Datarium, dixit Cardinalem, maiori dignum honore ». [2]

*L. I.*, pag 38: - « Dominicus Cecchinus, Romanus - Auditor die « 4 aprilis 1644 - et a S. D. N. Innocentio X, electus Datarius die « 15 sept. 1644 - et ab eodem Pontifice Cardinalis creatus die 6 mar« tii 1645 - obiit die . . . . . 1656 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

## § VI.

### Innocentius X.

### (*15 sept. 1644. - 7 ian. 1655*).

« Die 14 sept. 1644, mercurii. - Circa mediam horam noctis « Conclavistae dixerunt, quod Emus Card. Pamphilius erat Papa et « quod omnes in ipsum conveniebant, praesertim Card. Antonius « Barberinus. - Die iovis *15 sept. 1644.* De mane magnus rumor « fuit per Civitatem, quia omnes dicebant, Emum Pamphilium esse « Papam: et verum fuit: equidem ex 54 votis, tulit puncta 48; « . . . . . vir . . . magnus fuit exaltatus qui per omnes « gradus ascendit et optime in omnibus se gessit. Fuit enim primo [3] « Advocatus Consistorialis, deinde *Rotae Auditor celeberrimus per « 24 annos;* a Gregorio XV, nuncius Neapolim missus, Legationum « Card. Barberini Datarius, Nuncius Hispaniarum, S. R. E. Cardi-

[1] *Rot., Arch., Processus,* vol. I, n. LXXIII.

[2] *Diarium Otthoboni,* fol. 31, n. 120; f. 34, n. 145; f. 39, n. 184.

[3] Adiutor Studii patrui sui Hieronimi Pamphilii, Auditoris Rotae, prout *Diaria* testantur.

« nalis et hodie, maximo Dei beneficio, Pontifex maximus, quem « Deus diutissime conservet. - Hora 18 fuit ruptum Conclave et « Pontifex in cubiculo Cardinalis Antonii omnes benigne suscepit, « *praesertim Rotae Auditores, et illico, ante omnia, declaravit Data-* « *rium d. Dominicum Cecchinum, S. R. Auditorem dignissimum* ». [1]

Die insequenti « fere omnes Auditores privatim osculati sunt « pedes Sanctitatis Suae, quae summam benignitatem erga Tribunal « et erga particulares Auditores ostendit ».

Rota collegialiter eum invisit die 26 sept. 1644, et Innocentius, italice respondens oratiunculae domini Decani, dixit « quod erat valde « promptus ad benefaciendum Rotae, et non solum Tribunali, sed « omnibus Auditoribus vicissim; quod ipse exaltationem suam et « domus suae, a Deo et a Rota recognoscebat, quod ipse fuerat « Auditor, et simul etiam fuit Adiutor eius patrui cl. mem. Hiero- « nimi Card. Pamphilii, et ex parte matris, nempe fratrem matris « suae habuit Auditorem Rpd. a Bubalo, clari nominis ».

Vicecancellario autem ipsi porrigenti duo consueta Rotae memoralia pro impetranda provisione menstrua temporis vacantiae Sedis et solito donativo, respondit « quod non solum solita cupiebat con- « cedere, sed etiam accrescere ».

Innocentio consentiente, die 3 octobris fuit apertum Tribunal, etsi nondum Papae coronatio locum habuisset, et die 10 oct. Rota, quamvis Auditores tunc temporis non 12 sed 11 tantum adessent, recepit scuta 2400 *stamparum veteris ponderis*, super quibus « quia « Peutingerius, Thesaurarius Rotae, insipienter administrabat Rotae « rationes » solvere debuit scuta 60 pro *aggio*, ut dici solet ».

Eodem mense Innocentius declaravit Rm̃m Du Nozet, Decanum, episcoporum examinatorem et iussit Datarium mittere singulis Auditoribus exemplar impressum Regularum Cancellariae Innocentii X.

Die 1 febr. 1645, « Auditores, nullo contradicente, resolverunt « ut supplex libellus Ssm̃o praesentaretur a duobus Auditoribus anti- « quioribus, rogando Sanctitatem suam ut dignaretur providere neces- « sitatibus Auditorum, qui cum tot tantosque labores substineant, « tamen necessaria ab officio non habent, et insuper, ut S.S. digna- « retur concedere Auditoribus ut in quibuscumque actibus, tam « publicis quam privatis, possent uti Roccheto super vestibus nigri « coloris et consuetis, ut dignitas Auditorum magis elucesceret et

[1] *Arch. Rot., Diarium Otthoboni*, e quo pariter ceterae adnotationes insequentes exscriptae aut desumptae sunt.

« splenderet: libellus fuit SSmo porrectus qui perhumaniter Dominos « excepit et se velle omnia facere pro S. Tribunali respondit ».

Et revera die 7 martii litteras in forma Brevis *Dudum assiduos* dabat, quibus concedebat perpetuo omnibus Auditoribus facultatem Rocchetum ubique publice et palam deferendi. [1]

Et quia eodem anno Decanus Signaturae sibi ius petendi ferias vindicabat, Innocentius ei dixit se semper vidisse servari quod petere ferias spectabat ad Rotae Decanum, et ideo eo anno d. Du Nozet, Decanus, facultatem petiit a Ssmo ferias indicendi et Ssmus annuit, palam dicens se restituisse Rotae facultatem petendi ferias, privative quoad alia omnia Tribunalia Urbis.

Sub Innocentio coepit exardescere quaestio praecedentiae inter Clericos Camerae et Auditores Rotae; illi enim praetendebant sibi praecedentiam deberi ab Auditoribus in actis omnibus tum publicis quum privatis. Quam Innocentius favore Rotae definivit.

Item anno 1647, die vero 30 aprilis, solemniter equitante Pontifice ad templum B. M. supra Minervam, evenit magnus rumor; nam dum Auditores solebant equitare statim ante Crucem, nullis intermediis, quidam Duces et Barones volebant, et tentarunt, locum Auditoribus debitum auferre, et hi fuerunt Dux Cesi de domo Cesia; Dux Caesarinus, Dux Mattheius, secundogenitus domus Sabellae et Marius Frangipanes; sed Domini de Rota fortiter restiterunt adeo ut Barones turpiter cesserint, ab omnibus illaudati. Pontifex ipse ea die declaravit, Baronibus nullimode tale praecedentiae ius competere; sed non ideo quaestio mota quievit; quae e contra per plures annos duravit et Innocentius in favorem Baronum postea inclinavit.

Petierunt Auditores Rotae ab Innocentio ut dignaretur per Breve excommunicationem latae sententiae promulgare in eos qui Decisiones Rotales imprimerent, vet imprimi facerent, absque expressa licentia Rotae in scriptis; sed Innocentius per dominum Secretarium Brevium Rotae significavit, se non inclinare ut Rota haberet hanc facultatem: quinimmo contrarium se ostendit cuivis publicationi rotalium Decisionum, quarum copia superabundans erat in Orbe, unde ipse nec ab se nec a patruo suo Hyeronimo editas Decisiones in vulgus spargi permiserat.

Innocentius e Rota expulit dominum Ghislerium, reum convictum de crimine laesae iustitiae, uti fuse supra narravi sub n. 472, pag. 146: *Franciscus Ghislerius*, eique successorem dedit Antonium Albergati.

[1] Vol. III, n. 241, pag. 371.

Sub Innocentio X magna fuit potestas celeberrimae dominae Olimpiae Pamphili: Rota gavisa est illius benevolentia, ita ut optimus ille dominus Otthoboni de ea commemoret, in *Diario* adnotans: « Eadem die, post prandium Excellentissima domina Olimpia Pam- « philia misit unum e pedibus ad domus Auditorum, eos invitando « ad comediam ad Palatium Pamphiliorum in platea Agonis ».

Voluit Innocentius ut Rotae Auditores prandium haberent in Palatio diebus iovis et veneris maioris hebdomadae quovis anno.

Acriter redarguit Cerrum ex eo quod quadam die una cum d. Salomone Advocato et duobus puellis, in sua rheda, obductis velis, integra die extra portam Latinam conversatus fuerat, propter quod a Birruariis Capitolii ipse, Advocatus, puellae, rheda, et auriga detenti fuere.

Die lunae 24 iun. 1653 Cardinalem creavit d. Otthobonum, quem postea elegit in episcopum Brixien.

Die 7 ianuarii 1655 Innocentius, qui iam a die 28 dec. 1654 graviter aegrotabat, circa horam 14 cum tribus quadrantibus obiit.

*Vice-Cancellarius* illi fuit Franciscus card. Barberinus. [1]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Cecchinus; Corradus; Otthobonus.

*Ad Episcopatum:* Ghislerius.

### Auditores ab Eo creati

#### Magistri:

489. *Gutterius de Arguelles et Valdes.* Clericus Oveten., i. u d. - habuit locum Petri Carrillo, promoti ad Praesidentatum Concilii Vallisoletani, et Motumproprium presentavit die 14 nov. 1644. [2] - Illius processus est sub data 10 maii 1645. Gutterio pater fuit Gundusalvus de Arguelles et Maria de Quiros mater, « cives Ovetenses, « bonae et honestae conditionis; ordine presbyteratus fuit insignitus; « in utroque iure doctor et quidem excellens... et uti talis... tres « habuit cathedras, diversis temporibus in Civitate Vallisoletana, ibi « denique summa cum laude legit ». Erat Auditor « in Supremo « Senatu Audientiae et Cancellariae Regis dictae Civitatis Vallisole- « tanae ». [3]

[1] *Arch. Rot., Admiss. Innocentio X.*
[2] Ibi, *Admiss. Innocentio X, n. 1.*
[3] Ibi, *Processus,* vol. I, n. LXXIV.

*L. I.*, pag. 30: « Guttierez de Arguelles Hispanus. - Auditor « die 1645 - obiit hic Romae die 23 aprilis 1650, postquam « fuerat nominatus a Rege Catholico Praeses Consilii Granaten. ».

Decisiones illius una cum Decisionibus dd. Zarate et Ninot, unico volumine an. 1672, typis R. C. A. edidit illius a Studiis Adiutor Pompeius Matullianus, Bononiensis, qui eas solitis indicibus et argumentis et summariis exornavit. Numero sunt 118, editae a die 23 iun. 1645, ad diem 21 febr. 1650. Leguntur etiam in Collectione *Recentiorum*.

490. *Angelus Celsus*. Romanus., i. u. d. – utriusque Signaturae Referendarius - Successit in locum Dominici Cecchini evecti ad cardinalatum: Motumproprium praesentavit die 13 mart. 1645. [1] - Illius processus est sub data 13 nov. 1645. Filius Hortensii et Portiae Monaldeschi, de qua testis cardinalis Bernardinus Spada ait « esser « detta Signora Porzia mia parente quantunque in grado remoto » in utroque iure « dottore eccellente, e che può stare al paro di « qualsivoglia altro dottore eminente » uti refert cardinalis Carpineus Uldericus - alter ex testibus productis – qui Angelum agnoscebat « non solo per essere, come ho detto, ... parente, ma per « averlo pratticato intrinsecamente; veramente angelo di nome e di « costumi ». [2] - Sedit in Rota usque ad diem 14 ian. 1664, quo, finita « Rota, « fuit Consistorium; facta fuit creatio Cardinalium, et post- « quam redii ad domum, notificatum fuit mihi, quod inter illos Ego « Angelus Celsus creatus fueram ».

*L. I.*, pag. 38: – « Angelus Celsus, Romanus. - S. Congr. Boni « Regiminis Secretarius - Auditor sub die 24 nov. 1645 et decla- « ratus Consultor S. Off. a S. D. N. Alexandro VII, die 13 iunii 1663, « et Cardinalis creatus ab eodem, die 14 ian. 1664 ».

*Diarium* illius, quod uno volumine continetur cum *Diario* Cavallerini, incipit a die 6 nov. 1647 et pergit ad diem 14 ian. 1664: non est exemplar originale, sed istius copia. Qui hanc confecit, praetermisit transcribere seriem quotidianam causarum, contentus adnotationibus circa stylos et facta tribunalis et Curiae.

Illius Decisiones, numero 411, uno volumine typis Camerae Apost. impressae inveniuntur, ornatae summariis ac solitis indicibus.

491. *Antonius Albergatus* (*Albergati*). Natus ex Marchione Hugone Albergati et Marchionissa Francisca Boni, Bononiensibus, Comes

[1] *Arch. Rot., Admiss. Innocentio X, n. 2*
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXXV.

Antonius Albergati, ditissimus, sacro presbyteratus ordine insignitus, laurea doctorali in utroque iure (quam Patavii fuerat consequutus) praeditus, Archipresbyter Eccl. Bononien.,[1] fuit ab Innocentio X, (cuius erat Nepos) electus in Auditorem Rotae in locum d. Ghislerii, promoti ad eccles. Terracinen. et suum Motumproprium praesentavit Amato Dunozeto, Decano, die 17 mart. 1649.[2]

Celsus in suo *Diario*, diligentia admodum singulari et non solita, actus Novitiatus Antonii describit, istius semper laudans comitatem et modestiam, numquam vero scientiam, quam Antonium parum vel nil calluisse non obscure circumlocutionibus innuit: immo clare intelligere sinit, disputationes seu examina, Antonio parata fuisse ab ipsis Auditoribus. – Idem Celsus narrat, Papam petenti Albergato benedictionem post secretas disputationes, eumdem hortatum fuisse « ut studeret omni conatu Auditores – quorum summopere commen- « darat doctrinam et integritatem – imitari, et in specie admonuit « illum, ut *per aliquod temporis spatium nihil aliud praetenderet, quam « ediscere* ». - Promoto ad cardinalatum Carolo Cerri, Decano, an. 1669, Albergatus sede decanalem ascendit.[3] – « Die sabati, 6 iul. 1686. - « Tribus horis ante vesperum, d. Decanus curavit se transferre in « lectica ad Montem Portium, ubi sexta post die correptus febri, « Dominica 14 eiusdem, circa horam nonam matutinam, munitus « omnibus Eccl. sacramentis, pie obiit. Corpus, translatum ad Urbem, « expositum fuit in Eccl. PP. Discalceatorum B. M. de Scala, ubi de « mandato Emi Card. Ludovisii nuncupati, s. Collegii Decani, eius « germani fratris et haeredis testamentarii, ipsi fuerunt celebratae « solemnes exequiae; quibus collegialiter interfuimus, excepto d. Mat- « thaeio, cum Collegio Advocatorum Concistor. aliisque Advocatis et « Collegio Procuratorum, ac magno numero aliorum Curialium. Fuit « Vir parvae capacitatis, magnaeque bonitatis, summae in deligendis « Adiutoribus Studii felicitatis, ut luculenter demonstrabunt eius Deci- « siones, quinque diversis Adiuvantibus editae spatio 36 annorum « quibus in Rota sedit, si quando praelo committerentur. - Nunciato « eius obitu, ego statim me gessi pro Decano ». Ita in *Diario* Emerix.

*L. I.*, pag. 42: « Antonius Albergatus, Bononien. - Auditor die « 18 dec. 1649 - et Decanus Rotae per promotionem ad Cardinalat. « Cerri. - Obiit in Monte Portio die 14 iul. 1686 ».

[1] *Arch. Rot., Processus,* Vol. I, n. LXXVI.
[2] Ibi, *Admiss. Innocentio X,* n. 3.
[3] Cfr. Part. I, huius operis, cap. 3, *De Decano.*

492. *Franciscus Zarate y Teran.* Toletanus, i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 7 oct. 1650 [1] a Ser. Potent. et Catholico « Principe Hispaniarum Rege in S. Rotae Auditorem, loco b. m. « d. Gutterii de Arguelles, anno praeterito in hac alma Urbe defuncti, « nominatus et a ... D. N. Papa approbatus ».[2] – Die 6 febr. 1651 Franciscus sibi ad rotalem processum constituit procuratorem; docuit clareque demonstravit: 1° se ortum habuisse ex Petro de Zarate et Anna de Teran uxore istius legitima; 2° in civitate Legionen. clericali charactere fuisse insignitum; 3° « in florentissima Universitate Vallisoletana in iure Pontificio et Caesareo operam dedisse et de anno 1639 « in dicta Universitate ..... gradum doctoratus adeptum fuisse »; 4° habuisseque denique, tam in bonis stabilibus, quam in aliis ecclesiasticis, ultra valorem annui redditus scutorum 200. Erat insuper presbyteratus ordine insignitus.[3] - Publicas conclusiones sustinuit die 18 april. 1651, quibus plusquam 4 horas insumpsit.[4] - Initio anni 1658 promotus fuit ad praesidentatum Vallisoletanum; sed sedit in Rota usque ad diem 11 martii, qua Rotae significavit « quod erat impossibile quod ipse posset amplius intervenire in Rota et incumbere « negociis Rotalibus, eo quia inter 8 vel 10 dies intendebat discedere ab Urbe et interim erat variis negociis oppressus . . . Decanus . . . et singuli Auditores . . . gaudentes et congratulantes de « dignitate praesidis Vallisoletani collata in eius personam, sed dolentes ob amissionem talis collegae, absoluta Rota, omnes cum « cappis associati fuerunt eundem Zarate usque ad scalas, praeeunte Decano, qui se posuit in latere sinistro, insequentibus omnibus aliis ».[5]

*L. I.*, pag. 30: « Franciscus de Zarate y Teran, Hispanus ex « Castillia - Auditor die 12 maii 1651 - electus Praeses Vallisoletanus et Eps. Segobien. et deinde Eps. Conchen. ».

Decisiones illius n. 122, incipientes a die 26 iun. 1651 ad diem usque 23 ian. 1658, una cum decisionibus Arguelles et Ninot, unico tomo typis R. C. A. anno 1673 publicavit Pompeius Matulianus, illius a studiis Adiutor, uti iam annui, scribens de Arguelles. Legi etiam possunt in collectione *Recentiorum.*

493. *Aloisius Bevilacqua.* In « Admissiones » deest cedula Motusproprii huius Auditoris; sed asservantur duo petitiones quarum

[1] *Arch. Rot., Admiss. Innocentio X,* n. 4.
[2] Ibi, *Diarium Otthoboni.*
[3] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. LXXVII.
[4], [5] Ibi, *Diarium Otthoboni.*

prima petiit ut clauderetur sua inquisitio, altera, ut dies assignaretur disputationis publicae.[1] – Edocemur Celsi *Diario*, die 26 april. 1652 Albergatum et Zarate retulisse Pontifici admissionem Motus-proprii Aloisii Bevilacqua, et Pontificem dixisse: « Procedatur ad « ulteriora ». – Sub die 31 oct. 1652 fabricatus fuit illius processus. Nominatus ab Illma civitate Ferrariae « loco Emi et Revmi « d. Iacobi Cardinalis Çorradi . . . . . pariter Ferrariensis . . . . . et « a S. D. N. approbatus », patrem habuit Franciscum nobilem Ferrarien. et matrem Virginiam Turchi etiam nobilem Ferrarien.; in civitate Ferrariae clericus factus et in Universitate Ferrariae doctoratum in utroque iure adeptus, possedit ultra valorem annui redditus scut. 200.[2] – Emerix *Diario* colligitur d. Bevilacqua die 23 februarii 1671 possessionem adeptum fuisse Gubernii Urbis; et die 7 oct. 1675 creatum fuisse « Nuncium extraordinarium ad « S. Caesaream maiestatem pro reconcilianda pace inter principes « catholicos, et Patriarcam Alexandrinum, obtinuisseque Breve Apli- « cum., quo ipsi indulgetur ut, eveniente casu vacationis Decanatus, « possit optare locum Decani, non obstante quod non sit amplius « Auditor, sed solum Locumtenens, et etiam non obstante, quod « eveniente tempore vacationis, contigeret ipsum non esse praesen- « tem ».[3] Sed cum intellexit gratias sibi concessas contrarias esse stylis et constitutionibus Rotae, eisdem renunciavit.[4] Signata pace Neomagi, rem Rotae per epistolium significavit.[5] - Obitus illius sic narrat Emerix, Decanus, sub die lunae 22 aprilis 1680, « II paschatis. « Illmus et Revmus d. Aloisius Bevilacqua, Patriarcha Alexandrinus « et Locumtenens Auditoris Rotae, hodie vesperi, omnibus Ecclesiae « Sacramentis et benedictione Aplica munitus, pie in Domino obdor- « mivit. Transtulerat se sub initium quadragesimae ad Urbem Ferra- « riae, ubi tantisper quieverat post absolutum tractatum pacis Neo- « magensis »; rediit ad Urbem « cum spe universali proximae pro- « motionis ad Cardinalatum »; sed Deus illius labores maiori et firmiori praemio voluit rependere. Exequiae illi celebratae fuerunt ad S. M. de Victoria, « ubi vivens sumptuosam aedificaverat cappellam ».[6]

*L. I.*, pag. 14: « Aloysius Bevilacqua, Ferrarien. - Auditor die « 16 dec. 1652 - abiit Nuncius extraordinarius Pontificis Neomagum

[1] *Arch. Rot., Admiss. Part. II*, nn. 11 et 12.
[2] Ibi, *Processus*, Vol. I, n. LXXVIII.
[3] Vol. III, n. 322, pag. 429-430.
[4] Ibi, n. 333, pag. 430.
[5] Ibi, nn. 338, 339, pag. 438, 439.
[6] Citat. *Diar.* l. c.

« ad pacem tractandam - et paulo post reditum ad Urbem obiit « die 22 april. 1680 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

494. *Hieronimus Priolus*. Archidiaconus Palatinus - nobilis Venetus, i. u. d. - successit in locum P. Otthoboni, et suum Motumproprium praesentavit die 27 nov. 1652.[1] Cum neque advocatum egisset neque in Curia fuisset moratus, debuit informare, et de facto informavit in quadam causa Fanen., « iuxta stylum et consue- « tudinem Tribunalis ». Ultima in Rota iulii 1653 fuit admissus in Rota et clausum habuit os: in Rota vero 6 oct. dubitatum fuit utrum illi Decanus os posset aperire, cum nulla *Dubiorum Rota* locum habuisset, et decisum fuit quod una proponeretur causa ita ut Hieronimus videret et addisceret quomodo in Rota discutebatur et votabatur, et sic postea os illi posset aperiri. Bichius, qui erat paratus, causam revera proposuit et os fuit Hieronimo apertum die 10 illius mensis.[2] - Processus Hieronimi archivio non manet.

*L. I.*, pag. 22: « Hieronimus Priolus Venetus - Auditor die « 10 octobris 1653. - Obiit Romae die . . . 1674 ».

« Moriens dudum idem Hieronimus pro ultimo et eximio erga « me » - scribit in litteris dedicatoriis ad Livium Odescalcum Ioseph Sacripantes, Narniensis, in Romana Curia Advocatus - « sui amoris « testimonio, iudicialium exercitationum tam publica, quam secreta « omnia monumenta manuscripta mihi testamento legavit, et quem « suorum legalium laborum vivens habuit Adiutorem, eorumdem post « obitum designavit haeredem. Sed ego . . . Decisiones omnes in « unum collectas, summariis argumentis et indice dispositas typis « mandare decrevi et, Deo dante, adimplevi ». Numero sunt 471, fere omnes perbreves, unico continentur volumine: earum prima datam praesefert 15 decembris 1653; novissima autem, 9 maii 1674. Prodierunt typis R. C. A. anno 1681. Nonnullae inveniuntur etiam in Collectione *Recentiorum*.

## § VII.

### Alexander VII.

### (*7 april. 1655 – 22 maii 1667*).

Fabius Chisius, electus die 7 aprilis 1655.[3] Papa ad postulationem Rotae, huic concessit « la provvisione solita a pagarsi agli Uditori

[1] *Arch. Rot., Admiss. Innocentio* X, n. 5.
[2] Ibi, *Diarium Celsi*.
[3] Vol. III, n. 268, pag. 387.

« di Rota, trattenuta dal Depositario della R. C. nella passata Sede « vacante »; et « il donativo solito farsi dagli altri Sommi Pontefici « nella loro assunzione al Pontificato della somma di scudi 2400 « d'oro ». - Novo Pontifici praesentati a cardinale Barberinio Vice-Cancellario fuerunt Auditores die 14 april. 1655 et Papa orationi quam Decanus Rotae coram eo habuit, respondens « improviso magis « eleganter » dixit inter alia « quod intendebat conservare (Rotae) « et manutenere non solum . . . privilegia antiqua, sed addere nova, « et adeo se benignum exhibuit, ut aliquis ex Auditoribus non potue- « rit continere lacrymas ».[1]

Nec Alexander polliticis largus, re autem fuit inanis: nam suppressis Collegiis Subdiaconorum et Acolytorum Apost., die 16 mensis octobris illius anni Bulla *Nuper certis ex causis* data apud S. M. Maiorem, declaravit: « Dilectos filios Cappellanos . . . . . Auditores « nunc et deinceps perpetuis futuris temporibus exsistentes, Subdia- « conos Apostolicos ».[2]

Non tantum sed « insuper praefatis Auditoribus et eorum singulis « nunc et in futurum quandocumque exsistentibus pro maiori ministerii « eis per praesentes iniuncti decore, ac suarum personarum orna- « mento, ut deinceps vestem interiorem quae Subtanea, nec non aliam « exteriorem, quae Mantellettum vulgo nuncupatur, violacei coloris, « ac etiam Galeri redimiculum, cordone vulgo dictum, eiusdem colo- « ris violacei ubique deferant praecipimus et mandamus ».[3]

Mirum sane est, si attendatur praesertim indoles et mores hominum illius temporis, Auditores non solum concessionem huiusmodi privilegiorum non sollicitasse, sed e contra multas in eam opposuisse difficultates. Quarum non ultima fuit mutatio coloris habitus: nam se nigri coloris vestibus induebant antea, unde vocabantur *Cardinales nigri*. Et revera *Diariis* edocemur multum instetisse Auditores praesertim apud Emm. Corradum, cardinalem, et Febeum, magistrum Praepositum coeremoniarum, ne habitus color immutaretur.[4] Quam rem valde admiratus est ipse card. De Luca qui in *disc. XXXII, de relat. Rom. Cur.* eam in exemplum modestiae omnibus adducit.

Privilegio Alexandrino uti coeperunt (cum magna attentione populi) Auditores die 31 oct. 1655 in primis vesperis omnium Sanctorum, quas Papa celebravit ad Quirinale Palatium, et ea die Magister S.

[1] *Arch. Rot., Diarium Celsi.*
[2] Vol. III, nn. 271-272, pag. 389 ssq.
[3] Ibi, l. c.
[4] *Arch. Rot., Diarium Celsi.*

Palatii pro prima vice sedit in Cappella ultimus post Auditores. Sacrorum Palliorum custodia quae antea Subdiaconis Apost. demandata erat, istis suppressis, commissa fuit Auditoribus qui per suum Thesaurarium Celsum die XIX nov. 1655 eam ab quodam ex suppressis Subdiaconis receperunt, uti Celsus narrat referens se habuisse clavem capsae Palliorum, et capsa aperta, intus invenisse numero 33 Pallia. – Item ea die concorditer cum Magistro coeremoniarum decisum fuit aliquantisper moderare splendorem ornamentorum Mulae qua utebantur Auditores aequitantes, praesertim fibularum « quae « solent esse de auricalco inaurato, ita ut ostenderent modestiam « Auditorum, ad evitandam calumniam, quod ipsi velint concurrere « cum Cardinalibus ».[1]

Finem hoc privilegio Alexandrino ita habuit praecedentiae quaestio inter Auditores Rotae et Barones, quae ardentissima efferbuit sub Innocentio X.

Alexander VII exemplo aliorum Pontificum qui in causis gravibus consueverunt consilium exquirere Rotae, « fecit extraiudicialiter in « eadem Rota cognoscere causam difficilem quae vertebatur inter « Cardinalem Astallum ex una, contra plures Cardinales, super recu- « peratione Abbatiarum Benedictinorum et protectionem de quibus « de facto a S. P. Innoc. X privatus fuit et facta provisio in favo- « rem eorundem Cardinalium ». Non semel proposita causa, tandem die 13 sept. 1655 universa Rota super propositis Dubiis mentem suam pandidit. Suffragia Auditorum fuerunt consignata Decano ad effectum illa consignandi Pontifici, qui declaravit se velle illa inspicere; et die 1 oct. Decanus retulit se consignasse Pontifici vota illa Auditorum, et Bichius attestatus fuit quod Ssmus approbavit vota Dominorum et commendavit doctrinam et modum in votando.[2] - Praeterea mense martio 1656 Rotam coram se voluit fieri.[3]

His vero non contentus, Alexander quum in lucem dederat Bullam *De datis et acceptis*, licet in verbis non exciperentur dona solita dari Auditoribus Rotae, nihilominus declaravit sub illa Bulla Auditores non esse comprehensos.[4] - Actum est anno 1657 de confirmatione privilegiorum ad favorem Rotae obtinenda; et iam in promptu erat Bulla praesentanda pro signatura Papae, sed orta ex parte Cardi-

[1] Vol. III, nn. 273, 275, 276, pag. 393-394.
[2] Ibi, n. 283, pag. 397 et *Diarium Celsi.*
[3] Ibi, n. 283, pag. 397.
[4] *Arch. Rot., Diarium Celsi.*

nalis Othoboni aliqua difficultate stante quod plura privilegia erant revocata per Concilium, res ultra non est producta.[1]

Obiit Alexander die dominico 22 maii 1667.[2]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Franciscus Card. Barberinus.[3]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Cardinalatum:* A. Celsus; V. Vicecomes.

*Ad Episcopatum:* V. Vicecomes.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

495. *Petrus Martinez Rubio.* Clericus Caesaraugustanus, i. u. d. - successit in locum Roxas promoti ad archiepiscopatum Tarraconen., et Motuproprium praesentavit die 15 maii 1656.[4] - Instrumentum inquisitionis illius archivio non manet: Celsus in suo *Diario* de eo commemorat tantum quod lunae 15 maii 1656 Motumproprium praesentavit et die 22 illius mensis institit ut fieret relatio Pontifici super admissione Motusproprii, die vero 26 facta iam erat Papae relatio qui respondit: « Procedatur ad ulteriora ». Nomen huius Auditoris *Libro iuramenti* insertum non est.

496. *Flaminius del Taia.* Nobilis Senensis, i. u. d. - successit Bichio, defuncto.[5] - Papa istius electionem die 20 mart. 1657 « me- « diante Emo Rospigliosi, nepote, notificavit Decano Rotae ».[6] - Nondum ea die Flaminius accesserat ad Urbem, ad quam denique paucis post diebus pervenit, et cum inviseretur a D. Celso, « in domo pro- « fessa Ss. Nominis Iesus », interrogavit Celsum « an adesset modus « pro abbreviando tempore et tollendis visitationibus quae fiunt a novo « Auditore » tempore sui novitiatus. Iam ab illa die Flaminius sua de aliorum studiis non esse studia quoad observantiam antiquarum Rotae consuetudinum ostendit, unde Auditor cum extitit censuris et monitionibus fuit postea mulctatus. Quamvis Celsus illa die ipsi reposuerit et expresse fuerit protestatus, « quod huiusmodi innovationes « summopere displicerent Auditoribus et quod propterea non insisteret « super ea, ne incurreret indignationem Auditorum, atque alia plura

[1] *Arch. Rot.*, l. c.
[2] Vol. III, n. 307, pag. 412.
[3] *Arch. Rot., Admiss. Alexandro VII.*
[4] Ibi, *Admiss. Alexandro VII*, n. 1.
[5] Ibi, *Admiss. Alexandro VII*, n. 2.
[6] Ibi, *Diarium Celsi.*

« dixerit super hac materia », quamvis idem Flaminius declaraverit et protestatus fuerit « quod amplius de huiusmodi innovatione non ageret » nihilominus id effecit ut Febeus, magister coeremoniarum « nomine « Ssñi Decano exposuerit, quod si placeret Tribunali, Papa libenter « inclinaret quod resecarentur tot coeremoniae et visitationes ». Respondit Rota, nullimode se inclinare ad resecandas huiusmodi coerimo- « nias, quamvis, Ssñus poterat iubere et Auditores erant prompti ad « obediendum ». Rotae responsio d. Febeo, qui morabatur Tusculi, transmissa fuit ab Auditore in studiis d. Verospii, et Febeus dixit : « se esse certum quod sine consensu et satisfactione Tribunalis nihil « foret innovandum ». Et nihil revera fuit innovatum, ita ut Flaminius die 25 maii 1657 insteterit ut fieret relatio Pontifici super admissione sui Mp., quem praesentaverat die 18 illius mensis ; die vero 8 iun. ut ei assignaretur tempus inquisitionis ; die lunae 1 oct. ut clauderetur inquisitio : die 8 oct. ut sibi assignaretur punctus, sed cum nec Praelatus esset nec Advocatiam exercuisset, de more, debuit scribere et informare Rotam, quod ab eo perfectum est die veneris 12 oct. illius anni ; die 13 nov. habuit suas publicas disputationes ; die 19 nov. institit ut fieret relatio Ssño de habitis disputationibus et tandem die lunae 3 dec. 1657 praestitit solitum iuramentum « legens « illud in libro in quo reperiebatur ». Prosequitur Celsus, adnotans adiunctum notabile, attenta posteriori agendi ratione Flaminii, nempe : « (Flaminius) debebat quoque iurare observantiam Bullae s. m. Ur- « bani VIII *super observantia secreti ;* sed quia illa non reperiebatur « in Rota, non potuit iurare illius observantiam ». Exinde ne Flaminius postea secretum non servavit et ideo non tantum Rotae, sed et Papae monitiones promeritus est ? - Instrumentum inquisitionis Taiae datam praesefert 21 nov. 1657. Ex eo colligitur Flaminium, filium fuisse nobilis Alexandri doctoris, quondam Iulii del Taia[1] Senen. et Artemisiae Flaminii de Tondis, item nobilis Senen. Sacro presbyteratus ordine et laurea doctorali in utroque iure Senis fuerat insignitus, longeque maiorem redditus summam quam ducat. 200 in bonis possidebat.[2] - In extendendis Decisionibus, « quando motiva « corresponsalium ipsi non placebat » se reddebat « difficilem et « quandoque alienum ab illarum extensione ; ac etiam a sententiarum « prolatione iuxta earum formam » vel referebat in Decisionibus « vota per extensum », vel renitentem se habebat « in porrigendo

[1] Iulius Del Taia a testibus processus praedicatur « doctor celeberrimus, in « publico Senarum gymnasio iuris professor et Pandectarum lector ».

[2] *Arch. Rot., Processus,* vol. I, n. LXXX.

« suffragia in causis quae de ordine Rotae videbantur ab omnibus « Dominis ». Quapropter Rota prius et postea Papa eum redarguiti sunt. [1]

Flaminius valde in diebus suis processerat, quum anno 1681 Innocentius XI eum voluit s. purpura cohonestare. Rem narrat Emerix, cui igitur verba cedo: « Die 1 sept' 1681 Ssmus D. N. « creavit, insperato, 16 Cardinales, omnes morum integritate, doctrina, « aliisque virtutibus insignes: inter quos fuerunt Rmus P. Raimundus « Capisucchus O. P., Sacri P. A. magister, et duo alii ordinis nostri « S. P. A. Auditores, nempe Rmus D. Vicecomes Archiep. Mediolanen., « Locumtenens Rotae, et Rpd. Flaminius Taia, Senen. octuagenarius « qui una cum abbate Michaele Riccio Comensi, non tam provectae « aetatis sed infirmioris valetudinis inter alios ad tantam dignitatem « cooptatus nullis suasionibus, immo nec pontificia exhortatione « per ... Card. Cybo utrique personaliter delata, usque in hodier- « num, tertium a creatione, diem induci potuit ut eam acceptaret; « rarum et gloriosum exemplum, si constantes cum animi tranquilli- « tate permanserint! ». Alius Auditor in suo *Diario* recusationem hanc non tam est admiratus; imo e contra eam videtur derisui habuisse: sic variat hominum opinio! Sed die 13 nov. illius anni 1681 Taja et Riccius acceperunt in Consistorio pileum cardinalitium; die vero 5 oct. 1682 « circa horam 16 obiit Cardinalis Taja necdum com- « pleto anno a die acceptationis Cardinalatus, et 6 abhinc mensibus « circiter Cardinalis Riccius: gloriosior uterque, si Cardinalatum non « acceptasset! ».

*L. I.*, p. 26: « Flaminius Taja, Senensis - Auditor 3 dec. 1657 – « declaratus Regens S. Poenitentiariae die 21 ian. 1666 - Cardinalis « creatus 1 sept. 1681 a S. D. N. Innocentio XI ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

497. *Ludovicus Anglure de Bourlemont.* Clericus, nobilis Tullen., i. u. d. - praesentavit Motumproprium die 20 nov. 1658. Locum habuit Amati Du Nozet, defuncti. [2] - Tenore instrumenti processus Ludovici patet die 2 april. 1659 Ludovicum sibi constituisse procuratorem ad processum rotalem fabricandum. Deputatus fuit in Auditorem Rotae ad nominationem Regis Christianissimi, doctor in utroque iure sub die 13 april. 1658 in Accademia Pontimussana; Diaconatus ordine insignitus die 29 iun. 1658 Parisiis. Parentes eius fuerunt

[1] Vol. III, n. 329, pag. 433.
[2] *Arch. Rot., Admiss. Alexandro VII,* n. 3.

nobiles Tullenses Claudius et Angelica Dajaceto, et illi erant quamplura bona stabilia, ex quibus non solum ultra articulatos 200 ducat., sed etiam satis maiorem summam et quantitatem annuatim percipiebat.[1] - In *Admiss.* legitur illius supplicatio qua petit claudi inquisitionem et est sub data 17 mart. 1659.[2] - Cum e Rota discessit, episcopus Foroiuliensis, Emerix in *Diario* scripsit: « Fuit Auditor « integerrimus, styli ac eorum quae Tribunal in comune concernunt « acerrimus defensor, ita ut propter operam illi integro vicennio « tam fideliter praestitam, communi iudicio fuerit maiori promo- « tione dignus ».

*L. I.*, pag. 46: « Ludovicus d'Anglure de Bourlemont, Gallus – « Auditor die 4 iul. 1659 - Discessit die 11 dec. 1679, factus Epi- « scopus Foroiuliensis, translatus postea ad Ecclesiam Carcassonen., « et inde ad Archiep. Burdigalen ».

Decisiones illius inter *Recentiores*.

498. *Ioannes Emerix*. Leodien., habuit circa finem mensis iulii 1659 gratiosam nominationem sacrae Caesareae Maiestatis, illâque per Emum d. card. Columna S. R. I. Protectorem praesentata S. D. N. Alexandro Pp. VII et ab eo benigne acceptata, expeditus fuit Motus-proprius, cuius tamen acceptationem distulerunt Auditores usque ad primam Rotam octobris, sub praetextu quod dies Congregationis non esset rotalis; quamobrem tantum die 6 Aprilis 1660 sustinuit con clusiones publicas et die ultima illius mensis admissus fuit in Rota.[3]

Praeter tres illius supplicationes pro obtinendis continuatione processus, facultate ferendi suffragia etc. in *Admission.*, habemus illius *Diarium* transcriptum in volumine Extractuum Diariorum Poeniae, Cocc. etc. et occupat 5 folia illius voluminis nempe ab 87 ad 91 inclusive, et cum eo incipit voluminis pars III.

*L. I.*, pag. 34: « Ioannes Emerix, Leodien. Auditor die ultima « Aprilis 1660: renunciavit ad favorem Jacobi nepotis, et obiit die « 16 mart. 1669 ».

Rotae valedixit die 23 Ian. 1668, et Papa sub die 1 Febr. 1668 illi concesserat omnia Auditorum privilegia retinere.

Decisiones Ioannis in vulgus prodierunt cura Nicolai Antonii de Rubeis et Ioannis Bapt. Arrighi post 30 et amplius annorum silen-

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. I, n. LXXXI.
[2] Ibi, *Admiss.,* part. II, *varia*, n. 14.
[3] Ibi, *Diarium Ioannis Emerix.*

tio in quibus iacebant sepultae. Sunt numero 180, locupletatae argumentis, summariis et indice materiarum, sub unico volumine.

499. *Ioseph Ninot.* In *Admiss.* extant inter *Varia* Iosephi Ninot duae supplicationes, quibus petit aperiri et claudi suam inquisitionem sub diebus 13 febr. et 14 maii 1660.

*L. I.*, pag. 18: « Ioseph Ninot, Hispanus, e Catalonia - Auditor « die 10 dec. 1660 - promotus e Rota ad Episcopatum Gerunden. « die 24 nov. 1664 cum retentione officii Auditoratus ad beneplacitum Ssmi et post Episcopus Illerden. ».

500. *Vitalianus Vicecomes* (*Visconti*), Mediolanen. - Praesentavit suum Motumproprium die 4 aug. 1660, successus Hieronimo Meltio (Melzi) electo Papien. [1] In *Admiss.* inter *Varia* [2] supplicatio illius iacet qua petit ut procedatur, non obstante absentia Papae, ad inquisitionem et ut haec claudatur. Illius inquisitio incoepta die 11 oct. 1660 finem habuit die 14 ian. 1661. [3]

*L. I.*, pag. 6: « Vitalianus Vicecomes, Mediolanen. - Auditor die « 29 mart. 1661 - et de anno 1664 Datarius Legationis Dñi Card. « Chisii ad Ser. Galliae Regem, et post completam legationem declaratus Archiep. Ephesin. et Nuncius Apost. ad Ser. Hispan. Regem, « et deinde creatus Cardinalis ab Alexandro VII die 7 martii 1667 ».

501. *Ioannes Antonius Ottalora.* Hispanus, praesentavit suum Motumproprium die 13 ian. 1662. [4] In *Admiss.* inter *Varia* [5] adest illius supplicatio quod procedatur ad inquisitionem non obstante absentia Papae, sub die 1 febr. 1662. - Narrat Emerix in *Diario*, die 15 iun. 1670: « similiter adhuc vacante Sede (ob mortem Clemen- « tis IX) habita per d. meum Otalora nominatione Regia ad Praesi- « dentatum Granaten, valedixit Rotae et discessit ab Urbe ante crea- « tionem novi Pontificis, et propterea ipse non habuit partem donativi « scutor. 2400 auri quam tamen habuit Varesius etc. ».

*L. I.*, pag. 30: « Ioannes Antonius ab Otalora Guevara, Hispanus « ex Castillia - Auditor die 5 dec. 1662 et abiit de mense iunii 1670, « Sede Apost. vacante, declaratus Praeses Granaten. ».

Decisiones illius inter *Recentiores.*

502. *Gaspar de Carpineo* (Carpegna). *Liber Iuramenti:* « Gaspar « de Carpineo, Romanus, S. Congregationis Aquarum Secretarius; -

[1] *Arch. Rot., Diarium.*
[2] Ibi, l. c., n. 17.
[3] Ibi, *Processus,* vol. I, n. LXXXII.
[4] Ibi, *Diarium Emerix.*
[5] Ibi, l. c., n. 18.

« electus die 10 dec. 1664 S. R. Auditor - Consultor S. Officii die « 3 dec. 1669 - electus Datarius a S. D. N. Clemente X die 29 apri- « lis 1670 - et Cardinalis creatus ab eodem die 22 dec. 1670 - et « postea etiam Vicarius Pontificis in Urbe ». - Sed errate scriptum fuit in *Libro iuramenti*, Gasparem fuisse *electum* Auditorem die 10 dec. 1664. Nam ex *Diario Emerix* colligitur, die 17 oct. 1664 « fuisse assignatum punctum Rpd. Carpineo ... et etiam assignatam « diem pro habendis disputationibus publicis, quae fuit *dies Praesenta-* « *tionis b. m. Virginis* ». Igitur non tantum ante diem 10 dec. 1664, sed etiam ante die 17 octobris illius anni Carpineus fuerat electus Auditor: probabiliter die 10 dec. 1664 Carpineus praestitit iuramentum. - In *Admiss.* inter *Varia* [1] petit quod procedatur ad inquisitionem non obstante quod Papae relatio inquisitionis fieri nequiret.

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

503. *Vincentius Calataju*, Hispanus - illius admissionem narrat fusius Emerix, adnotans, Vincentium publicas habuisse disputationes die 11 iunii 1666; secretas die 2 iulii insequentis; et tandem die 5 eiusdem mensis et anni praestitisse in Rota solitum iuramentum. - Idem Emerix sub die 18 martii 1678 refert, « post resolutiones cau- « sarum, Rpd. Calataju, promotum a Rege Hispaniarum ad officium « Magni Cancellarii Mediolanensis, valedixisse Rotae et Dominis, qui « illum de more collegialiter associati sunt extra portam cubiculorum « Rotalium » et addit: « Dubitatum fuit ab aliquibus ex Dominis, an « hodie esset mutandus turnus? sed post brevem disceptationem com- « muniter conclusum exstitit, non esse mutandum, nisi in fine sequen- « tis Rotae, iuxta antiquum stylum Tribunalis, de quo testatur Poenia, « ut in Extractu illius *Diarii*, part. I, et Ottobon., part. II ». - Die vero 2 aprilis illius anni, Calataju habuit suam partem distributionis propinarum « licet multae fuerint exactae post illius discessum a Rota ». - Quonam vero die et anno suum obierit diem extremum, multum nostra non interest; tunc enim ipse e Rota iamdiu exierat. Nescio igitur quonam fundamento extensor notulae *Libri iuramenti*, pag. 18, de Vincentio Calataju scripserit: « Vincentius Calataju, Hispanus, « Valentinus - Auditor *3 iun. 1666* - Obiit die aprilis *1677* declaratus « Magnus Cancellarius Mediolanen. ».

Decisiones illius, inter *Recentiores*.

504. *Pompeus Varesius* (*Varese*). Narrat Emerix, Pompeum Varesium successorem b. m. Verospii, suas publicas theses sustinuisse

[1] *Arch. Rot.*, l. c., n. 19.

die 9 mart. 1666. - In *Admiss.* inter *Varia* [1] reperitur illius supplicatio qua petit ut procedatur ad inquisitionem. - *Diario* Emerix scimus die 27 febr. 1671 « Varesium fuisse declaratum Nuncium apud « Rempublicam Venetam » et die 8 dec. 1676 ipsum iam esse Nuncium ad Regem Galliae pro pace. - Obiit Parisiis die 4 nov. 1678, sed illius mortis notitia ad Rotam non pervenit nisi die 26 nov. 1678, ita ut tantum « fuit mutatus turnus, in fine Rotae sequentis sub die « 28 dicti mensis ». [2]

*L. I.*, pag. 10: « Pompeius Varesius, Romanus - Auditor die « 3 decembris 1666 - et a S. D. N. Clemente IX deputatus Urbis « Gubernator die 1668. - Obiit Parisiis, Nuncius Apostolicus die 4 nov. 1678 ».

Decisiones illius legere est inter *Volantes*.

## § VIII.

### Clemens IX.

*(20 iun. 1667 – 9 dec. 1669).*

« Die lunae, 20 iunii 1667, de sero, circa horam 22 pulsatam, fuit « electus in Summum Pontificem et successorem Alexandri Pp. VII, « Ems. et Rms. d. Cardinalis Iulius Rospigliosius, qui imposuit sibi « nomen Clemens IX, qui deinde fuit coronatus in Basilica S. Petri « die dominico 26 dicti de mane, et die dominico 3 iulii post Vespe- « ras, cum solemni equitatu discessit a Basilica S. Petri et accessit « ad Lateranensem, ubi possessionem accepit ». [3]

Auditoribus Rotae, oretenus facultatem concessit Rotam aperiendi, antequam ipsi ad eum collegialiter convenissent; et die 30 iulii, ipsis ad pedes eius convolutis collegialiter, prompte distribui mandavit solitum donativum scut. 2400 auri: eaque die, post Rotam Memorialium, Apostolica Camera dedit Rotae solitum prandium, fuitque clausum sacrum Tribunal.

Clemens per Breve diei 1 febr. 1668 declarans se acceptasse liberam auditoratus dimissionem factam a Ioanne Emerix, huic concedit, quoad vixerit, « nomen, titulum et denominationem Cappellani « nostri Causarum Palatii Apost. huiusmodi Auditoris retinere, illis- « que, necnon habitu et redimiculo violaceo... in quibusvis functio- « nibus et actibus tam publicis quam privatis uti libere et licite etc. ».

[1] *Arch. Rot.*, l. c., n. 20.
[2] Ibi, *Diarium Emerix*.
[3] Ibi, l. c. e quo desumptae sunt et insequentes adnotationes.

Locum vero sic vacantem, tribuit Iacobo Emerix de Matthiis, nepoti Ioannis, quem nominavit non in forma Motusproprii- sed - uti iuris erat - resignationis, cum nominatio fuisset facta ad supplicationem Ioannis et Iacobi.

« Die 29 nov. 1669, post Rotam, ob adversam valetudinem Ssmi « D. N. Clementis IX, ex improviso intimatum et convocatum fuit « Consistorium pro hora 22 in Palatio Quirinali, et in eo fuerunt ab « eodem Ssmo, in lecto iacente, circa horam 22 declarati et respe- « ctive assumpti ad Cardinalatum, Ludovicus de Portocarrero, Hispa- « nus; et Franciscus Nerlius, Florentinus Archiepiscopus Florentiae; « Aemilius Alterius, Romanus; *Carolus Cerrus*, Romanus, *S. Rotae « meritissimus Decanus;* Lazarus Pallavicinus...

« Eadem die, post Consistorium fuit declaratus Advocatus Con- « sistorialis Urbanus Spretus, Ravennaten. et quamplures alii offi- « ciales et C. A. Clerici fuerunt pariter eadem die declarati.

« Die 9 dec. 1669. Ad hanc Rotam accesserunt omnes Domini, « excepto Rpd. Bourlemont, impedito ob negocia Regis Galliarum et « quia fuit nunciatum S. D. N. Clementem IX animam Deo reddidisse « circa horam 12, fuit dubitatum an esset procedendum ad decisio- « nem causarum... ». [1]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Franciscus card. Barberinus. [2]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalat.:* Carolus Cerrus, Decanus.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

505. *Federicus Vicecomes* (*Visconti*). Huius Auditoris in archivio hodie nec Motumproprium nec instrumentum processus reperitur; tantum in *Almiss.* inter *Varia* (n. 21) manet illius supplicatio qua instat ut, praehabitis iam publicis disputationibus, procedatur ad ulteriora.

*Libro iuramenti*, pag. 6, scimus, Federicum e Mediolano fuisse qui exstitit: « Auditor die 9 dec. 1667; - electus Archiepiscopus Medio- « lanen. de anno 1681 a S. D. N. Innocenzo XI - et ab eodem Pon- « tifice Cardinalis creatus die 1 sept. eodem anno 1681 ».

Sed ex *Diario* Emerix promotiones Federici melius colliguntur et statuuntur: Emerix enim die 16 iun. 1681 adnotat, Federicum ele-

[1] *Arch. Rot., Diarium Emerix.*
[2] Ibi, *Admiss. Clemente IX.*

ctum fuisse Archiep. Mediolanen., quem Papa proposuit in Consistorio secreto diei 23 eiusdem mensis « cum retentione Auditoratus « ad beneplacitum » et cum reservatione aliquot pensionum, condonata insuper illi propina ecclesiae Mediolanen. Sub die vero 1 septembris 1681, adnotat idem Emerix, Federicum, Locumtenentem in Rota, creatum fuisse Cardinalem.

Decisiones illius inter *Volentes*.

506. *Iacobus de Matthiis-Emerix*. Leodien., successit - per resignationem ad praesentationem C. Maiestatis factam sub die 9 octobris 1668 - avunculo suo Ioanni Emerix. - Natus erat Iacobus sororis Ioannis uxoris cuiusdam de Matthiis. « Notandum - scribit ipse « in *Diario* - est, gratiam meam fuisse conceptam non in forma Motus « proprii iuxta solitum, quando fit provisio Auditoratus per mortem « vel per promotionem; sed in forma resignationis, prout debebat, « dum fiebat ad meam et avunculi mei supplicationem ». Apertum fuit illi os die 10 dec. 1668, quando Ioannes iam exierat de Rota. [1] - Vir iuris scientia praepollens fuit, Decanus Rotae post Albergatum ad diem 2 sept. 1696. [2] - De illius morte sic commemorat eius *Diarium:* « Lunae 27 aug. 1696: dum Rm̃us d. Iacobus Emerix S. R. Dec. « domi suae haberet colloquium cum Rm̃o Dño Card. Carpineo, cor- « reptus fuit solitis accidentibus epileticis; habitis proinde consessibus « primariorum Urbis Physicorum ac adhibitis omnibus Pharmacis, pla- « cuit Deo illum in sinu Abrahae recipere die 2 sept. subsequentis, « omnium sane moerore et intima cordis displicentia. Quandoquidem « fuit vir omni virtutum genere praeditus, praesertim vero in utr. « iure ita versatus, ut non sine stupore saepe integrum Corpus utr. « facultatis mente pervolveret et in compendium redactum recitaret. « Pius, devotus, liberalis, constans animo, memoria felix, corde apertus, « gravis incessu, tractu amoenus, aditu facilis, in negotiis peragendis « admodum expers, sollicitus, planus, et indefessus, Sacrae Rotae acer- « rimus propugnator et zelantissimus defensor, in iudicando ita maturus, « iustus, velox et intellectu apertus ut ad id natus videretur; in ratio- « cinando brevis sed efficax, in scribendo succinctus sed mirabiliter « clarus, ut testatum faciunt eius aureae Decisiones, quas si non omnes « ipsemet extendit, nullas tamen incorrectas in lucem edidit. Erga « amicos ita beneficus ut occasionem quaereret illos iuvandi frequen- « tius motu proprio, quam occurrentem amplecteretur; amantissimus « Curialium, cupidaeque legum iuventutis patientissimus pater... Dignus

[1] *Arch. Rot., Diarium Iacobi Emerix.*
[2] Parte I, caput III, *De Decano.*

« tandem maioribus dignitatibus, quas, si ex temporum contigentiis non « obtinuit, omnium tamen votis promeruit. Sedit cum maxima laude et « existimatione in Tribunali S. Rotae 28 annis, post quam per 10 alios « opem praebuerat eius avunculo tanquam Adiutor studii; per annos 6 « fuit zelantissimus Regens S. Poenitentiariae; per 12 S. et U. Inquis. « consultor; Episcoporum Examinator in Iure Canonico; S. C. Rituum « ac Reformationis Votans, et ad negocia extra ordinaria frequenter « evocatus. Vixit annos 70 quos indefesso labore assiduoque studio « bonis operibus illustravit ».

In *Diariis Camerale et Decanale* attestatur: « Scripturarum *Posi-* « *tiones*, quas b. m. Emerix Decanus per totum tempus quo ipse « et patruus sederunt in h. s. Auditorio collegerant incipientes ab « anno 1660, legavit n. Tribunali et Domini ad eiusmodi benevoli « animi memoriam et ad publicam utilitatem illas deposuerunt penes « Collegium Nazarenum ». Igitur auctor et conditor fuit collectionis Positionum quam hodie habemus in archivio.

Auctor etiam fuit Iacobus Decreti de conservandis Decisionibus, ut late exposui in parte I, cap. *De Decisionibus.*

Scripsit opusculum super stylis S. R. Rotae, quod typis evulgatum est; inscribitur: *Sacrae Rotae Romanae Praxis.*

Illius *Diarium* summopere est laudandum, atque historiae Tribunalis perutile. Incipit a fol. 91 et attingit fol. 263 voluminis inscripti *Extract., ex Diar. Poen. Cocc. Ottob. Emerix* et propemodum infinitas dat notitias rerum, personarum, eventuum tum Rotae, tum cum Rota connexionem habentium.

*L. I.*, pag. 34: « Iacobus Emerix, Leodien. - Auditor die 29 novem- « bris 1668 - evectus ad decanatum die 14 iulii 1686 per obitum b. m. « Albergati et declaratus Regens S. Poenit. die 24 novembris 1689 in « locum Rondanini defuncti » (die 20 eiusdem mensis).

Decisiones illius typis Dominici Antonii Erculis prodierunt Romae an. 1701 cura et studio Nicolai Antonii de Rubeis et I. B. Arrighi advocatorum, qui Emerix fuerant Secreti. Numero sunt 1370 in 3 tomos distributae, cum copioso Indice materiarum ad tertium tomum.

507. *Marcellus Rondaninus* (*Rondanini*). « Veneris 29 nov. 1669. - « Post Rotam ob adversam valetudinem Ssmi D. N. Clementis IX « ex improvviso intimatum et convocatum fuit Consistorium pro « hora 22 in palatio Quirinali, et in eo fuerunt ab eodem Ssmo, in « lecto iacente, circa horam 22 declarati et respective assumpti ad « Cardinalatum, ... Carolus Cerrus Romanus S. Rotae meritissimus « Decanus... Eadem die post Consistorium fuit declaratus Auditor

« Rotae in locum praedicti Emi Cerri, Rpd. Marcellus Rondaninus « Romanus, Advocatus Consistorialis, et Auditor Confidentiarum, et « in eius locum fuit declaratus Adv. Consistor. Urbanus Spretus, « Ravennaten. ... ». Possessionem sui officii Auditoratus accepit die 16 ian. 1671.[1]

*L. l.*, pag. 50: « Marcellus Rondaninus, Romanus - Auditor decla- « ratus die 29 nov. 1669 - et Regens S. Poenit. per assumptionem « ad Cardinalatum Emi Tajae. - Obiit die 20 oct. 1689 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores* et inter *Nuperrimas*.

## § IX.

### Clemens X.

*(29 april. 1670 - 22 iul. 1676).*

« Die martis *29 april. 1670*. - Hac die, post prandium, fuit assum- « ptus ad Summum Pontificatum Ems. et Rms. d. Cardinalis Alte- « rius qui imposuit sibi nomen Clemens X... ».[2]

Benigne annuit Rotae petitioni tribunal aperiendi ante coronationem.

Cum complures tunc temporis in curia exsisterent cardinales qui fuerant Auditores Rotae, ut ecce, Ottoboni, Vicecomes (Visconti), Celsus, Cerrus, occasionem nacti sunt Auditores ut mediantibus tot cardinalibus, sacrum tribunal et istius homines, Papae commendarentur. Et ideo obtinuerunt ut in Cancellaria Apost. congregaretur Rota ibique haberet mansiones commodiores ac decentiores illis qua habebat in conventu B. M. Pacis, ad quem quando Papa residebat in palatio Quirinali, ordinarie fieri consueverat Rota ab illo tempore quo non habuit amplius cubicula, ibi Rotae assignata sub pontificatu f. r. Pauli V; ut die 22 dec. illius anni 1670 d. Carpineus qui erat Datarius et S. Rotae Auditor crearetur cardinalis et ineunte anno 1671 d. Bevilacqua assumeretur ad Gubernium Urbis ac d. Varesius declararetur Nuncius apud Rempublicam Venetam et sub die *19 decembris* (*an. 1671 XIV kalend. ian.*) ederet Pontifex Constitutionem *Romani Pontificis consueta benignitas*[3] qua, *confirmatis* omnibus privilegiis quae concesserant Auditoribus Rotae Praedecessores sui et praesertim Iulius II, Leo X, Clemens VII, Paulus III et Alexander VII,

[1] *Arch. Rot., Diarium Emerix.*
[2] Ibi. Haec et aliae adnotationes desumptae sunt e *Diario Emerix.*
[3] Vol. III, n. 317, pag. 421.

*ampliavit privilegium gratuitae expeditionis gratiarum* in favorem Auditorum et eorum Locatenentium factarum, confirmavitque eos in Subdiaconos Apostolicos, commissa eis cura et custodia sacrorum Palliorum et assignata rotali collegio menstrua provisione scut. 8 monetae, « quae idem Alexander (VII)... intuitu curae et custodiae praefatorum « (Palliorum) usque ad suum beneplacitum Canonicis Altaristis S. Petri « pro tempore exsistentibus in singulos menses assignaverat ».

Meminit Emerix sub die 8 iul. 1673 Clementem deputasse d. Franciscum Giusti, *eius Studii Adiutorem*, Auditorem Nunciaturae Neapolitanae « magno meo gaudio - scribit ipse - et solatio quia iam a « multo tempore nullus Adiutor Studii fuerat ad huiusmodi munus « assumptus, licet antea passim *Sedes Apostolica eorum opera in simi-* « *libus uti consuevisset* ».

Notariorum Rotae reductionem e 48 ad 4 fecit anno 1671.[1]

Sub Clemente acriter disputatum fuit utrum in causis « in quibus « ordinatum est ut videantur ab omnibus » sufficeret maioritas absoluta votorum, vel requirerentur duae ex tribus partibus votorum, de qua quaestione iam scripsi in parte I, cap. *De discussione causarum*. Item agitata et definita fuit controversia inter Procuratores Collegiales et non Collegiales, de qua vide l. c. cap. *De Procuratoribus*.

Obiit Clemens X die 22 mensis iulii 1676.

*Vice-Cancellarium* habuit Franciscum card. Barberinum.[2]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Carpineus.

*Ad Episcopatum:* Bevilacqua; Castillo.

### Auditores ab Eo creati

#### Magistri:

508. *Horatius Matthaeus* (*Mattei*). « Lunae 22 dec. 1670 S. D. N. « in Consistorio creavit tres Cardinales, nempe Borromeum, Carpineum « et Maximum. Carpineus erat Datarius et S. R. Auditor, in cuius « proinde locum fuit ad Auditoratum nominatus Rpd. Matthaeius ».[3]

*L. l.*, pag. 39: « Horatius Mattheius, Romanus. - Auditor die « dec. 1671 - postea Archiep. Damascenus et Praefectus S. P. Apl. - « et Cardinalis creatus a S. D. N. Innoc. XI die 2 sept. 1686 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores* et *Nuperrimas*.

[1] Vol. III, n. 316, pag. 415.

[2] *Arch. Rot.*, *Admiss. Clemente X.*

[3] Ibi, *Diarium Emerix.*

509. *Didacus de Castillo.* Prima vice qua in *Diario Emerix* nomen istius Auditoris occurrit est in adnotatione 73 in qua refert idem Emerix fuisse primam Rotam an. 1671 in palatio Vaticano, « et equi- « tarunt Rpd. Marcellus Rondaninus et Rpd. Didacus de Castillo... » et addit: « Notandum, quod fuit dubitatum an spectaret ad Rpd. Ron- « daninum, sive ad Rpd. Castillum orare (scilicet habere solitam ora- « tionem) ut supra, et fuit dictum, spectare ad Rpd. Rondaninum, « quia licet fuerit prius in Rota receptus; attamen oratio spectat per « turnum ad illum qui numquam alias oravit ». Anno vero insequenti, die 3 oct., Didacus in prima Rota « habuit elegantem orationem ». Ita idem Emerix. - Sub die 8 iul. 1673 Emerix praefatus scribit: « Post absolutam Congregationem, Rmus D. Castillus, Eps. Gadi- « gensis et Locumtenens, valedixit Rotae et Dominis, qui ipsum de « more associati fuerunt extra cubicula Rotalia ».

*Libro iuramenti* nomen huius Auditoris insertum non est.

Decisiones illius legere est inter *Recentiores* et *Volantes.*

510. *Felix Ubago.* Huius Auditoris Motusproprius et instrumentum inquisitionis desiderantur. *Diaria* quoque de eius admissione silent: tantummodo Emerix sub die 2 oct. 1675 narrat, eum equitasse in aperitione Rotae.

*L. I.*, pag. 30: « Felix Ubago, Hispalus ex Castilla - Auditor « die iulii 1674. - Obiit 6 iun. 1679 ».

Sub die 6 iun. 1679 Emerix refert defunctionem Ubagi, eumque praedicat: « bonum, doctum, prudentem, sincerum, et candidum ». De Ubago scribens I. B. Riccius, eius olim in Studiis Adiutor, *benevolo lectori* Decisionum Ubagi (quas Riccius typis edidit) ait, Felicem fuisse Canonicum Hispalensis ecclesiae a s. sede renunciatum; visitatorem generalem totius Regni Siciliae a Rege Carolo II deputatum arduis temporibus seditionis Messanae nondum penitus extinctae, ac propositum pro quocumque vacaturo Episcopatu, quem assequi tamen nequivit, quia saeviente in renibus ulcere, immaturo fato decessit, anno aet. suae 54.

Decisiones illius publici iuris factae fuerunt, ut innui, a I. B. Riccio, Ubagi olim in Studiis Adiutore; et Romae, typis Monetae, an. 1682 prodierunt. Sunt numero 105. Legere eas est etiam inter *Recentiores.*

511. *Antonius Paulutius* (*Paolucci*). Narrat Emerix Pauluccium (vel Paulutium) iurasse sub die 1 iul. 1675. Neque illius Motusproprius neque instrumentum illius inquisitionis manent archivio; neque ex *Diariis* alia eruuntur de nostro hoc Pauluccio.

At *Liber iuramenti*, pag. 22, de eo commemorat ita: « Antonius « Paulutius, Venetus - Auditor 3 iul. 1675 - a Card. Camerario decla- « ratus Locumtenens in Sapientia Romana in locum Patriarchae Bevi- « lacquae de anno 1680 defuncti. - Obiit Romae die 3 augusti 1685 ».

Et Emerix, sequentia habet de morte Antonii: « Die 6 iunii 1685 « circa horam primam noctis ... postquam iam fuerat informatum « tam pro Rota diei 18, quam pro altera *inculcata* diei 20 et trans- « missae causae in notula, correptus fuit gravi infirmitate d. Pau- « luccius, et propterea permissum fuit d. Rondanino, ipsi imme- « diate assidenti, ut proponeret eius causas ... Veneris 3 aug. 1685. « Heri coepit ingravescere morbus Rpd. Pauluccii, et hodie paulo post « meridiem, lente, consumptis viribus, quievit in Domino, relicto apud « omnes magno sui desiderio propter eminentem doctrinam, aliasque « praeclaras animi dotes. Corpus privatim deferri voluit ad Ecclesiam « S. Andreae ad Vallem, ibique, sine solemnibus exequiis, sepeliri ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores* et *Nuperrimas*.

## § X.

### Innocentius XI.

### (*21 sept. 1676 – 12 aug. 1689*).

« Die lunae 21 sept. 1676. - Concordibus votis et maximo omnium « applausu, electus fuit in Summum Pontificem Benedictus Cardi- « nalis Odescalchius (Odescalchi) Comensis, nunc, mutato nomine, « Innocentius XI nuncupatus, vir omni virtrtum et probitatis genere « laudatissimus; emicant enim in illo summa charitas, solida pietas, « longa rerum experientia, et, quod depravato hoc soeculo praeci- « puum est, bonum publicum prae privato in praecordiis habet, ita « ut merito Orbis Christianus de optimo pastore, et Ditio Ecclesia- « stica de amantissimo Principe felicissimum gubernium sperare possit. « Deus communibus votis faveat, et illum quamdiutissime sospitem « et felicem conservet ». Hisce verbis d. Emerix in suo *Diario*[1] refert Innocentii XI electionem, et cum haec contigerit feriis generalibus durantibus, hinc tantum sub die 2 octobris insequentis Rota aperta fuit, et Pontifice permittente, habita solemnis *Cavalcata*, etsi Pontifex nonnisi die 4 illius mensis fuerit coronatus.

Invenerat Innocentius haerarium Camerae exhaustum; hinc Rotae

[1] *Arch. Rot.* Haec et sequentes aliae adnotationes exscriptae sunt e *Diario Emerix*.

petenti solitum donativum scut. 2400, satis non fecit; aegre hoc Auditores tulerunt, quamvis sperarent, « suam Sanctitatem, cum tem- « pore, illud elargituram, exemplo suorum Antecessorum, et prae- « sertim Gregorii XIII qui, non solum proprium, sed etiam illud « Urbani VII sui Antecessoris, elargiri iussit; et *merito, quia est* « *merces laboris* ». Sed eorum spes cessit in vanum; quapropter cum Alexander VIII, immediatus Innocentii successor, quamvis fuisset olim Auditor Rotae, quin exemplum Gregorii XIII imitaret, exemplum sequutus fuerit Clementis X qui unum tantum Rotae dederat donativum, Emerix haec narrans, candide fatetur: « Et certe debemus « Sanctitati Suae peculiares gratias referre, quia si fuisset assumptus « (ad Pontificatum) alius, nescio quid egisset, *stante malo exemplo* « *Antecessoris!* ».

Innocentius assumpserat in suum Auditorem domesticum clarissimum iuris lumen, Advocatum Ioannem De Luca, quem etiam constituit Secretarium Memorialium, cuiusque opera abunde usus est; hinc factum est ut De Luca se contengens sub nomine Ssmi, sed forsan ex proprio sensu agens nec se intra debitos fines continens, non cessavit Rotam molestiis afficere. At cum ipse occubuit morte, hoc in *Diariis* libello nomen illius Rota posteris commendavit, nempe: « *Veneris, 5 febr. 1683.* - Hoc vespere, brevi et ardenti febre cor- « reptus, obiit Emus De Luca, nuper ex Advocato, factus Auditor dome- « sticus Ssmi et, deinde, ex Auditore, S. R. E. Cardinalis. Vir subtilis, « sed inquieti, ingenii: qui, dum cuncta ad normam sui *Theatri* effor- « mare et reformare ardenter studuit, in ipso efformandi et reformandi « ardore *implanctus decessit*: *felicior si ad tantam dignitatem numquam* « *evectus fuisset!* ».[1]

Sub Innocentio XI Taja, Auditor, renuens servare practicatum laudabilem ordinem antiquum extendendi Decisiones in iis referendo

[1] Sunt qui consuetae coaevorum iniustitiae huiusmodi adnotationem tribuendam esse censent; at iis ego assentiri non audeo: nam heic Rota dum vitio dat immodicum cardinalis ardorem omnia reformandi, illius tamen ingenii honorem vocabulo dicit non aequivoco. Et mirum quidem non est, iusti finem praetergressum fuisse hominem maxima mentis acie summaque doctrina praeditum, cum reformationes agere coepit, qui nonnisi ex suo merito ornatum, usque ad senectam, se conspicuerat, quique nonnisi senescens ad dignitatum apicem elatus, senescens omnia reformare aggressus est. Utique tardi nepotes cardinalem De Luca suis scriptis novimus, suis autem reformationibus nescimus. Et quid frequentius in humanis quam homines conspicere extraordinaria mentis acie aptissimos theoricas scientiarum percipere, prudentiam tamen vitae prorsus nescire? Ideo docti homines doceant; prudentes vero regant. Et Dantes exul, et Torquatus in nosocomio inter amentes moriuntur! num ab humanis alienum, De Luca decesisse implanctum?

per extensum Vota corresponsalium, et se reddens difficilem et quandoque alienum ab illorum extensione ac etiam a sententiarum prolatione iuxta eorum formam quando motiva corresponsalium ipsi non placebant, necnon renitens in porrigendo suffragia in causis quae de ordine Rotae videbantur ab omnibus Dominis, fuit serio reprehensus.

Fuit etiam ordinatum ab Innocentio ne caparetur resolutio in prima propositione causae cum praeponderantia unius tantum suffragii: disputatum etiam fuit utrum Aegidiana Lex de appellationibus denegandis in possessorio comprehenderet vel esset extendenda etiam ad res ecclesiasticas et Rota fuit in sententia negativa. Arsit controversia inter Rotam et Cameram Apostolicam, quae praetendebat non solum ius admittendi ad iuramentum noviter electos Auditores Rotae, sed etiam ad ipsum officium Auditoratus in praeiudicium iuris Rotae et cardinalis Vice-Cancellarii.

Inculcavit Innocentius XI Auditoribus ut sedulo advigilarent ne Decisiones deinceps imprimerentur nisi diligenter revisae et correctae, ac etiam ut illas quam breviter fieri poterit extendere et resecare superfluas citationes, praesertim « modernorum » procurarent.

Ortum habuit tunc temporis stylus reponendi in archivio unam copiam cuiusvis Decisionis, subscriptam ab Auditore extensore.

Defuncto cardinale De Luca die 5 febr. 1683, mutationes quae inductae erant in ordine causas discutiendi quando in casu discordiae votorum, unius tantum erat praeponderantia suffragii, Rota decrevit: « in posterum in causis etiam aliquoties in Turno sine « resolutione propositis rescribatur ut videant V et VI, antequam « demandetur ut omnes domini videant ». Mutationibus enim antea inductis nimium multiplicabantur causae ab omnibus videndae ita ut fere irrisorium redderetur pro litigantibus beneficium appellationis et Auditores aequo plus, labore gravarentur. Sed necessitas non sero patuit redeundi ad antiquum stylum, et decisum fuit supplicari Ssmo ut ordinem suum revocaret.

Sub die 29 iunii 1687 per Thesaurarium suum Rota possessionem coepit custodiae Palliorum traditae iam a Clemente X Auditoribus Rotae, quae huc usque dilata fuerat quia concessio Clementis fuerat facta sine praeiudicio, R. P. D. Ritae, tunc Altaristae Basilicae S. Petri, cui per Alexandrum VII unita reperiebatur.

« Die veneris 12 aug. 1689. - Persolvit hodie circa horam, « 22$^{am}$ naturae debitum Sanctus Pontifex Innocentius Pp. XI, vir si « tarditatem excipias, ab omni defectu immunis. Faxit Deus ut quae

« zelanter in subditorum sublevamen coepit et, morte praeventus, « consummare non potuit, successor fideliter perficiat ».

*Vice-Cancellarium* habuit Franciscum card. Barberinum.[1]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Vicecomes; Taja; Mattheius.

*Ad Episcopatum:* Bourlemont; Vicecomes.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

512. *Alexander Ursinus.* – « Die 5 dec. 1618. Hodie mane « Rmus d. Decanus significavit, S. D. N. in locum b. m. Varesii « elegisse in Auditorem Rpd. Alexandrum Ursinum, Signaturae « Iustitiae Decanum, virum scientia, prudentia et rerum experientia « maxime praeditum: unde Domini ipsam electionem unanimiter lau- « darunt et adprobarunt ».[2] – Ursinus, Decanus cum fuit, neglexit exornare Diarium Decanale.[3]

*L. I.*, pag. 10: « Alexander Ursinus, Romanus – Auditor die « 23 iunii 1679 – successit in Decanatu die 4 sept. 1696 per obi- « tum b. m. Emerix ».

Vixit ad diem usque 31 oct. 1698 quo viam universae carnis est ingressus.[4]

Decisiones illius legere est inter *Nuperrimas* et inter *Volantes*.

513. *Ioseph Guaxardus.* - « Die 16 oct. 1679: In hac Rota fuit « a Rpd. Vicecomite proposita causa - *Perusina, Pecuniaria* - ad effe- « ctum, ut super illa posset in iure scribere d. Guaxardus, electus « novus Auditor pro Regno Aragoniae, et parte dilationem petente « rescriptum fuit: *Dilata* ».[5] – Guaxardus sustinuit, die 6 dec. 1679, « in Cancellaria Ap.lica secretas conclusiones... coram Emo d. Card. « Facchinetto a Papa specialiter Deputato, vice et nomine Emi Bar- « berini Vice-Cancellarii gravissime aegrotantis, tam ad praesidendum « examini, quam ad recipiendum solitum iuramentum, quod tamen « Ems Barberinus, ad cuius lectum Facchinettus eundem Auditorem, « finita functione, introduxit, non obstante gravitate morbi, coram se

[1] *Arch. Rot., Admissiones Innocentio XI.*

[2] Ibi, *Diarium Emerix.*

[3] Vol. III, Praefatio, pag. XIX, n. 58.

[4] Cf. part. I, caput III, *De Decano.*

[5] *Arch. Rot.* Haec et aliae insequentes adnotationes e *Diario Emerix* exscriptae sunt.

« confirmari voluit ». - Die 18 aug. 1683 obiit Neapolis Guaxardus, de cuius morte Emerix scribit: « Obiit hodie Neapoli violento vix « unius diei morbo correptus d. Guaxardus, illuc 19 mensis praete- « riti, intra 40 horas Triremi ad hoc per Pro-regem transmissa, « delatus; vir bonus et doctus, sed praeter morem Gentis, genii « nimium convivalis. - Eodemque tempore nunciatum est, Matriti « etiam obiisse d. Consiliarium Otaloram, olim quoque Collegam « nostrum, genii de directo oppositi, et nusquam socialis ».

*L. I.*, pag. 18: « Ioseph Guaxardo et Marta, Hispanus ex Ara- « gonia - Auditor die 21 nov. 1679. - Obiit Neapoli die 18 aug. 1683 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*.

514. *Ioseph Mustius*. Narrat Emerix in *Diario:* « Lunae 22 apri- « lis 1680: Bevilaqua..... in Domino obdormivit..... In eius locum « subrogatus fuit a Ssmo D. N. Illmis et Rmis d. Ioseph Musti, Archie- « piscopus Nazanzien. Nuncius Apost. apud Seren. Ducem Sabaudiae, « *nunc et hactenus inaudito exemplo, propter praecellentiam dignitatis* « *Episcopalis;* ita ut sicut olim plurimum excrevit Cardinalitia dignitas « dum ad eam assumi coeperunt Episcopi, *ita nunc iure merito dici* « *possit ad summum pervenisse dignitatem Auditoratus, dum illam* « *non solum retinere expost creati Episcopi, sed ad eam assumi iam* « *existentes non dedignentur Archiepiscopi!* ». Die autem 21 maii 1690: « Fuit hodie per Ssmus D. N. electus Auditor Rotae Rpd. Aeneas « Pius, in locum Rmi P. R. Ioseph Musti, Archiep. Nazianzen, qui « licet usque de an. 1680 electus fuisset a S. D. N. Innoc. XI in « locum b. m. Bevilaqua, numquam tamen peregit functiones praeam- « bulas, et minus ad Urbem accessit: sed nuper a Nunciatura Tau- « rinensi translatus ad Nunciaturam Hispaniae, sponte iuri suo cessit, « libere illud dimisit in manibus Ssmi ». - In *Admiss.*[1] adest illius supplicatio qua libere dimittit ius suum ut alius loco suo Auditor nominaretur, cum rescripto acceptationis Ssmi.

*L. I.*, pag. 14: « Ioseph Mustius, Ferrarien. - Auditor et Archiep. « Nazanzien., ad Ducem Sabaudiae Nuncius; deinde a S. D. N. Ale- « xandro VIII electus Nuncius apud Seren. Hispan. Regem; dimisit « ius quod habebat ex motuproprio in Rota exhibito et acceptato, « ut loco eius, alius nominaretur ».

515. *Didacus Florez*. « Die 2 oct. 1680 fuit aperta Rota ... postea « ... conclusa fuit inquisitio d. Florez, non obstante quod alias, in « hac prima solemni Rota, huiusmodi functiones fieri non consueve-

[1] *Arch. Rot.*, ibi, Alexandro VIII, n. 1.

« rint » – « Ven. 6 sept. 1685. Fuit Congregatio Rotalis ... in eadem « d. Florez valedixit Rotae et Urbi, iturus ad exercitium Praesiden- « datus Granatensis ad quem, mensibus praeteritis, a Rege Catho- « lico nominatus fuit ».

*L. I.*, pag. 30: « Didacus Florez, Hispanus ex Castilla, Auditor « die 9 dec. 1680. - Abiit de mense sept. 1685, declaratus Praeses « Granaten. ».

Decisiones illius inter *Recentiores*, inter *Nuperrimas* et inter *Volantes*.

516. *Matthaeus Isorè de Hervault.* Sub die 23 maii 1681 scribit in *Diario* Emerix fuisse admissum Motumproprium d. Hervault « novi Auditoris Galli, electi in locum d. Bourlemont, nunc Archiep. « Burdegallen., et quia vacat officium Vice-Cancellarii, d. Card. Ludo- « visius, senior ex praesentibus in Curia, apposuit *praesentatum* iuxta « solitum, sub data Motusproprii et subscripsit hoc modo: Nicho- « laus Card. Ludovisius Senior pro Vicecancellario ». Cum Hervault neque advocatus, neque Praelatus exsisteret, scripsit et informavit in Causa *Castri Nemi* proposita ab Emerix die 13 oct. 1681. « Mercurii « 10 decembris 1681 - occasione iuramenti et Rocchetti, quae hoc « mane respective praestare et recipere debebat in Camera Aposto- « lica R. P. D. Hervault, mota fuit ibidem praetentio, quod ipse « deberet personaliter in plena Camera exhibere suam supplicationem, « seu Motumproprium Auditoratus. Et quia in instructione, quae « solet per D. Decanum nostrum tradi novellis Auditoribus hoc inter « alia non praescribatur, et D. Hervault casu praesentem non habebat « Motumproprium, accessit ad Rotam, nobis significans istam prae- « tentionem seu controversiam; cumque interim Camera deputasset « duos ex suo Collegio qui desuper suam Sanctitatem informarent, « deputavimus etiam nos D. Decanum et Rondaninum, quibus « Sanctitas sua mandavit, ut servaretur solitum; sed quia praeter « DD. Guaxardum et Florez novissime admissos, reliqui DD. con- « stanter dicebant, secum quantum recondabantur, hoc practicatum « non fuisse, et Motusproprius d. Hervault in ista angustia tempo- « ris iam ultra meridiem delapsi haberi non poterat, res dilata fuit.

« Ven. 12 decembris 1681 - iussu Ssñi Eñus D. Card. Came- « rarius convocavit Cameram, tametsi ipsa haberet iam ferias, ad « effectum recipiendi iuramentum et tradendi Rocchettum Dño Her- « vault, qui postmodum accessit ad Rotam, ubi praestitit de novo « iuramentum consuetum, ac tandem admissus fuit ad osculum pacis, « plenamque possessionem; et quia ipse nobis dixit, se personaliter

« in Camera non exhibuisse suum Motumproprium, nec etiam nudius « tertius Cameram hoc praetendisse, sed ille deberet antecedenter « tradi Notario Camerae ad effectum illum registrandi in Libris « Camerae, et in Camera Legendi illius principium, ideo ordinatum « fuit DD. Decano et Rondanino, ut supersederent in porrigendo « Ssmo infrascriptum Memoriale, quod ex Mandato DD. composue- « ram, et de omnibus caperent exactam informationem.

« Memoriale. – Avendo i Chierici di Camera ultimamente, in « occasione di ricevere il giuramento e dare il Rocchetto a Mons. « Hervault, preteso, che egli dovesse presentare personalmente in « piena Camera il suo Motuproprio dell'Auditorato di Rota contro « il pratticato ab antiquo con tutti gli Auditori di Rota fino a « Mons. Guaxardo e Florez e contro quello si prescrive nella « Costituzione di Martino V ed antica istruzione, che dal Decano « della Rota pro tempore suole darsi ai novelli Auditori di Rota « come nella seguente particola: – La prima Rota si va in Casa del « Vice-Cancelliere in Camera Apostolica a far fede dell'ammissione, « e di nuovo si giura, ed il Decano li mette il Rocchetto e la Cappa. – « Si supplica riverentemente la Santità Sua a non lasciar introdurre « tal novità in pregiudizio del Vice-Cancelliere e della Rota, non « ostante che fosse pratticabile il contrario con Monsignor Guaxardo « e Florez, l'esempio de' quali non deve pregiudicare al Vice-Cancel- « liere e alla Rota senza loro saputa, e non ostante anco, che il « motuproprio degli Auditori di Rota fosse solito di registrarsi nei « Registri della Camera, perchè non siegue che l'Auditore novello « sia obbligato personalmente di presentarlo in piena Camera in « occasione di prestare il giuramento e di ricevere il Rocchetto. Il « tutto, etc. ». - « Lun. 15 decembris 1681. - Retulit hodie d. Decanus, « Cameram revera non praetendisse, ut Auditor in actu praestationis « iuramenti, et receptionis Rocchetti exhiberet personaliter suum Mo- « tumproprium, sed solum, quod illum antecedenter tradi faciat suo « Notario, ad effectum supradictum. Unde nos etiam ordinavimus, ut « solum diligenter inquirat, an omnes supplicationes seu Motusproprii « fuerint ab antiquo, ut supra, registrati et lecti, et significet Emo « D. Cardinali Facchinetto Decano, qui vices Vice-Cancellarii supplet, « Notarium Cancellariae non fuisse vocatum in Camera ad faciendam « fidem admissionis in Cancellaria ». - D. Hervault in Consistorio diei 22 dec. 1693 fuit translatus ab eccl. Condomien. ad archiep. Turonen. « vix elapso mense quo ad illam promotus fuerat: et quia « nondum eius possessionem acceperat, gavisus est *privilegio expe-*

« *diendi gratis*, quod competit Auditoribus Rotae, exemplo d. Bour- « lemont, similiter translati ab Eccl. Carcassonen. ad Archiep. Burde- « gallen. ». - Mansit d. Hervault in Rota Locumtenens, usque ad mensem maium 1694, quo Romam venit De la Tremoille a Rege Galliae in illius locum nominatus Auditor.

*L. I.*, pag. 46 : « Matthaeus Isoré de Hervault, Gallus. - Auditor « die 15 dec. 1681 - et promotus est in Consistorio ad Epm. Con- « domensem provinciae Burdegalen. die 26 oct. 1693, et propositio « fuit facta a S. D. N. Innocentio XII cuius tamen possessionem « non habuit ob superventam nominationem ad Archiep. Turonensem, « ad quem fuit promotus sub die 22 dec. 1693 ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*, inter *Nuperrimas* et in Collect. *Volantium*.

517. *Fridericus Caccia* debebat admitti in Rota die 10 april. 1682 : sed cum nondum fuisset resoluta quaestio Rotam inter et Clericos Camerae praetendentes in preiudicium Rotae, non tantum electos Auditores Rotae praesentare debere Camerae cedulam Motusproprii, sed et ipsis Clericis competere etiam ius admittendi Auditores ad ipsum officium Auditoratus, Friderici admissio dilata fuit ad diem 13 praedicti mensis.[1] - « Die 13 april. 1693. - Promovit hodie in Con- « sistorio secreto S. D. N. Rm̃m d. Caccia Nuncium Hispaniarum et « Locumtenentem Auditoris Rotae ad Archiepiscopatum Mediolanen. « sub principium huius anni vacantem per obitum b. m. Cardinalis « Vicecomitis olim pariter Rotae Auditoris, cum retentione Audito- « ratus ad beneplacitum ..... ne alioquin per mutationem Turni quae « fieri debuisset in fine Rotae proxime sequentis perturbarentur pro- « positiones causarum ante ferias in relationibus ponendarum ». - Sed die 22 iun. 1693 Pontifex dedit Cacciae successorem in Rota Rpd. Scot- tum et ita die 1 iulii illius anni fuit mutatio turni de more.

*L. I.*, pag. 6 : « Federicus Caccia, Mediolanen. - Auditor die « 14 april. 1682 - Admissus ad Signaturam per concessum die « 7 sept. 1686 - et a S. D. N. Innocentio XII missus Nuncius ad « Hispan. Regem die nov. 1692 - et Archiepiscopus Mediolanen. « electus die april. 1693 - et Cardinalis creatus ab eodem Inno- « centio XII (die 12 dec. 1695) ».

Decisiones illius legere est inter *Recentiores*, *Nuperrimas*, *Volantes*.

518. *Alexander Benincasa*. In fine Rotae diei 2 oct. 1682 « fuit « conclusa inquisitio d. Benincasii, quamvis antiquitus hoc fieri non

[1] *Arch. Rot.* Haec et aliae insequentes adnotationes e *Diario* Emerix desumptae sunt.

« consuevisset » in prima Rota iuramenti. - « Obiit circa horam « tertiam noctis Rpd. Alexander Benincasa violenta 15 dierum febri « oppressus, singulari relicto sui desiderio propter insignes eius vir- « tutes ». Ita Emerix in *Diario*, sub diebus 2 oct. 1862 et 28 aprilis 1694.

*L. I.*, pag. 26: « Alexander Benincasa, Perusinus - Auditor « 9 dec. 1682 sub S. D. N. Innocentio XI. - In Congregatione « Immunitatis admissus sub die 13 dec. 1686 - et ab Emo Card. « Camerario declaratus Locumtenens in Sapientia Romana - et de « mense decembris 1692 obtinuit Signaturam per concessum. - Obiit « Romae die 28 april. 1694 ».

Decisiones illius, in unum collectae, typis R. C. prodierunt Romae an. 1714. Sunt numero 394. Legi est etiam eas inter *Recentiores*, et inter *Volantes*.

519. *Ioseph Molines*. Barchinonen., Archidiaconus cathedralis eccl. Derthusen., deputatus fuit Auditor Rotae ad nominationem Sacrae Cathol. Maiestatis. Quonam vero die praesentaverit Motum-proprium *Diariis* nescimus; sed illius processus est sub data 6 octobris 1685. - Iosepho pater fuit Franciscus Molines, Barchinonen.; mater autem Petronilla Casadevalez. Ioseph omnibus sacris ordinibus fuerat insignitus, et in universitate Barchinonen. in interpretatione Canonum « multos annos insumpsit ». Parochialem Ecclesiam B. M. de Pinu in sua civitate obtinuit; postea Canonicus coadiutor factus fuit Cathedralis ecclesiae; denique, sub duobus episcopis, Vicarium Generalem et officialem gessit.[1] - De illius in Rota admissione haec refert Emerix, notatu digna: « *Lunae* vero *8 octobris 1685* fuit Rota, « in qua fuit examinatus Processus inquisitionis d. Molines, et quia « ex privilegio (nempe: *Litteris patentibus*) Universitatis Barchino- « nensis, in eo exhibito, apparet, ipsum graduatum esse in solo Iure « Canonico, Domini mihi (Emerix) vices Decani supplenti[2] dixerunt « ut illi insinuarem ut susciperet doctoratum utriusque iuris in Almae « Urbis Universitate, et postea ad ulteriora procederetur. Licet enim « ex Constit. Martini V in §. *Si vero per informationem* et ex Proëmio « *Decis. Novarum*, atque ex *Decis. 84 De Rescript. in Antiquis*, olim « sufficere videretur doctoratus in altero iure: nihilominus, quia « hodie omnes expeditiones Rotales quae decernuntur etiam extra « Curiam, relaxantur de mandato Auditoris cui directa est Com- « missio, *cum titulo Doctoris utriusque iuris*, et *Conclusiones*, quas

[1] *Arch. Rot.*, *Processus*, vol. I, n. LXXXII.

[2] Decanus erat Albergatus qui tunc temporis aberat infirmus. (*Diar.* Emerix).

« noviter admittendi publice defendunt in Cancellaria Apost. *cum* « *eodem titulo imprimuntur*, et *Commissiones* indifferenter diriguntur « singulis Auditoribus, nulla facta distinctione an causae debeant ter- « minari secundum doctrinam iuris Canonici, vel Civilis, prout anti- « quitus fiebat, ut insinuat citata *decis. 84*, Domini censuerunt, stylum « modernum non esse immutandum sine speciali mandato Sanctissimi »! « Die Veneris 22 eiusdem. Exhibuit hodie rursus processum suae « inquisitionis d. Molines insimul cum privilegio (seu documento) « Doctoratus, interim suscepti in alma Universitate Urbis,[1] et Dñi « attento quod iam ex eo apparebat ipsum habere omnes qualitates « ex Constitutionibus Aplicis et stylo requitas, concluserunt esse « faciendam relationem Sanctissimo ». - Die 23 nov. 1685 sustinuit disputationes publicas in Cancellaria Aplica; secretas vero, die 7 decembris; iuravit die 10 dec. 1685. - Anno 1693, quum esset Rotae Camerarius, Ioseph transcribere fecit ex alio antiquori *Librum iuramenti* de quo fuse in praefatione III Voluminis a n, 35, pag. XIV ad n. 55 inclusive. - Defuncto Alexandro Ursino, Decano, die 31 oct. 1698, Molines Decanatus est adeptus. Quid mali gesserit Ioseph Molines, Decanus, ego usque in praesentem diem archivii documentis non sum edoctus: sed *Liber Rotae* sub die 18 sept. 1716 refert Iosephum « fuisse a Clemente XI, restitutum *ad exercitium Decanatus S. Rotae*, « *a quo iam diu fuerat suspensus* ».

*L. l.*, pag. 18-19: « Ioseph Molines, Hispanus ex Catalonia. - « Auditor, die 10 dec. 1685 - Inter Consultores Sac. Inquisitionis a « Ssmo D. N. Innocentio XII destinatus die 10 sept. 1696 in locum « b. m. Emerix, Decani - et ad Decanatum assumptus die 3 nov. 1698 « ob mortem b. m. Alexandri Ursini, Decani - et Regens S. Poe- « nitentiariae die 10 maii 1706 a Ssmo D. N. Clemente XI creatus « in locum d. Caprara ad S. Purpuram promoti - deinde declaratus « Magnus Inquisitor Hispaniarum, obiit in Collegio Elvetico Mediolani, « die 10 ian. 1719 ». Ita *Liber iuramenti:* sed obiit die 11 ian. 1717, uti indubie Diaria edocent.

Decisiones illius in 5 tomos distributae typis publicatae sunt Romae an. 1728 ab Francisco Corazza, in R. Curia Advocato, solitis argumentis exornatae et indicibus, quorum generalis duobus tomis continetur.

[1] In fine instrumenti processus Iosephi prostat copia legalis privilegii praedicti ex qua patet ipsum lauream « in utroque consequutum fuisse » Romae in Gymnasio publico Regionis S. Eustachi anno a Nat. Dom. 1685, die vero 8 octobris: Scilicet eadem die quo primitus examinatus fuit processus in Rota. Id contigit quia probabiliter iam Iosepho significatum fuerat, Rotam firmiter velle ipsum lauream in utroque iure consequi.

520. *Ferdinandus Manuel. - Libro iuramenti*, pag. 31, hunc Auditorem fuisse Hispanum ex Castilla scimus, qui in Rota sedit « Audi- « tor die 9 dec. 1686, - promotus ad archiepiscopatum Zamoren. « die 5 dec. 1693, cum retentione Auditoratus ad beneplacitum Ssmi - « et die 1 nov. 1693 inter Epos. Assistentes assumptus ». *Diarium Camerale* eum nono loco inter Molines et Cacciam collocat. - Emerix adnotat, die 2 oct. 1686 fuisse clausam Ferdinandi inquisitionem; die 16 eiusdem, Ferdinandum scripsisse et informasse tanquam advocatum; die 21 eiusdem, habuisse in Cancellaria Apost. publicas disputationes, secretas vero die 5 decembris; et denique iurasse die 9 decembris praedicti. - Sub die 5 dec. 1693 idem Emerix illius ad episcopatum Zamoren. promotionem adnotare praetermittit et tantum ipse meminit, Manuel fuisse ad illam Ecclesiam promotum, sub die 8 ian. 1694 referens d. Caprara omnia parasse pro consueto Anniversario Auditorum praedefunctorum, deputatum in locum d. Molines « attento quod proxime discessurus est d. m. Manuel ad suum « Episcopatum Zamoren. ». Rotae tandem Manuel valedixit die 5 mart. 1694 ceu refert ipse Emerix in *Diario*. - Desiderantur Ferdinandi et Motusproprius et instrumentum inquisitionis, illiusque *Diarium*.

Decisiones illius legere est inter *Nuperrimas* et *Volantes*.

521. *Alexander Caprara*. Successit in locum b. m. Albergati, illiusque Motusproprius fuit *ex particulari gratia* admissus in Congreg. rotali diei 6 sept. 1686, et iterum (cur autem nescio) die 2 oct. illius anni.[1] - Die vero 14 oct. 1686 « fuit decreta Inquisitio, « seu Processus, Rpd. Alexandri Caprara, et resolutum quod debeat « terminari intra duos menses, quia fuit Advocatus Consistorialis ». Ea edocemur quod Alexander fuit filius Maximi Caprara, comitis, et comitissae Catharinae Bentivoglio, Bononiensium; Bononiae die 26 aug. 1647, ab celeberrima illa Universitate studiorum, doctor in utroque iure renunciatus; Romae vero die 12 iun. 1650, clericali caractere insignitus. « Fuit Auditor Tribunalis Signaturae Iustitiae, « tempore quo cl. m. Card. Iulius Sacchettus erat Praefectus dictae « Signaturae, et de anno 1662, circiter, fuit factus Advocatus Con- « sistorialis, et prius, necnon postea, advocationem exercuit actua- « liter..,; necnon de an. 1675 fuit effectus Praelatus Referendarius « utr. Signat. et Locumtenens in Civilibus causis Illmi et Rmi Audi- « toris Camerae, quod munus a dicto tempore et usque adhuc exer-

[1] *Arch. Rot., Diarium Emerix*, a quo haec et ceterae insequentes adnotationes excerptae sunt.

« ceret, et fuit electus S. Rotae Auditor ».[1] - Disputationes publicas sustinuit die 18 feb. 1687 in Cancellaria Apost. « ubi fuit nume- « rosus concursus Cardinalium, Praelatorum atque Curialium, a quibus « laudata fuit ipsius in dicendo facundia et in respondendo prompti- « tudo » ; secretum illius examen habuit locum die 7 martii, et « exa- « minatus prompte respondit, et erudite se gessit ». Tandem, die « 10 martii 1687 iuramentum praestitit in Rota ». - Cum d. Emerix, Decanus, petiit Lauretum, die 18 oct. 1687, deferens illuc « Angelum « aureum offerens Deiparae cor gemmatum inaestimabilis valoris, « nomine Sereniss. Mariae Estensis, Reginae Angliae » qua occasione Emerix in itinere composuit Dicticon: « Aureis ex gemmis cor, Virgo, « quod Angelus offert - accipe, nam cor in eo corde recondo meum ».

Operae praetium duco heic meminisse d. Alexandri Caprara unum fuisse ex Secretis, Prosperum Lambertini, per 7 annos, quorum Prosper, Benedictus XIV cum fuit, Rotae scribens, memoratur, addens « et eravamo un Segreto che scriveva e parlava ».[2]

*L. I.*, pag. 42: « Alexander Caprara, Bononien. - Auditor die « 7 mart. 1687[3] - electus Datarius S. Poenitentiariae a S. D. N. « Alexandro VIII die 3 nov. 1689 per obitum Epi. Capoblanchi die « praecedenti sequutum - ac postea Regens declaratus in locum Rm̃i « Emerix, Decani, defuncti sub die 2 sept. 1696 - Creatus Cardi- « nalis a Clemente XI die 17 maii anni 1706 ».

Decisiones, in duo volumina distributas, typis evulgavit Lucae ex Typogr. Leonardi Venturini an. 1725 Ioseph Petti, i. u. d. Sunt numero 762 et solitis exornantur argumentis et indicibus. Eas etiam legere est in Collect. *Volantium.*

522 *Ioannes Iacobus Cavallerinus.* Promoto ad s. purpuram Horatio Matthei die 2 sept. 1686, illius locus Rotae vacavit ad diem usque 21 ian. 1689 quo - officiis Card. Cybo et Rpd. Mugiasca Praefecti Cubiculi Papae - Emerix Decanus obtinuit ut Innocentius XI in Auditorem Rotae eligeret et nominaret Ioannem Iacobum Cavallerinum « a 20 an. Locumtenentem A. C., virum a longa iudiciorum « praxi et solida legum doctrina, toti Curiae commendatissimum » ; cuius Motumproprium idem Emerix admisit die veneris 28 ian. praedicti 1689.[4] - Ioannes Iacobus *Diarium* suum ita incipit: « Postquam, « Deo dante, per an. fere 20, a die 12 oct. 1669, intollerabile

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. I, n. LXXXIII.
[2] Vol. III, n. 430, pag. 546.***
[3] Corrige datam: fuit Auditor die *10* non autem die 7 mart.
[4] *Arch. Rot., Diar. Emerix.*

« munus Locumtenentis Rpd. Auditoris Camerae, nec una quidem « intermissa die diurnis quadruplicatis functionibus expleveram, tandem « die 21 ian. 1689, munificentia Innocentii XI, extraordinario totius « superioris ac inferioris Curiae plausu (quod ad laudem omnipotentis « Dei et ad *Diarii* veritatem, non ad vaniloquentiam sit scriptum) « denunciatus fui Auditor S. Rotae, suffectus in locum Emi Horatii « Matthei ad Purpuram evecti 2 sept. 1686. Tamdiu vacatio con- « tigit per haec tempora, nec raro! ». - Instrumentum processus illius, sub data 1689, die vero 14 febr., edocet Ioannem Iacobum nobilem romanum fuisse, natum Guarnerii et Viturae Bonaventura coniugum, non solum honestae et bonae famae, sed etiam ex nobilibus et patriciis familiis romanis. Erat ipse doctor utriusque iuris, clericali caractere insignitus; utriusque Signaturae Referendarius et A. C. Locumtenens, facultatibusque abundanter idoneus.[1] - Sub die 30 maii 1622 ipse in suo *Diario* adnotat: « In hac Rota non « interfui, quia accessi ad pedes Ssmi, gratias acturus quod me « destinaverat Nuncium Aplicum apud Ludovicum regem Christia- « nissimum ». Et sub die 2 iun. 1692 refert: « Fuit Rota cum « omnibus Dominis, excepto Ursino. In hac Rota interfui, sed non « praestiti suffragium ob occupationes Nuntiaturae Gallicae. In fine « Rotae participavi Dominis meis gratiam mihi factam a Ssmo, qui « me declaraverat Nuncium Ap.licum apud Christianissimum. Subdidi « italico sermone, quantum gloriosum esse ministerium, tantum acre « esse derelinquere Dominos meos... his peractis, Revmus Decanus et « sequentes in ordine, cum cappis me associarunt usque ad portam ».

*L. I.*, pag. 39: « Ioannes Iacobus Cavallerinus, Romanus - Audi- « tor die 2 dec. 1689 et postea a S. D. N. Innocentio XII electus « Archip. Niceae et Nuncius ad Galliarum Regem die ».

Tribus post annis a relicta Rota, Cavallerinus creatus fuit S. R. E. cardinalis.

*Diarium* d. Cavallerini, quod archivium possidet in copia et uno tomo contentum cum *Diario* Celsi, quamplurimas continet adnotationes rerum notabilium ab anno 1689 ad 2 iun. 1692 eventarum. Laudet ipse Papam abolentem nepotismum, sed pari libertate carpit quae Papa Alexander VIII non bene nec laudate gessit.

Decisiones illius inter *Nuperrimas* et inter *Volantes*.

523. *Aloisius Priolus*. Nobilis, Venetus, Motumproprium datum apud S. Mariam Maiorem septimo kal. novembris 1689 praesentavit

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. I, n. LXXXIV.

Emerix, Decano, successus in locum b. m. Antonii Paulutii (*Paolucci*). Patrem habuit Marcum Antonium, matrem autem nobilem Helenam Basadona, die 16 sept. 1650. Anno 1625, in gymnasio Patavino, more nobilium examinatus, in utroque iure lauream doctoratus est consequutus: sacro vero presbyterali caractere insignitus fuit die 10 martii 1686. - Abbas Commendatarius S. Zenonis Veronae.[1]

*L. I.*, pag. 23; « Aloysius Priolus, Venetus - Auditor die 10 dec. « 1689 - et ab Emo Cardinali Camerario declaratus Locumtenens « in Sapientia Romana die 8 maii 1694 - et creatus Cardinalis « 18 maii 1712 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

## § XI.

### Alexander VIII.

### (*6 oct. 1689 – 1 feb. 1691*).

« Iovis 6 oct. 1689. - Electus fuit hodie, post meridiem, concor- « dibus suffragiis in Summum Pontificem Ems. d. Petrus Card. Otthobonus (*Ottoboni*), mutato nomine vocatus Alexander VIII, vir omni « virtutum genere, scientia et longa rerum experientia probatissimus, « et olim nostri Ordinis Collega meritissimus. Deus eum totius Rei- « publicae Christianae bono in multos annos sanum et incolumem « conservet! ». Ita Emerix;[2] at Cavallerinus in suo *Diario*, breviori calamo sub eadem die electionem Alexandri VIII adnotat, scribens: « Electus est Pontifex Petrus Otthobonus, Venetus, S. R. E. Card., « Eps. Portuen., qui nomen sibi assumpsit Alex. VIII, aetatis suae « anno curr. 80 a mense aprilis ».

Alexander perhumaniter excepit Decanum Rotae et d. Ursinum die 8 illius mensis, eis dicens « se Rotae Tribunal aestimare et « tenere pro nobiliori gemma suae Thiarae, esse dispositam et incli- « natam (Sanctitatem suam) ad faciendas omnes gratias tam Tribu- « nali quam singulis Auditoribus, sub Antecessore neglectis, et pospo- « sitis aliis pro sede Apostolica non laborantibus, prout etiam iniuste « nobis non fuisse solutum ab eodem Antecessore solitum donati- « vum pannorum rubrorum ». Remisit postea arbitrio Auditorum Rotam aperire sine Cavalcata ante suam Coronationem.[3]

Vacante officio Vicecancellarii voluit coram Rotae Decano fieri quae in admissione novi Auditoris facienda erant coram Vicecancel-

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. I, n. LXXXV, sub die 25 maii 1689.
[2] Ibi, *Diar. Emerix*, n. 503.
[3] Ibi, n. 505.

lario;[1] ideo d. Cavallerino punctum assignavit d. Emerix Decanus, quem paucis post diebus Alexander declaravit Regentem S. Poenitentiariae in locum d. Rondinini defuncti. Et Rotae dedit donativum scut. 200 aureor. pro quolibet Auditore. Mense novembri subsequenti contulit Datariam S. Poenitentiariae d. Caprara Auditori Bononien. Sed Auditoribus ab ipso petentibus confirmationem privilegiorum, facultatem sumendi paramenta ab altari et transferendi pensiones, non annuit « omnibus admirantibus quod Papa qui toto « suae vitae cursu Rotae Tribunal protexerat, in promotione fuerit « eiusdem oblitus! ». Item Rotae penitus oblitus est Alexander die 13 febr. 1690 qua creavit 11 Cardinales « inter quos... nullum « Auditorem Rotae, cum magna totius Curiae admiratione ».[2]

« Iovis 1 febr. 1691. - Obiit hodie, hora 22 Ssmus D. N. Ale- « xander Pp. VIII, ob hoc unum singulari laude dignus, quod iura « Ecclesiae quae supra nepotes vivens in praecordiis non habuit, « moriens novo Bullae Apostolicae munimine contra deplorabiles « Cleri Gallicani ausus mirabiliter firmavit. - De Rota nostra ex qua « ad Cardinalatum assumptus fuit, et cuius in promotione 14 Car- « dinalium, inter quos sex connumerantur Camerales, nullam ratio- « nem habuit, hoc solo benemeritus quod assiduos eius labores et « praeclaram in administranda iustitia constantiam numquam satis « depraedicare visus fuit. Deus illius animam in sinum Abrahae « clementer recipiat, et difficillimis hisce temporibus, nobis *iustum* « et apostolico zelo plenum successorem quamprimum concedat! ».[3]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Petrus card. Ottoboni.[4]

### Auditores ab Eo creati

Magistri:

524. *Aeneas Pio.* Rotae Auditoratu dimisso a domino Mustio, illius locus datus est Aeneae Pio, Fersarien., qui, electus die 21 maii 1690, Motumproprium personaliter praesentare non valuit, « podagra deten- « tus ». Clausum fuit illi os die 15 dec. 1690 una simul cum d. Muto.[5]

*L. I.*, pag. 14: « Aeneas Pius, Ferrarien., - Auditor die 16 dec. 1690. « - Obiit S. R. E. Cardinalis ».

Decisiones illius legere est inter *Nuperrimas* et inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Diar. Emerix*, n. 512.
[2] Ibi, l. c. n. 527.
[3] Ibi, l. c. n. 555.
[4] Cristofori, *Cronotassi dei Cardinali di S. R. C.* Edit. Roma 1888, pag. 141.
[5] *Arch. Rot.*, l. c.

525. *Ioannes Mutus.* « 29 nov. 1689. – Supplicavit his diebus « Rpd. Mutus, subrogatus in locum b. m. Rondanini, ut Rota digna- « retur admittere ipsius Motumproprium pro maiore securitate gra- « tiae, quamvis ipse, non expeditus ab officio Nunciaturae Neapolis, « illum personaliter praesentare non posset, offerens se promptum « per litteras, mihi uti Decano scriptas, renovare personaliter hanc « instantiam, statim ac ad Urbem pervenerit. Et Domini, relatione « per me facta sub die 28 huius mensis, benigne annuerunt, attento « maxime quod ipse iam praeventive dimiserat Canonicatum S. Ma- « riae Maioris, qui ante effectivum ingressum in Rota, vel saltem « ante publicas eius disputationes, iuxta solitum, conferri non debuis- « set ».[1] – « Die dominico 12 sept. 1706. Circa mediam noctem « obiit Rpd. Ioannes Mutus de Paparuccis, Romanus »; eique suc- cessit d. Falconerius die 17 eiusdem mensis.[2]

*L. I.*, pag. 50: « Ioannes Mutus, Romanus - Auditor die de- « cemb. 1690 ».

Decisiones illius legere est inter *Nuperrimas* et inter *Volantes*.

## § XII.

### Innocentius XII.

*(12 iulii 1691 - 27 septembris 1700).*

Alexandro VIII, defuncto die 1 febr. 1691, cardinales Conclave ingressi sunt die 12 illius mensis, sed novus Pontifex aliquot post menses ab incoepto Conclave creatus est. Mei non est instituti heic historiam huius Conclavis retexere qui historiam condo Rotae; sed necesse fuit longam Conclavis moram innuere quippe quod cardinales conclavistae sub die 6 iulii distribui iusserunt Rotae munus 100 scut. auri unicuique Auditori, iudicantes tale munus nomen tantum muneris habere quod revera erat merces laboris et concedebatur in compensationem laborum.

Et die, uti dixi, 12 iul. 1691 « post Sedem vacantem a prima « Februarii, cum 52 suffragiis ex 59, in solo scrutinio absque accessu, « ideoque et sine collatione schedularum, electus fuit Pontifex Car- « dinalis Antonius Pignatellus, Neapolitanus Archiepiscopus, Nea- « politanus, in 77 aetatis suae anno constitutus, qui nomen sibi « sumpsit Innocentius XII, in memor. Innocentii XI a quo creatus

[1] *Arch. Rot., Diarium Emerix*, n. 516.
[2] Ibi, *Liber Rotae 2*, pag. 96.

« fuerat Cardinalis. - Vir placidae naturae, pietate ac charitate insi-
« gnis. - A gubernio Civitatis Fani, ad illud Viterbii profectus est;
« inde Insulam Melitae titulo Inquisitoris lustravit; postea apud
« Serenissimum Aetruriae Ducem Oratoris munus subivit; ex quo
« ad Poloniae Regem cum eodem caractere missus; deinde apud
« Caesarem Nuncius Apostolicus resedit. Hinc ad Episcopatum
« Lycien. provectus, post 5 ann. vocatus ad Urbem a Clemente X,
« Secretarius S. Congregationis Episcoporum et Regularium procla-
« matus fuit; post quoque assumptus ab eodem Clemente X in
« Praefectum Cubiculi, eoque defuncto, confirmatus ab Innocentio XI,
« a quo creatur Cardinalis et Episcopatibus Faventino, Legonen, et
« Bonon. decoratus, tantem Archiepiscopus Neapolitanus ab eodem
« Innocentio factus est, in qua Civitate imparem liberalitatem erga
« pauperes exercuit », [1]

Die 13 iulii Decanus Rotae (Emerix) et Ursinus humanissime excepti fuerunt ab Innocentio, qui eis benignissime impertivit « licen-
« tiam aperiendi Tribunal ad effectum servandi terminos et indi-
« cendi Ferias »; et de mense octobris « nullis praecedentibus Memo-
« rialibus, relaxavit Tribunali nostro provisiones menstruas iam decur-
« sas et non solutas sede vacante, sequendo laudabilem exemplum
« sui Antecessoris; dedit ... pariter ordinem sive mandatum, quod
« nobis etiam distribueretur donativum scut. 200 auri pro quolibet,
« ex munificentia Pontificum pro eorum assumptione distribui con-
« suetorum ». [2]

Ast Auditores Rotae non fuerunt, more solito, collegialiter admissi ad illius pedes, eo quia - narrat in *Diario* Emerix - Pontifex « cum singulari omnium moerore detentus fuit (adversa valetudine) « a die 27 mensis augusti, quo recedere volens e fenestra Atrii « Quirinalis circa horam secundam noctis, adeo gravi lapsu offendit « sinistrum foemur in suppositis gradibus, ut prae intimo dolore « suborti cruciatus et vigiliae, Principem pene octuagenarium ad « internecionem usque perduxissent, nisi dextera Omn. Dei – quae « illum ad immaginem et similitudinem Innocentii XI efformavit - ad « maiora peragenda in collabescentis Ecclesiae fulcimentum, praeser-
« vasset ». Ob hanc causam, ait Emerix, sublata fuit Decano occasio ei congratulandi, nomine totius Auditorii, brevi oratiuncula quam ad hunc effectum paraverat, quamque idem Emerix Decanus per extensum refert. Sed revera Papa fastidiebatur similibus formalitatibus,

[1] *Arch. Rot., Diarium Cavallerini.*
[2] Ibi, *Diarium Emerix.*

quapropter per Praefectum Cubiculi, Rotae insinuavit ut ab ulterioribus instantiis pro habenda audientia abstineret.

Verum, Innocentius sui erga Rotam amoris signa mox dedit. Nam eodem anno 1692 mense maii Cavallerinum Nuncium Apostolicum apud Ludovicum XIV destinavit; mense Augusti quatuor Auditores Rotae, nimirum Emerix, Hervault, Caccia et Molines interesse voluit institutae a se Congregationi pro tollendis abusibus qui paullatim post Reformationem Pauli V in Tribunalibus Urbis irrepserant; mense octobris Rotam recepit in novis cubiculis Palatii Quirinalis, quae Tribunali assignavit « a parte dextera sub horologio » et quae habebant « fenestruculam unde Sanctitas Sua poterat videre « et audire omnia quae ibidem peraguntur; quae Auditoribus gratis- « simum accidit, ut ipsa quando lubeat posset esse oculatus testis « et iudex laboris et zeli quibus per Auditores iustitia administra- « batur » : mense novembris providit d. Cavallerino de pensione scut. 700 super Ecclesiae Vercellen. ut eum in parte sublevaret a gravibus expensis quas sustinere cogebatur pro decore suae Nunciaturae Parisiis; Priolo de pingui Abbatiae redditus annui bis mille; Molines vero de Canonicatu et Archidiaconatu Barchinonen.: denique mense decembri d. Cacciam misit Nuncium ad Regem Hispaniarum et d. Benincasae concessit officium Signaturae, *per concessum* vocatum.

Anno insequenti Rota, considerans, cum morte Innocentii XI expirasse ordinem ab eo oretenus dato de non capienda resolutione causae in prima propositione cum praeponderantia unius solius suffragii, statuit reassumere stylum antiquum « quem servarunt Maiores « nostri » : nimium enim multiplicabantur dilationes et difficultates in capiendis resolutionibus, sive causae visae fuissent ab omnibus, sive a Ponente cum quatuor Corresponsalibus.

Anno 1694 Innocentius prandium Rotae dari solitum post ultimam Rotam mensis iulii « substulit, applicando pecunias quae pro « dicto prandio impendebantur Hospitio pauperum, invalidorum apud « S. Ioannem in Laterano noviter creato, et idem iussit practicari « etiam cum DD. Clericis Camerae Aplicae ... Observandum tamen « est, quod Nobis, Auditoribus Rotae, quodammodo in reintegra- « tionem prandii ablati, fecit consignari duo numismata, alterum « aureum, alterum argenteum ... quod tamen non fuit practicatum « cum DD. Clericis Camerae ».[1]

« Die Lunae 27 7mbris 1700 post pulsatam horam tertiam noctis « cum dimidio, obiit ... in octuagesimo sexto aetatis suae constitutus,

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae 2,* pag. 9.

« Pontificatus autem anno decimo tantum incoepto per menses duos « et dies sexdecim a die eius electionis ... ». [1]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Petrus card. Othobonus. [2]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Cardinalatum:* Caccia, Taurusius.
*Ad Episcopatum:* Caccia; Hervault.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

526. *Bernardinus Scottus*. Mediolanen., obtinuit locum Rotae vacantem per promotionem d. Caccia ad archiepiscopatum Mediolanen. die 22 iun. 1693. Advocatus Consistorialis, utr. Sig. Referendarius. [3]

*L. I.*, pag. 7: « Bernardinus Scottus - Auditor die 29 mart. 1694 - « et suffectus in locum b. m. Rpd. Benincasae. [4] - S. C. Immunitatis « die 23 maii 1694 - et Almae Urbis Gubernator declaratus die « 13 dec. 1711 - creatus Cardinalis die 16 dec. 1715 ».

Decisiones illius legere est inter *Nuperrimas*.

527. *Ioseph de la Tremoille*. Nominatus a Rege Galliae in locum Revmi de Hervault, archiep. Turonen., die 10 maii 1694, praesentavit suum Motumproprium sub die 14 maii 1694. Emerix adnotat: « Praesentavit quoque hodie suum Mp. Taurusius die dominica 2 « praecurrentis mensis, designatus a Ssmo D. N. successor b. m. « Benincasa. Notandum quod licet utriusque Motusproprius fuisset « eodem tempore signatus, tamen quia advenerat Abbas de la Tre- « moille antequam decederet b. m. Benincasa, et Sanctitas Sua « etiam nominationem Regis prius admiserat ad hoc ut successivas « functiones ipse (de la Tremoille) etiam prius expleret, et conse- « quenter gauderet beneficio praelationis seu anterioritatis ».

*L. I.*, pag. 46: « Iosephus de la Tremoille Noirmontier, die « 14 ian. 1695 iuravit. - Creatus Cardinalis a Clemente XI die « 17 maii 1706 ».

Decisiones illius legere est inter *Nuperrimas* et inter *Volantes*.

528. *Michaël del Olmo*. Sub die 14 ian. 1695 Emerix in *Diario* suo adnotat: « Terminatis causis, fuit deputata inquisitio D. Mi-

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae*, 2, pag. 28.
[2] CRISTOFORI, *Cronotassi* citat., l. c.
[3] *Arch. Rot., Liber S. Rotae*, 2, pag. 5; *Diarium Emerix*, n. 625.
[4] D Benincasa, defuncto, die 28 aprilis 1694, successit Taurusius. Ita *Liber S. Rotae*, 2, pag. 8.

« chaëlis del Olmo, Auditoris novelli Castellani ... » qui die 27 iun. illius anni, « praestito consueto iuramento et lecta Bulla f. r. Ur- « bani VIII, admissus fuit ad osculum pacis et plenam possessionem « sui loci ». - Promotus ad ecclesiam Conchen. die 3 mart. 1702, « qui iam diu renunciatus fuerat magnus Cancellarius Mediolanen. ».

*L. I.*, pag. 31: « Michaël del Olmo Auditor die 4 iul. 1695. - « Hispanus ex Castella - Canonicus Toletanus - ad Ecclesiam Con- « chen. ad nominationem Regis Catholici promotus ».

Decisiones illius legere est inter *Volantes*.

529. *Taurusius Romanus* (*Taurugi*). Defuncto d. Benincasa die 28 april 1694, fuit in eius locum suffectus d. Taurusius, Urbevetanus, die 2 maii 1694. - Ei quoad praelationem seu anterioritatem praecessit d. De la Tremoille, quamvis utriusque Motusproprii fuerint eodem tempore a Pontifice signati. Sed utrique eodem die 24 ian. 1695 os de more aperuit Emerix Decanus. - Erat Advocatus Consistorialis; A. C. Locumtenens. - Sub die 12 dec. 1695 narrat Emerix: « Adhuc non terminatis causis, magno strepitu multi « turmatim congregati fuerunt ad ostium nostrorum cubiculorum Rota- « lium, clamantes, creatos esse novos Cardinales, et illo aperto, irrue- « runt in d. Taurusium, ei congratulantes, se inter illos esse connu- « meratum: sed ipse quasi attonitus haerens noluit credere, et nos, « tametsi crederemus, iussimus post tantillum temporis omnes exire, « et cum eo reassumpsimus decisionem nostrarum causarum, quasi « nihil novi actum esset. Post horam autem circiter, supervenerunt « Magistri Caeremoniarum, qui id non solum confirmarunt, sed distincte « nobis legerunt listam, in qua continebantur nomina singulorum prout « Ssm̃us illos in Consistorio ordinate nominaverat: inter quos etiam « erant Rm̃us Cavallerinus Archiep. Nicaenus, Nuncius apud Regem « Galliarum, Rotae Locumtenens, et Rm̃us Caccia Archiep. Medio- « lanen., Nuncius Hispaniarum, nuper etiam collega noster: qua- « propter conclusum fuit ut, de more, ego Decanus cum d. Ursino « seniore, prima opportunitate accederemus ad Ssm̃um ad redden- « dum ei humillimas gratias pro honore cum promotione insignium « istorum virorum Collegio nostro collato, prout fecimus hoc mane « iovis 15 supradicti mensis ».

*L. I.*, pag. 27: « Romanus Taurusius Urbevetanus » - « Die « 14 ian. 1695 iuramentum praestitit et apertum de more os die « 28 ian. 1695. - Cardinalis creatus die 12 dec. eiusdem anni 1695 ».

Decisiones illius legere est inter *Nuperrimas*.

530. *Ansaldus de Ansaldis.* « Martis 20 dec. 1695. - Significavit « mihi » (scribit in suo *Diario* Emerix Decanus) « per schedulam « Rpd. Ansaldus circa horam 23, se fuisse electum novellum Audito- « rem Rotae in locum Emi Taurusii, et circa horam primam noctis « Rpd. Lancetta personaliter, se fuisse electum in locum Emi Caval- « lerini. Unde gavisus sum summopere, non solum propter insignes « utriusque dotes ad satisfacendum plene tanto muneri, sed etiam « quia intellexi reipsa approbatam insinuationem, ut supra, a me suae « Sanctitati factam ». – Motumproprium praesentavit die 8 ian. 1696. Erat Auditor domesticus Ssmi. [1] -- Die 8 ian. 1717 Molines, Decano, Rotae valedicenti ob suam promotionem ad Generalem Hispaniarum Inquisitorem, successit in Decanatu Ansaldus qui « die iovis « 7 dec. 1719, hora V, noctis, diem clausit extremum ... et die sab- « bathi 9 dicti, fuerunt eidem celebratae exequiae in Eccl. S. Ioannis « Florentinorum, ubi omnes Collegae interfuere, excepto Rpd. Fal- « conerio, Almae Urbis Gubernatore ». [2]

*L. I.*, pag. 27: « Ansaldus de Ansaldis, Florentinus, die 6 iul. 1696 « iuramentum de more praestitit. - In Decanum assumptus 11 ian. 1717 « - et habuit Signaturam per concessum ».

Ansaldus conficere Diarium Decanale seu Librum S. Rotae, neglexit tempore sui Decanatus. [3]

Decisiones illius fuerunt collectae ex parte ab ipso Ansaldo. Nam primum earum volumen, continens 100 Decisiones, ipse confecit, summariis, argumentis et indice et adnotationibus exornavit, eisque praemisit eruditam praefationem de qua iam alibi locutus sum et ex qua nonnulla elici ad hanc Rotae historiam conscribendam. Volumen istud dedicavit Ansaldus Clementi XI Papae. Huic accedunt 7 alia volumina a diversis confecta, quorum novissimum est index generalis omnium praecedentium voluminum. Exornata postea fuit Appendix aliquot aliarum Ansaldi Decisionum quae inter ceteras non fuerant impressae. Huiusmodi Appendix 2 tomis constat, quorum secundus indicem complectitur. Legere est etiam Decisiones Ansaldi inter *Volantes*.

531. *Cyriacus Lancetta.* Uti retuli scribens de Ansaldo, Cyriacus Lancetta electus fuit in locum Emi Cavallerini et illius Motusproprius fuit admissus die 13 ian. 1696. - Die 7 dec. 1719 defuncto Ansaldo, Decano, huic successit in Decanatu Cyriacus qui sedem decanalem actu tenuit usque ad diem 22 nov. 1723, qua Camerarius in Diario adnotat:

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, *Liber S. Rotae 2,* pag. 166
[3] Vol. III, Praefatio, pag. XIX, n. 58.

« Ut superius adnotavi, Rms. Lancetta, Decanus, neque in hac Rota « intervenit, nec amplius interveniet, quia Summus Pontifex habita « notitia quod propter senium, licet corpore sanus, mente tamen « infirmus esset, ... suam voluntatem ei manifestavit, quod a studii « laboribus abstineret, et exercitium Auditoris Rotae intermitteret, « suae valetudini per omnia consulens, si forte mentis firmitatem « recuperare posset. Quod Pontificis oraculum ipse imperturbato animo « accepit, ... promptissimam ... obedientiam exhibens: eo magis quod « Pontifex hoc fieri voluit, et Auditores libentissime assenserunt, sine « praeiudicio emolumentorum ad ipsum, uti Auditorem et Decanum « pertinentium ». – Die 13 aprilis 1725 « Rms. P. D. Cyriacus Lan- « cetta, Romanus, S. Rotae Decanus emeritus, ... S. Poenitentiariae « Regens, animam Deo reddidit ».[1]

*L. I.*, pag. 39: « Ciriacus Lancetta, Romanus – Auditor die « 6ª Iulii 1696 – habebat signaturam per concessum quam retinet; « eam tamen dimisit die ianuarii 1717 – qua die fuit declaratus « Regens S. Poenitentiariae, et assumpsit Decanatum S. Rotae die « 7ª Xmbris 1719 ».

Decisiones Lancettae in sex tomos distributas, et cum indice generali in 1 tomo, publicavit typis Mainardi an. 1731 Romae Antonius Maria Lancetta, Cyriaci nepos, easque dedicavit Clementi XII. Sunt numero 1403.

532. *Amatus Iacomettus* (*Giacometti*). Istius Auditoris documentum admissionis alium non manet nisi instrumentum inquisitionis sub data 1699, 26 ian. Eo scimus Amatum, nobilem fuisse romanum cui Innocentius XII Auditoratum Rotae concessit in « locum b. m. Rmi « P. D. Alexandri Ursini ». Filius Petri et Ceciliae Sauli, gradum doctoratus in utroque iure suscepit in almae Urbis Archigymnasio, et s. subdiaconatus ordine erat insignitus. Advocatiam spatio multorum annorum exercuit, et anno 1695 Innocentius XII in suum Auditorem assumpsit, quem effecit Praelatum domesticum et utriusque Sign. Referendarium, ac S. Poenitent. Sigillatorem et Canonicum S. Petri Urbis.[2] – Post haec omnia, Auditorem Rotae ipse Pontifex Amatum renunciavit; sed fato peremptus, Amatus obiit paulo post, nempe an. 1700.

*L. I.*, pag. 10: « Amatus Iacomettus, Romanus – Auditor die « 22 iun. 1699. Sigillator S. Poenitentiariae ».

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXXXVI.

# CAPUT IX.

## § I.

## Soeculo XVIII.

### Sacrae Romanae Rotae generales notae per soeculum XVIII.

1. – Soeculum XVIII senescens Tribunal ingreditur et in dies progredientis senectutis signa praebet. Notarii Tribunalis qui iam anteacto soeculo ad 4 ex 48 reducti fuerant, aere alieno gravati, pluribus ex Romanis Pontificibus sollicitudini sunt; et eorum actitandi praxis ac officiorum natura immutari debet. – Ex Rotae Decanis unus meruit ab officio per aliquot annos suspendi – acrior exardescit cum Advocatis S. Consistorii aemulatio et cum hos inter adfuerit Prosper Lambertinus, hic, Pontifex cum fuit, visus est gaudere quoties quodammodo posset Rotam afficere molestia. Hinc styli Rotae in novitiatu Auditorum saepius pessumdati; hinc in Rotae Auditores tales viri assumpti ut Rota ipsi Benedicto XIV dicere non dubitaverit ut vellet eligere in Auditores viros nedum doctos, sed uti doctos habitos ab curia. – Et stylus turnorum immutatus est. – Deinde Rotae existimatio penes homines descita; deinde curae duorum Summorum Pontificum Clementis XIII et XIV ut passis malis remedium adesset. Deinde firmior Adiutorum studiorum iudiricus status, quorum praecipua opera et doctrina labescens institutum sustentabatur.

2. – Ast extra Rotam civilium rerum maximae perturbationes vel iam enatae sunt, vel maturantur: tempora heu quantum mutantur ab antiquis! Rotae mandata abnuunt exsequi civiles potestates, et ut exsecutioni mandentur per Status Secretariam auxilium imploratur episcoporum. Rotae solemni aperitioni valedicitur, quippe quod romana plebs solemnem ceremoniam veluti histrionale spectaculum habet; et ipsi Rotae Advocati flocci faciunt Rotae decreta et ordinationes.

3. – Ruit, gallicanis copiis Romam ingressis, civile Summi Pontificis imperium, et una simul cum eo Rota concidit. – Moritur soeculum, Papa exule, dispersis Rotae Auditoribus, Rota silente ac Romae gallica rebellione imperante. – Finem acceperat Sacrum Romanum Imperium.

## § II.

## Clemens XI.

*(23 nov. 1700 – 19 mart. 1721).*

Innocentio XII defuncto die lunae 27 sept. 1700, successit mane diei 23 nov. eiusdem anni Ioannes Franciscus Albani, qui nomen sibi

imposuit Clemens XI. - *Diariis* nescimus quandonam Auditores Rotae Clementem inviserint, et quanam fronte eos exceperit Pontifex: *Diarium Camerale*, quod unum pro hoc anno ex Diariis Rotalibus hodie manet archivio, haec omnia silentio praeterit. Et cum ab anno 1701 ad annum 1706 lacuna sit in serie voluminum huius *Diarii*, hinc primum amoris signum in Rotam a Clemente XI palam editum novimus die 17 maii 1706, quo, in Consistorio, 20 creavit Cardinales, inter quos duo fuerunt Auditores Rotae, *Alexander Caprara* nempe et *Ioseph de la Tremoille.*

Sub hoc Pontifice acrius exarsit controversia quae per ultra medium soeculum duravit, inter Auditores Rotae et Advocatos Consistoriales, eo quod isti praetendebant potiorem locum honoris, prae coeteris sibi dandum esse ab Auditoribus die quo aperiebatur Rota; ita ut cum Rota aperiretur die 2 oct. 1709 Advocati Consistoriales Auditores equitantes non associarint.

Clemens XI Rm̃m. Molines, Decanum, ab exercitio Decanatus suspendit mense septembri aut octobri 1711 nec eum redintegravit ante diem 18 sept. 1716.

Curavit Clemens XI ut *Positiones causarum*, quas colligere incoeperat Emerix, colligi perseveraretur, eaeque asservarentur ad Archigymnasium *Sapientiae.*

Die mercurii 19 martii 1721, hora XII cum dimidio ex hac ad meliorem vitam migravit.[1]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Petrus card. Ottoboni.[2]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* A. Caprara; J. de la Tremoille; Polignac; Althan; A. Priolus.

*Ad Episcopatum:* Kaunitz; Omaña; Crispus.

### Auditores ab Eo creati

#### Magistri:

533. *Franciscus Carolus a Kaunitz.* Viennensis, electus fuit in locum b. m. Iacobi Emerix. - Illius processus est sub data 4 april. 1701. « A Dominico Andreae, S. R. I. Comite a Kaunitz, haereditario domi- « niorum Austerlitz, Ungaro Brodae, Kizizianoviis, Sac. Caes. Maiest. « intimo consiliario et Equite aurei velleris, nec non ... Maria Eleo- « nora Comitissa de Kaunitz, nata Comitissa de Slernberg, eius co-

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Cristofori, l. c.

« niuge ... prognatus et in Eccl. par. B. M. V. vulgo ad Scotots « Viennae ... 9 dec. an. 1676 ... baptizatus fuit ». Minoribus ordinibus insignitus, laurea doctorali in utroque iure consequutus Romae an. 1701 de mense ianuarii ; Praepositus infulatus Alterbinghensis, dioeces. Salisburgen. [1] - Debebat Ioanni Carolo praecedere in Rota Caffarellus : at cum iste « podagra detentus » nequiverit Rotam venire stata die, Ioannes Carolus habuit super eo praecedentiam. [2] - Promotus ad eccl. Labacen., *sine retentione Auditoratus*, die 1 iunii 1711.

*L. I.*, pag. 34 : « Franciscus Carolus a Kaunitz, Viennensis - Au- « ditor die 9 dec. 1701 - ad Ecclesiam Labacensem ad nominationem « Ioseph I. Rom. Imperat. promotus 1 iun. 1711 ».

Decisiones illius, « in duas partes distinctae, cum argumentis, sum- « mariis et indice, studio et diligentia Francisci Pandolfi de Monte- « falisco I. D. et olim in Romana Curia Advocati », prodierunt typis et sumptibus Leoni et Mainardi Typ. Cameralium, Romae an. 1734. Sunt numero 244. Reperiuntur etiam inter *Volantes*.

534. *Franciscus Caffarellus* Auditoratum Rotae ab Clemente XI recepit die 18 ian. 1701, in locum Amati Iacometti, anno antecedente defuncti. - Instrumentum illius inquisitionis est sub data 14 martii 1701. Domicellus et nobilis Romanus, filius Ducis Gasparis et Angelicae Monaldesi, vitae auras ebiberat Asserici Aquilanae dioeceseos, die 20 febr. 1639 : in utroque iure doctor renunciatus Romae de an. 1657, et clericus in minoribus ; 30 annos et ultra utr. Signat. Referendarius « quamplurium Urbium status ecclesiastici et etiam « provinciarum Gubernator ; Signat. Iust. Decanus et Signat. Gratiae « Votans ; S. Consultae Praelatus, et S. C. Visitationis Carcerum, in Con- « gregationibus super negociis Firmi et Avenionis et super controversiis « iurisdictionalibus, S. Congreg. Boni Regiminis, Secretarius ». Et insu- « per « in pluribus occurrentiis et controversiis a S. Sede deputatus, « et Congr. Sublevii, Annonae et Grasciae tam in Urbe quam in toto « Statu Ecclesiastico Praelatus ».[3] – Habuit Gubernium Urbis, quo munere durante obiit die 8 decembris 1711, et exequiae fuerunt illi celebratae in eccl. S. M. supra Minerva, quibus tamen Rota non interfuit sed solum Clerici A. C., quia timebat Rota ne sibi praecedentia daretur a Clericis qui interesse debebant cum ipso Cardinale Camerario : quamvis Rota sciret, Cardinalem de facto non interventurum.[4]

[1] *Arch. Rot., Processus,* Vol. I, n. LXXXVIII.
[2] Ibi, *Diarium Camerale.*
[3] Ibi, *Processus,* Vol. I, n. LXXXVII.
[4] Ibi, *Liber S. Rotae*, 2, pag. 111-112.

*L. I.*, pag. 10: « Franciscus Caffarellus, Romanus - Auditor die « 13 ian. 1702 ».

535. *Benedictus de Omaña.* Hispanus, Auditor electus et deputatus pro Regno Castellae, die 24 april. 1702 Motumproprium praesentavit, obtinens locum vacantem per promotionem d. Del Olmo ad munus Cancellarii Mediolanensis.[1] - Promotus ad ecclesiam Giennen., Rotae valedixit die 1 oct. 1708.[2]

*L. I.*, pag. 31: « Benedictus de Omaña - Auditor die 15 decem- « bris 1702, Hispanus ex Castella. - Ad Ecclesiam Giennen. ad nomi- « nationem Regis Hispaniae promotus 24 sept. 1708 ».

536. *Pompeius Aldrovandus.* Nobilis, patritius Bononiensis, nominatus die 2 iun. 1706, in locum Alex. Caprara ad s. purpuram promoti. – Natus Bononiae die 23 sept. 1668 ex Comite Hercule de Aldrovandis et Comitissa Iulia Maria Albergati eius uxore, Albani die 3 nov. 1693, clericali caractere fuit insignitus. Erat i. u. d., cuius doctoratus lauream et gradum susceperat Bononiae in Collegio iudicum eiusdem civitatis, cui fuit adscriptus; Sign. Referendarius; Praelatus domesticus; Vicarius Basilicae Lateranensis; Auditor Signat. Iustitiae et deinde A. C. Locumtenens.[3] - In Capite I. *De Decano* retuli quaestionem excitatam ab Aldrovando optandi Decanatum quem, cum esset Aldrovandus episcopali caractere insignitus, nequibat consequi, obstantibus Constitut. apostolicis et Rotae stylo. Quaestio definita fuit a particulari quadam S. Congregatione favore Aldrovandi, qui ideo Decanum egit a die 22 febr. 1726 ad 18 sept. 1733, quo ei traditum fuit Gubernium Urbis, et imposita renunciatio officii tum Decanatus, quum Auditoratus Rotae. Et cum ipse officio quoque potiretur *Locumtenentis in Sapientia* a quo se non abdicaverat, voluit Papa Clemens XII - ad Rotae instantiam - ut illi valediceret antequam cardinalis renunciaretur, etsi paucos infra dies cardinalis creaturus foret; ideo renunciatio contigit die 15 ianuarii et promotio ad s. purpuram die 14 martii 1734.[4]

*L. I.*, pag. 43: « Pompeius Aldovrandus, Bononien. - Auditor « die 17 maii 1706 - Sapientiae Locumtenens Card. Camerarii - « Plenipotentiarius in Gallia an. 1713 - deinde electus Hispan. « Nuncius et Archiep. Neocesareae 5 oct. an. 1716 - postea S. Poenit. « Regens declaratus in locum Rmi Lancetta Decani - ac Rotae Deca-

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae 2*, pag. 34.
[2] Ibi, pag. 104-105.
[3] Ibi, *Processus*, vol. I, n. LXXXIX.
[4] Ibi, *Diarium Camerale.*

« nus an. 1726 die 22 febr. - designatus Patriarcha Hierosolimi- « tanus die 21 martii 1729 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

537. *Melchior de Polignac*. Domino de la Tremoille ad s. purpuram promoto, successit in Rota Melchior de Polignac, Gallus, qui Motumproprium praesentavit die 14 febr. 1707. - Nobilis, patritius Anicien. in Occitania, Abbas B. M. de Bonoportu, i. u. d., doctoratus lauream et gradum suscepit Romae de mense martio 1707. Parentes illi fuerunt Ludovicus Armandus, vicecomes de Polignac, marchio de Chalancon, eques et commendatarius Regiorum Ordinum S. Spiritus et S. Michaëlis nobilium et baronum Occitaniae, Praeses haereditarius, Gubernator Annicii, et d. Iacoba Grimtarda de Gritaco et Robore in Occitania dioec. Mimuten. Erat Subdiaconatus ordine insignitus, laudabilis vitae et morum, ac fortuna ditissimus. [1] - Die 30 ian. 1713 cardinalis publicatus. [2]

*L. I.*, pag. 46: « Melchior de Polignac Gallus, admissus Auditor « die V dec. 1707; et ad purpuram per S. D. N. Clementem XI « promotus die 18 maii 1712 et declaratus tamquam sub dicta die « in pectore reservatus sub die 30 ian. 1713 ad nominationem « Iacobi III Angliae Regis. ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

538. *Alexander Falconerius*. Defuncto Muti, eius in Rota locum concessit Clemens Alexandro Falconerio, nobili romano. - Filius d. Pauli Francisci et d. Victoriae del Bufalo, natus in parochia S. Catharinae de Rota die 8 feb. 1657; clericali caractere insignitus Romae 27 dec. 1682, laurea in utroque iure Romae in gymnasio publico Regionis S. Eustachii die 24 dec. 1682 decoratus; Utr. Sign. Refer.; Praelatus S. C. Boni Regiminis; Vicarius Bas. S. M. Maioris; Sacrae Consultae Praelatus; R. C. A. Praeses; eiusdem R. C. A. clericus; Arnulpharum Gubernator; deinde, Carcerum Praeses; postea, Archiviorum Praefectus; et tandem Zeccarum Praeses; contra maleviventes, perturbatores publicae privataeque quietis et facinorosos Commissarius Generalis Pontificius in toto Statu Ecc., exceptis Legationibus; loci Poenitentiae sive Ergastuli Praefectus; S. C. Immunitatis Ecc. Praelatus. [3] - In *Admiss.* asservatur relatio quaedam Notarilis secreti examinis Falconerii et iuramenti ab eo praestiti in Cancellaria, et insimul formalis protestatio praecedentiae super

[1] *Arch. Rot., Processus.*, vol. I, n. XCI.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XC.

Clericos Camerae. [1] - Promotus ad Urbis Gubernium anno 1723, Pro-Decanus ad diem 11 sept. 1724, quo sacra purpura decoratus fuit. [2]

*L. I.*, pag. 50: « Alexander Falconerius, Romanus - Auditor die « 28 martii 1707. - Creatus Cardinalis die 11 sept. 1724 ».

Obiit anno 1734 et rotali collegio legavit « plures tabulas pictas, « referentes immagines Ssmi Crucifixi, Apostolorum et Evangelista- « rum ». [3]

Decisiones illius in unum collectae inveniuntur sub titulis Rubricarum Decretalium, et inter *Volantes*.

539. *Hieronimus Crispus*. In locum Rpd. Pii, praedefuncti, Clemens XI in Auditorem Rotae elegit Hieronimum Crispi, Ferrarien., die 4 aug. 1707. [4] - Instrumento processus illius, sub data 25 octobris 1707 scimus, Hieronimum nobilem et patritium Ferrarien., natum die 30 sept. 1669 Ferrariae, « ex Illmo d. Comite Francisco Crispio « ac Illma Comitissa Lucretia Maria ... Crispia, coniugibus »; ab emo card. Carolo Cerro (olim Rotae Auditore et Decano) epo. Ferrarien., die 24 iun. 1685 clericali caractere insignitum; Iur. utr. doctor laurea doctoratus cohonestatus fuit Ferrariae « cum laude magna « et summo honore ». Archipresbyter ecclesiae Cath. Ferrarien., Ref. utr. Signaturae. [5] - Die 8 dec. 1720. « Occasione qua recurrebat « XXI anniversaria coronationis D. N. Pp. Clementis XI, omnes « Curiae Rom. ordines convenerant in Palatio Quirinali, ut ibi, de « more, felicitatem sospiti Pontifici auspicarentur. Sanctitas Sua, ante- « quam Cappellae aulam ingrederetur, declarare dignata est, in Archi- « praesulem Eccl. Ravennatensis Rpd. Hieronimum Crispum, S. R. Au- « ditorem, Patricium Ferrarien., praeter egregias animi ingeniique « dotes, quarum hic inopportuna evaderet commemoratio, cuiuscum- « que dignitatis emeritum, ex hoc praecipue quod omnia tum eccle- « siastica, tum forensia quae hactenus explevit munera, ea semper « laudabiliter absolverit, praesertim per 13 annor. spatium quo in « S. Auditorio consedit, ut proinde nullam intulerit admirationem « quod adeo insignis Ecclesiae gubernio fuerit praefectus, eamque « consequutus fuerit cum annua pensione - respective ad reddituum « amplitudinem - valde moderata, nempe scut. 2600. - Die *13 eiusdem*. « Habitum fuit examen Episcoporum, ex quibus primus accessit « Rpd. Crispus, cuius examen post unicam interrogationem d. Decani,

[1] *Arch. Rot., Admiss. Varia,* n. 22.
[2] Part. I, caput III, *De Decano.*
[3] *Arch. Rot., Diarum Camerale.*
[4] Ibi, *Diarum Camerale.*
[5] Ibi, *Processus,* vol. I, n. XCII.

« reassumpsit Sanctissimus, et absque aliorum examinatorum examine, « fuit adprobatus. - *Die 16* ... propositus fuit in Consistorio per « ipsummet Summum Pontificem. – *Die 24* Sanctitas Sua... eumdem « inter Episcopos Assistentes solio Pontificio cooptavit; eique con- « donavit propinam, eidem Sanctissimo pro propositione debitam, « ascendentem ad scuta 1100 ». Et Rotae paullo post valedixit; nam die 2 ian. 1721 eius successor electus fuit Calcagninus. [1]

*L. I.*, pag. 14: « Hieronimus Crispus, Ferrarien. - Auditor die « 26 martii 1708 ».

Decisiones illius numero 625, tribus tomis Urbini an. 1738, typis Ven. Capp. Ss. Sacr. apud Ant. Fantuzzi, solitis argumentis et indicibus exornatae, ab ipsomet Crispo editae sunt, et Innocentio XI « immortalis memoriae » dicatae. Legere eas est etiam in Collect. *Volantium*.

540. *Carolus Cerrus*. Locum Rotae, vacantem per obitum Francisci Caffarelli, Clemens XI concessit Carolo Cerro, Romano, qui Motum-proprium praesentavit die 5 oct. 1712; cuius processus est sub data 17 oct. 1712. - Domicellus et Patritius Romanus, die 3 maii 1673, natus est ex Antonio et Isabella Capranica, coniugibus, Romae, et baptizatus in Parochiali S. Laurentii in Damaso die 29 praedicti mensis, clericalem primam tonsuram recepit Romae, die 13 maii 1690; et item Romae lauream. doctoratus an. 1692. - Viginti circiter annos « utr. Sign. Referendarius; Praelatus S. C. Boni Regiminis; Auditor « Signat. Iustitiae; S. Consultae Praelatus; Locumtenens A. C. et « pro-tempore etiam Pro-Auditor eiusdem Rev. Camerae ».[2] - Decanalem sedem Rotae assequi debebat anno 1725; sed Aldrovandus illam Cerro eripuit, ut fuse scripsi I operis parte, in *Cap. I, De Decano*, Cerro Decani actus gerente dum causa Decanatus agitabatur coram speciali Congregatione. - In sui *Diarii* unico tomo, perpauca inter quae Cerrus adnotavit, de quaestione Decanatus nec verbum nec vola invenire est. - Sub die vero 26 oct. 1726, inibi legitur: « Rpd. Cerrus, circa meridiem, dum curru vectus domum « redibat, repentino fato peremptus fuit, magno totius Curiae luctu « quae eum per 30 et amplius annos in diversis subselliis feliciter « ac universali plausu ius dicentem suspexerat: et certe, nisi prae- « matura nimis morte fuisset sublatus, ad maiora destinatus vide- « batur: vixerat annos 53 ».

*L. I.*, pag. 10: « Carolus Cerrus, Romanus - Auditor die 24 maii « 1713 ».

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, *Processus*, vol. I, n. XCIII.

541. *Franciscus Maria Barbadigus* (*Barbarigo*), Venetus, praesentavit Motumproprium die 25 nov. 1712: mortuus est die 27 februarii 1714 « hora noctis quarta cum dimidio... vir eximiae indolis, « integritate et iustitia, morumque gravitate spectabilis ». [1]

*L. I.*, pag. 23: « Franciscus Maria Barbadicus, Venetus – Auditor, die 12 maii 1713 - obiit Romae 26 febr. 1714 ». Sed Liber S. Rotae mortem illius sub die 27 febr., non autem 26, evenisse asserit.

Decisiones illius inter *Volantes*.

542. *Franciscus Foscarus*. Venetus, locum Rotae obtinuit vacantem per obitum Francisci Barbarigo. - Nobilis et patritius Venetus, « figlio « legittimo e naturale dell'Illmo et Exmo Sig. Aluise Foscari, Primo « Luogotenente Generale di questa città (Venetiarum) e Patria, e « dell'Illma et Eccma Sig. Orsetta sua consorte, nato il giorno di « 16 febbraro » 1667, anno 1679 fuit insignitus prima clericali tonsura ab Aloisio Sagredo Patriarc. Venetiarum. In utroque iure lauream doctoratus Patavii consequutus est an. 1690 die 23 augusti. « Fuit per 4 an. inter cubicularios honorarios s. m. Innoc. XII; Prae« latus domesticus S. D. N. Pp. Clem. XI; utr. Sign. Referendarius, « Gubernator Civitatis Vetulae, Firmi, Campaniae et Maritimae, ac « Patrimonii, et subinde S. Consultae Ponens, ac demum Umbriae « Gubernator ». [2] Die 26 nov. 1723 Foscarus abfuit a Rota « ob « malam valetudinem Laureti contractam »; et die 10 dec. insequentis « ad Rotam supervenit notitia obitus b. m. Francisci Foscari, et mu« tatae fuerunt sedes ». [3]

*L. I.*, pag. 23: « Franciscus Foscari, Venetus, die 7 dec. 1714 « iuramentum praestitit ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

543. *Michaël Fridericus Comes de Althan*. Die 2 iul. 1714 Motumproprium praesentavit, locum Rotae obtinens vacantem per promotionem d. Kaunitz ad ecclesiam Labacen. Baptismate renatus est die 21 iul. 1682, filius Venceslai et Annae Mariae, Comitissae ab Aspermonlh: an. 1709 sacros ordines Subdiaconatus et Diaconatus recepit: in Universitate Pragensi doctor in utroque iure renunciatus die 14 iul. 1710. Comes ab Althan; liber Baro de Goldburg et Murset; collegiatae eccl. Regiae Capellae Bohemicae ad omnes Sanctos in Castro Pragensi et antiquissimae Vetero Boleslaviensis ad Sanctos

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae*, 2, pag. 126.
[2] Ibi, *Processus*, Vol. II, n. XCIV.
[3] Ibi, *Diarium Camerale*.

Cosmam et Damianum Praepositus infulatus; inclitus Bohemiae Regni Praelatus; eccl. Cath. Olomucensis et Wratislavien. Canonicus. [1]

*L. I.*, pag. 34: « Michaël Fridericus ab Althann - Auditor 15 mar- « tii 1715 - creatus Cardinalis die 29 nov. 1719 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

544. *Ludovicus Rovault de Gamaches*. Nobilis, patritius Parisiensis, habuit locum Emi et Rmi b. m. de Polignac. Illius processus datam praesefert diei 15 mart. 1715. - Natus Parisiis, an. 1686, ex Claudio et Ludovica de Lomenie Brinne, Theologiae et utriusque iuris laureas doctoratus calluit. Vicarius generalis in spiritualibus et temporalibus episcopi Rothomagensis sacrisque ordinibus insignitus; « in « supremo Galliarum Senatu causarum Patronus; comesque Consisto- « rianus et Consiliarius Regius ». Prior commendatarius S. Iusti de Arbosio; Decanus ecclesiae Colleg. S. Meloni. [2]

*L. I.*, pag. 47: « Ludovicus Eliphius Rovault de Gamaches, Gal- « lus - emisit iuramentum in Rota die sexta dec. 1715 ... ». – Obiit die 29 april. 1733. [3]

Decisiones illius inter *Volantes*.

545. *Ioannes de Herrera*. Tenore instrumenti processus istius Auditoris, quod est datum sub die 21 iun. 1715, scimus, Ioannem de Herrera et Soba filium fuisse Ioannis et Mariae Magdalenae della Pegna et Zevallos, nobilem Palentinum, natum « in Palentia alli « 25 di novembre di questo presente anno 1661 »; presbyteratus ordine insignitus fuit die 18 iun. 1713 et laurea doctorali in utroque iure Bononiae cohonestatus die 26 april. 1686. Consultor S. Officii in civitate Bononiae; Praetor primo et deinde magnus Cancellarius civitatis Mediolani; et insimul Decanus Cathedralis Palentinae. [4]

*L. I.*, pag. 31: « Ioannes de Herrera Hispanus ex Regno Ca- « stellae hac die 22 ian. 1716 iuramentum praestiti. - Promotus « ad eccl. Seguntinam ad nominationem Regis Catholici sub die ... » 7 oct. 1722, perrexit sedere in Rota Locumtenens usque ad diem 10 nov. 1722, quo Rotae valedixit. [5]

Decisiones illius an. 1731, Romae typis Maynardi « ex origina- « libus depromptae, ac argumentis summariis et indice ornatae » publicis iuris factae sunt a Hieronimo Taia, Senense, Advocato et

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. II, n. XCV.
[2] Ibi, *Processus*, vol. II, n. XCVI.
[3] Ibi, *Liber S. Rotae*, 2, pag. 316.
[4] Ibi, *Processus*, vol. II, n. XCVII.
[5] Ibi, *Diarium Camerale*.

olim Ioannis in studiis Adiutore. Sunt numero 237, uno in tomo distributae. Legere eas est quoque inter *Volantes*.

546. *Marcellinus Corius* (*Cori*). Mediolanensis, praesentavit Motumproprium die 13 ian. 1716, electus in locum vacantem per promotionem d. Scotti ad cardinalatus apicem. – Instrumentum processus illius fabricatum fuit die 3 febr. 1716. Natus die 2 sept. 1674 ex viro nobili, patritio Mediolanen. Philippo et Laurea Airoldi, iuris utr. doctoratus lauream suscepit in Universitate Papiae an. 1686: quatuor minoribus ordinibus erat insignitus. – Per 21 circiter annos Adv. Consistor.: utr. Sign. Refer. et Sign. Iustitiae Votans.[1] - Decanum post Aldrovandum a die 18 sept. 1733 ad diem 1 sept. 1734, quo promotus fuit ad Gubernium Urbis, et die 15 nov. illius anni ad s. purpuram.[2]

*L. I.*, pag. 7: « Marcellinus Corius Mediolanen. - Auditor die « 3 iul. 1716 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

547. *Antonius Marymont*. Barchinonen. - Die 15 sept. 1719 in mandatis habuit orandi in aperitione Rotae: et revera illa die equitavit cum Corio. – Die 10 sept. 1720 repentino morbo correptus occubuit.[3]

*L. I.*, pag. 19: « Antonius de Marimont, Hispanus ex Catalonia, « Auditor die XIV desembris (*sic*) 1718 iuramentum praestitit ».

548. *Faustinus Crispoltus* (*Crispolti*). « Die 26 dec. 1720 decla« ratus fuit Auditor S. Rotae in locum b. m. Ansaldi, Rpd. Cri« spoldus Perusinus, R. C. Clericus ».[4] – Instrumentum processus illius datam praesefert diei 24 ian. 1721, et est – in comparatione cum aliis quae supersunt huiusmodi documentis – maximae molis: foliis enim constat 39 integris. Inserta enim sunt inibi Brevia, Epistolae, et huiusmodi quibus Crispoltus nominatus fuit ad complures dignitates et officia. Filius Faustini Ioannis de Crispoltis, patritii Perusini, et Helenae de Copulis, nobilis Perusinae, in utroque iure doctor renunciatus fuit Perusiis die 25 iun. 1683, et die 28 aug. 1684 descriptus in Albo Collegii Iuristarum illius civitatis, ibique legit Civiles Institutiones. Consultor Tribunalis Collegii Nobilium dictae civitatis, nuncupati « della Mercanzia »; iudex Communis Perusiae; Praelatus domesticus Innoc. XII; Canonicus Basilicae Vaticanae;

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. II, n. XCVIII.
[2] Parte I, caput III, *De Decano*.
[3] *Arch. Rot., Liber S. Rotae,* 2, pag. 165 et 170.
[4] Ibi, *Liber S. Rotae,* 2, pag. 173

Gubernator Beneventi; Auditor et Locumtenens omnium et singularum causarum Camerariatus S. R. E. cum facultate subscribendi omnes et quascumque expeditiones tam gratiae quam iustitiae; fuit etiam a Clemente XI deputatus in Commissarium Apostolicum exercituum S. Sedis; sacerdos die 1 maii 1712; Secretarius S. Congregationis Confinium totius Status Pontificii; Clericus Camerae sub die 18 iun. 1717; Deputatus Apostolicus Commissarius in provincia Patrimonii ad effectum media parandi contra pestem minitantem quae saeviebat Massiliae.[1] - Vespere diei 6 iun. 1727 « acerbo et repen- « tino fato peremptus fuit b. m. Rpd. F. Crispoltus, ... qui tamen « iamdudum aegra laborabat valetudine ».[2]

*L. I.*, pag. 27: « Faustinus Crispoltus, Perusinus - admissus hac « die 13 oct. 1721 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

549. *Carolus Leopoldus Calcagninus*. Ferrarien., electus fuit et deputatus in Auditorem Rotae in locum d. Crispi, promoti ad eccl. Metropolitanam Ravennaten. die 2 ian. 1721. - Signaturae Iustitiae Votans.[3] - Post Corium Decanus a die 1 sept. 1734 ad 9 sept. 1743, quo fuit sacra purpura cohonestatus.[4]

*L. I.*, pag. 15: « Carolus Calcagninus, Ferrariensis - hac die « 13 oct. 1721 admissus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

## § III.

### Innocentius XIII.

*(1 maii 1721 - 7 mart. 1724).*

Die VIII maii 1721 « suffragantibus 55 Cardinalibus electus exstitit « et successive renunciatus in Summum Pontificem Rms. d. Cardi- « nalis Michaël Angelus de Comitibus, Romanus, qui sibi nomen im- « posuit Innocentius XIII ».

Ipse Rotam aperiri iussit die 16 eiusdem mensis. *Diarium Camerale* silet de donativo ac de ceteris quae occasione electionis novi Pontificis solebant contingere: sed ratio non subest cur ea omnia iuxta veteres consuetudines non contigisse credantur: et de cetero,

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. II, n. XCIX.
[2] Ibi, *Liber S.Rotae*, 2, pag. 286.
[3] Ibi, l. c., pag. 173.
[4] Part. I, cap. III, *De Decano*.

ex parte Auditorum in *Diariis* nulla reperitur protestatio, quae profecto non desideraretur si res secus se habuissent.

« Obiit s. m. Innocentius XIII die 7 mart. 1724 circa horam « vespertinam XXIII cum dimidio ... omnium ordinum extremo cum « moerore ...; vere vir probus et ingenuus ».[1]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Petrus card. Ottoboni.[2]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Episcopatum:* Ioannes de Herrera.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

550. *Thomas Ratto.* Locum Rotae vacans per obitum d. Marymont concessit Innoc. XIII, anno eius primo, Thomae Ratto, a Rege Hispan. pro Regno Aragoniae praesentato.[3] – Processus illius est sub die 27 iun. 1721. Filius Francisci, vitae auras ebiberat Volturi die 2 nov. 1683; mater eius fuit Maria Ottonelli: sacerdos; doctor in utroque iure lauream doctoratus consequutus Romae die 9 aug. 1721.[4] – Politicae dissentiones tunc temporis ferventes inter Hispaniam et Germaniam causae fuerunt cur Thomas donum praeteriisse offerre cardinali de Althan, olim Auditori Rotae, solitum a noviter electi Auditoribus praesentari cardinalibus Curiae qui antea fuissent Auditores Rotae, uti retuli in *cap. De Admissione novi Auditoris.* Ex hac omissione, Rota ita contra Thomam insurrexit ut ipsum renuerit admittere. Res ad aures pervenit Pontificis, qui per card. Secretarium Status sequentem epistolam Rotae transmisit sub die 4 febr. 1722: « Avendo N. S. sentito con sommo dispiacere l'accidente accaduto « in Rota venerdì mattina p. p., per non aver M. Ratto adempita « la parte di un regalo col Sig. Cardinale di Althann, che è stato « Uditore della med. Rota e per non essere lo stesso Mons. Ratto « stato ammesso a causa di ciò in quel Tribunale, e volendo la S. S. « provvedere tanto al caso presente quanto ancora ai venturi, acciocchè non naschino più simili inconvenienti, dichiara che lo stesso « regalo, secondo la consuetudine, era dovuto, ed ha ordinato al « medemo mons^r Ratto che debba soddisfare a questa obbligazione,

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] CRISTOFORI, l. c.
[3] *Arch. Rot., Liber S. Rotae,* 2, pag. 181.
[4] Ibi, *Processus,* vol. II, n. C.

« e constando a N. S. ch'egli in sequela de' suoi ordini sino da ieri « è pronto a mandarlo, perciò S. S. con il presente ordina al Trib. « della Rota di doverlo questa istessa mattina subito ammettere, cas- « sando S. B. et annullando ogni atto che possa essere stato fatto « dal med. Tribunale in questa occasione. Dichiara inoltre espressa- « mente che succedendo altro caso simile, non si possa dalla med. « Rota risolvere cosa alcuna senza prima aver ricevuto l'oracolo Pon- « tificio per mezzo del Sig. Card. Vicecancelliere.

« Perchè poi le consuetudini si conservino e con esse la con- « venienza e decoro del Trib., ingiunge la S. S. a Mgr. Decano « della Rota pro tempore che in avvenire prima di farsi le solite « pubbliche conclusioni e prima che sia dato il possesso ai nuovi « Uditori debba far sapere ai Sig.ri Card. Vicecanc. e Segret. di Stato « se i medemi abbiano fatte tutte quelle funzioni e formalità che « sono di consuetudine. Di quest'ordine poi dovrà tenersi registro « negli atti e Diari del Tribunale, essendo questa la mente di « S. Santità ».[1]

*L. I.*, pag. 19: « Thomas Ratto et Ottonelli admissus die « 30 ianuarii 1722. - Promotus de anno 1732 ad Ecclesiam Cor- « duben. ».

Decisiones illius in 4 volumina distributae (quorum ultimum indicem complectitur generalem) cum argumentis et summariis typis Maynardi publicavit Romae an. 1749, Xaverius de Canalibus C. A. Clericus et Praefectus Archiviis Status Eccl., qui « per septem annos « auxiliarem operam a Secretis » praestiterat Thomae Auditori. Sunt numero 334. Legere quoque eas est inter *Volantes*.

551. *Thomas Nuñez*. Hispanus ex Castella, fuit renunciatus Auditor Rotae, ob promotionem D. Herrera ad eccl. Seguntinam, et praesentavit Motumproprium die 21 iun. 1723. - Die veneris 2 iul. anni 1723 incoeptum est instrumentum processus illius. Natus ex Petro et Turribia Ponxè, nobilibus Oveten., sacris ordinibus decoratus, doctor iuris Canonici ab Universitate Salamantina et utriusque iuris ab Archigymnasio Urbis renunciatus fuit; Canonicus Poenitentiarius Salamantinae Cathedralis; possidebatque ultra summam et valorem 200 ducat. annui redditus.[2] - Sedem Decanalem post Calcagninum, elatum ad s. purpuram, obtinuit Nuñez a die 9 sept. 1743 ad april. 1744, quo est mortuus.[3]

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae*, 2, pag. 207.
[2] Ibi, *Processus*, vol. II, n. CI.
[3] Part. I, caput III, *De Decano*.

*L. I.*, pag. 31: « Thomas Nuñez, Hispanus ex Regno Castellae, « hac die 4 febr. 1724 iuramentum praestiti. - Obiit S. Rotae De- « canus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

552. *Ioannes Benedictus Gentilottus*. Comite ab Althan creato cardinali, locum illius in Rota obtinuit Ioannes Benedictus Gentilottus ab Enghelsbrunn qui Motumproprium praesentavit die 26 nov. 1723, cuius processus c. Alexandro Falconerio, almae Urbis Gubernatore et S. R. pro-Decano, fervente tunc temporis controversia Decanatus, fabricatus fuit die 6 dec. 1723. - Ioannes Benedictus eques et nobilis Tridentinus filius Ioann. Bapt. et Caeciliae Lenera Baronissae de Lehen., erat i. u. d. renunciatus in hac alma Urbe die 17 sept. 1723; constitutus in minoribus Ordinibus, iuris studio incubuit in alma Urbe praesertim apud b. m. Ansaldum de Ansaldis. « Per 16 circiter annos « fuit Consiliarius et Bibliothecae Vindobonensis Praefectus. Canoni- « catum in Eccl. Cathedral. Tridentina obtinebat, ex cuius redditibus « cum redditibus patrimonialibus percipiebat ultra valorem annui red- « ditus ducat. 200 ».[1] - Die 6 iul. 1725 Rota litteras recepit a Tridentina civitate, annuntiantes, Gentilottum a Capitulo Tridentino electum fuisse episcopum principem illius dioeceseos; die vero 20 sept. insequentis, « hora prima noctis diei, ex hac vita migravit « Rpd. Gentilottus Auditor Rotae Germanus et Episcopus Tridentinus « electus ».[2]

*L. I.*, pag. 34: « Ioannes Benedictus Gentilotti ab Enghelsbrunn « Auditor 1 dec. 1724 iuramentum praestitit ».

553. *Federicus Cornelius* (*Corner*). Foscaro defuncto successit Federicus Cornelius, qui Motumproprium praesentavit die 28 ian. 1724.[3] - Cum die 7 martii illius anni 1725 vita functus fuisset Innocentius XIII, et Cornelius cum Gentilotto nondum, sede vacante, esset admissus, dubitatum fuit cuinam ex duobus praecedentia deberetur, utpote quod, etsi Gentilottus prius quam Cornelius Motumproprium praesentasset, attamen Cornelius breviori temporis spatio novitiatus acta expleturus foret, Praelatus cum esset et ideo necessitate expers tempus insumendi in defensione causae coram S. Rota. Et decisum fuit « quidquid de Iure dicendum foret, ... praecedentiam quocumque « casu deberi eidem d. Gentilotto ex praxi et stylo nostri Auditorii,

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. II, n. CII.
[2] Ibi, *Liber S. Rotae*, 2, pag. 277 et 279.
[3] Ibi, l. c., pag. 258.

« qui in his praecisis terminis inolevit, iuxta exempla inferius regi-
« stranda etc. ».[1] – Obiit die 5 ianuarii 1729.[2]

*L. I.*, pag. 23 : « Federicus Cornelius, Venetus, die VI dec. 1724
« iuramentum praestitit ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

## § IV.

### Benedictus XIII.

*(29 maii 1724 – 21 febr. 1730).*

« Die Lunae 29 maii 1724. – Hac die denunciatus est Summus
« Pontifex Card. Vincentius Maria Ursinus, Eps. Portuen. et hora 23
« circiter summo plausu publicatus exstitit, imposito sibi nomine
« Benedicti Pp. XIII.

« Die autem dominica 4 seq. mensis iunii sequuta est solemnis
« incoronatio Ssmi D. N. et interim peractis particulariter solitis
« Aulae officiis, duo seniores n. Ordinis, nempe Aldrovandus et Cer-
« rus, licentiam de more impetraturi pro reassumenda causarum
« disputatione, sisterunt Pontifici, qui statim annuit et deinde etiam
« benigne mandavit (ut moris quoque fuerat) quod nostro Collegio
« solverentur menstruae praestationes cuilibet ex Auditoribus dari
« solitae, quarum solutio, durante sede vacante, suspensa manserat ».[3]

Pontificatus Benedicti XIII Rota usque meminit praecipue quia, 1° enatâ controversia, an iure optandi decanatum Rotae frueretur Auditoris Locumtenens, haec resoluta fuit favore d. Aldrovandi, archiepiscopi, qui ideo fuit Decanus Rotae, contra Constitutiones et iura antiqua, uti retuli in *cap. I, de Dec.*: 2° ipse Benedictus Auditorem Rotae creavit Rpd. De Valentibus, etsi hic iam archiepiscopali dignitate fulgeret.

Reformationem fecit Tribunalium Urbis an. 1728, ex qua orta est querela notariorum Rotae, qui rati sunt ab ipsa reformatione nonnulla gravamina passos esse.

Die martis 21 febr. 1730, « e vivis excessit... qui tamen nullum
« fere beneficentiae argumentum Tribunali nostro reliquit ».[4]

*Vice-Cancellarius* illi fuit Petrus card. Ottoboni.[5]

[1] *Arch. Rot.*, l. c., a pag. 260 ad pag. 265.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, *Liber S. Rotae, 2*, pag. 291.
[5] Cristofori, l. c.

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Cardinalatum:* Alexander Falconerius.
*Ad Episcopatum:* Gentilotti; Aldrovandus.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

554. *Seraphinus Cincius (Cenci).* Adhuc fervente controversia Decanatus mota a Pompeo Aldrovando, uti superius innui, s. purpura cohonestatur Falconerius, pro-Decanus, et in eius locum successit Seraphinus Cincius, Romanus. Coram Cerro pro-Decano fabricatum fuit instrumentum processus illius sub data 17 oct. 1724. – Nobilis et patritius Romanus, natus die 20 maii 1676, filius Francisci et Annae Iustinae Ripa, anno 1701 Romae in alma Universitate Sapientiae, suscepit lauream et gradum doctoratus in utroque iure. – Clericus; Ponens S. C. Boni Regiminis; Praelatus S. C. Rev. Fabricae S. Petri; Praelatus Congregat. visitationis carcerum; Votans Signaturae Iustitiae; Locumtenens A. C.[1] – Promotus ad ecclesiam Beneventanam « discessit ab Urbe Beneventum versus posteaquam singulis Rotae « Auditoribus valedixerat », mane diei 16 ian. 1734.[2] – Creatus fuit cardinalis in consistorio diei 24 martii 1734 una cum Rpd. Aldrovando.[3]

*L. I.*, pag. 50: « Seraphinus Cincius, Romanus - Auditor hac die « 21 mart. 1725 iuramentum praestiti ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

555. *Marius Millinus.* Ciriaco Lancetta, defuncto, successit Marius Millinus, Romanus, qui Motumproprium praesentavit die 18 aprilis 1725.[4] – Natus die 9 febr, 1677 ex patre Petro nobili Romano et matre Iulia Ceuli, a cardinale Millino patruo, episcopo Urbevetano, die 27 maii 1688 in ecclesia parochiali S. Pancratii Castri Georgii Urbevetanae Dioec., clericali caractere cohonestatus fuit, lauream doctoratus in iure consequutus Romae die 26 mart. 1722. Praelatus domesticus et utr. Sign. Referendarius.[5] – Die 1 sept. 1734 Regens declaratus fuit S. Poenitentiariae.[6] – Decanus a die 14 iul. 1744

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. II, n. CIII.
[2] Ibi, *Liber S. Rotae,* 2, pag. 322.
[3] Ibi, l. c., pag. 328.
[4] Ibi, l. c., 2, pag. 275.
[5] Ibi, *Processus,* vol. II, n. CIV.
[6] Ibi, *Liber S. Rotae,* 2, pag. 332.

post obitum d. Nuñez, evectus fuit ad s. purpuram in consistorio diei 10 april. 1747.[1]

*L. I.*, pag. 39: « Marius Millini - Auditor die 7ª decembris 1725, « Iuramentum praestiti ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

556. *Marcellus Crescentius*. Carolo Cerro defuncto, in locum illius Auditor Rotae renunciatus est Marcellus Crescentius, Romanus, cuius processus incohatus fuit die 29 nov. 1726. – Nobilis, patritius, patrem habuit Marchionem Ioan. Bapt., matrem vero Hortentiam Serlupi: presbyter die 16 mart. 1720; in utroque iure doctor die 17 maii 1721. Utr. Sign. Refer.: Ponens S. C. Boni Regiminis; Praeses R. C. A.[2]

*L. I.*, pag. 10: « Marcellus Crescentius, Romanus - Auditor die « 16 maii 1727. - Nuncius ad Regem Galliarum, dimisit officium die « 6 aug. 1739 ».

Ex litteris dedicatoriis, datis ipsi Marcello a Iosepho Mapelli qui eiusdem Marcelli Decisiones in quatuor tomos cum quinto appendicis publicavit an. 1758, scimus Marcellum post Galliarum Legationem, Ferrariensi provinciae Legatum praefuisse et postea episcopum illius dioeceseos renunciatum, atque s. purpura decoratum.

557. *Antonius Franciscus de Valentibus*. Fato perempto d. Crispolto « in eius locum fuit immediate a Ssmo D. N. electus in « Auditorem S. Rotae Perusinum, Rpd. Antonius Franciscus de « Valentibus, nobilis de Trebio Spoletan. Dioec., et simul patritius « Spoletinus, Perusinus ».[3] Hic erat iam votans Signaturae Iustitiae et *Archiepiscopus Theodosiae*. Et iste – adnotat Lib. Rotae sub die 6 iun. 1727 – « fuit primus casus (*hoc tamen verum non est, nam de « an. 1680 electus fuit Auditor Rotae Ioseph Musti, Archiepiscopus « Nazanzien.*) quo electus in Auditorem nostri Ordinis fuerit qui esset « actu Archiepiscopus Titularis ». – Dominus de Valentibus creatus fuit Datarius Papae de mense iulio 1730, et ideo Auditoratum Rotae dimisit.[4]

*L. I.*, pag. 27: « Antonius Franciscus de Valentibus de Trebio, « Perusinus, admissus hac die 5 dec. 1727 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

558. *Carolus Rezzonico*. Caroli Rezzonici Motusproprius collationis Auditoratus deest penitus copia in archivio rotali, cum neque in processu tenor illius transcriptus inveniatur: attamen processu sci-

[1] Parte I, caput III, *De Decano*.
[2] *Arch. Rot., Processus*, vol. II, n. CV.
[3] Ibi, *Liber S. Rotae*, 2, pag. 286-291.
[4] Ibi, *Diarium Camerale*.

mus, Carolum die 25 april. 1729 in suum procuratorem pro processu conficiendo elegisse Abbatem Lanfrancum Mattei, seque signasse sacrae Rotae Auditorem electum: igitur de mense aprilis illius anni Benedictus XIII eum in Auditorem Rotae elegerat, «*in locum b. m.* « *Rpd. Federici Cornelii* (Cornaro)». – Natus ex nobilibus Ioanne Baptista Rezzonico et Victoria Barbarigo, die 7 martii 1693 Venetiis, lavacrum regenerationis nonnisi die 30 illius mensis suscepit in ecclesia S. Felicis Venetiarum. Clericalem tonsuram a Marco de Iustinianis, e.po Torcelli, in palatio episcopali Muriani die 15 octobris 1711 susceperat: Patavii vero die 30 septembris 1713, plenis suffragiis lauream in utroque iure adeptus est. « Utriusque Signa- « turae Ssmi D. N. Pp. Referendarius; Gubernator civitatis Reatis « et Fani; Ponens Sacrae Consultae, necnon Prothonotarius Aposto- « licus in Congregatione de Propaganda Fide, in eiusque muneribus « summa cum laude versatus fuit, cum omni iustitia et aequitate ». Auditor Rotae iam electus, Romae e manibus cardinalis Zondadari Archiepiscopi « in cappella privata illius residentiae » de licentia card. Marefoschi, Pontificis Vicarii, die festo Ascensionis (26 maii 1729) quatuor ordines minores et Subdiaconatum recepit. - Vitae erat integerrimus et in bonis habebat multo plus quam 200 florenos aureos, sine quibus nec Praelatus esse poterat. [3] – Clemens XII Carolum cardinalem creavit die 20 dec. 1737. [4]

*L. I.*, pag. 23: « Carolus Rezzonicus, Venetus - iuramentum prae- « stiti die 9 dec. 1729 ». Nemo, vero postea addidit Carolum et Cardinalem fuisse, et denique Papam, sub nomine *Clementis XIII.*

Decisiones illius quarum etiam conservantur originalia, 5 distributa in tomos, pelle religatos, Romae in vulgum prodierunt - Carolo Cathedram Petri regente - typis Haeredum Ioan. de Barbiellinis, Bibliopolae et Typographi in Foro Pasquini, quibus Clemens privilegium concessit ut alius nemo ex Impressoribus Ditionis Pontificiae eas potuisset per decennium iterum imprimere vel vendere « sine spe- « ciali dictorum Fratrum, aut ab eis causam habentium, licentia ». Numero sunt 340; easque « collegit, digessit, ordinavit, brevique « argumento complexus est quid in quaque controversia disputaretur, « ... ac indices conclusionum ad calcem addidit » Lanfrancus Mattei qui « optimo Sanctissimoque Auctori laborum ac studiorum Adiutor « fuerat », quem Clemens creaverat Praelatum domesticum, Signaturae

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. II, n. CVI.
[2] Ibi, *Liber S. Rotae,* 2, pag. 353.

Votantem ac Sub-datarium. In quatuor tomos distributae sunt, quorum primus a Lanfranco dedicatus fuit ipsi Clementi; alter cardinali Carolo Rezzonico, Papae Nepoti ex fratre; tertius Ioanni Baptistae Rezzonico, C. A. Clerico, etiam Pontificis Nepoti; quartus autem nemini dedicatus qui indicem conclusionum tantum complectitur. Quaevis Decisio sat brevibus verbis concluditur, fulgens sermonis nitore, claritate ac soliditate doctrinae.

Cetera de eo narrabo cum de Clemente XIII erit mihi scribendum.

## § V.

### Clemens XII.

*(12 iul. 1730 – 6 febr. 1740).*

Cardinalis *Laurentius Corsini*, florentinus, successit Benedicto XIII, electus in summum Pontificem « in scrutinio matutino » diei 12 iulii 1730, nomenque sibi imposuit: Clemens XII.[1]

Is cum in minoribus esset, numquam dubitaverat iudicium Rotae subire, et quamvis id expertus fuerit sibi contrarium, erga tamen Rotam tanta aestimatione et benevolentia affectus fuit, ut vix dum ad apostolatus apicem evectum sese conspexit, suum Datarium declaraverit Rpd. de Valentibus qui ideo Auditoratum dimisit; – eodem mese iulio nondum elapso, Rotae Auditores benignissime excepit iisque tradi iussit et menstruas praestationes pro mensibus vacantiae Sedis, et donativum a noviter electis Pontificibus dari consuetum.

Nec satis; nam sub die 31 ianuarii anni insequentis, Rotae communicavit Decretum sub data 22 decembris 1730 editum, quo statuens quid in posterum servandum foret in novis cooptandis Advocatis Consistorialibus vel eorum coadiutoribus admittendis, Rotae onus commisit perhonorificum exponendi Summo Pontifici pro tempore quos Rota digniores reputet Advocatos in Collegio Consistorialium adlegendos.[2]

Et noscens quam durum esset Rotae Aldrovandum Patriarcham habere Decanum, eum ad Gubernium Urbis evexit, id efficiens ut Aldrovandus et Decanatum insimul dimitteret et Auditoratum, ac Rotae precibus inclinatus, cardinalitiam specialem commissionem constituit ad decidendum utrum dignitas episcopalis, etiam in Episcopo *in partibus*, impedimento esset quominus Auditor, episcopali caractere

[1] Haec et aliae insequentes adnotationes ex *Diariis* depromptae sunt.
[2] Vol. III, n. 411, pag. 508-509.

insignitus, Decanatum Rotae adipisceretur, uti fuse retuli in I huius operis parte *cap. I de Decano.*

Huiusmodi specialis Commissionis decisio prodiit omnino votis Rotae conformis: hanc Clemens auctoritate sua confirmans, Bullam edidit « In summi pontificatus » die 17 nov. 1734.[1]

Aldrovandus erat et Locumtenens in Archigymnasio Sapientiae: cum Auditoratui valedixit, Locumtenentiam Sapientiae non dimiserat. Auditores Rotae sibi vindicantes eam, penes Papam insteterunt ut Rotae exclusive Locumtenentia servaretur, coacto Aldrovando ad eam dimittendam, etsi infra paucos dies ad s. purpuram esset promovendus.

Denique cupiebat Clemens satis votis Rotae facere innovans Innocentii XII Bullam prohibentem quominus causae iudiciales a Ss. RR. Congregationibus definirentur; sed senio ac morbo diu afflictatus, die 6 febr. 1740 decessit, iustum relinquens desiderium sui.

*Vice-Cancellarius* illi fuit Petrus card. Ottoboni.[2]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* - Aldrovandus; Cincius; Rezzonicus.
*Ad Episcopatum:* - Ratto; Cincius; Arrach.

### Auditores ab Eo creati

#### Magistri:

558. *Hyeronimus Sanminiati.* Locum Rotae, vacantem ob promotionem domini de Valentibus ad Datariam Ssmi, obtinuit Hieronimus de Sanminiatis, Florentinus, cuius inquisitio incoepta fuit die 7 oct. 1730. - Natus die 11 ian. 1684 ex Ascanio Sanminiati, Senatore, nobili Florentino, et Cassandra Comitissa Bardi, pariter nobili Florentina, lauream doctoratus in utroque iure suscepit in Universitate Pisana; Florentiae fuit prima clericali tonsura insignitus. - Utr. Sign. Referendarius; Ponens et Prosecretarius S. C. Boni Regiminis; Signaturae Iustitiae Auditor.[3] - « Die veneris 23 maii 1733. Sub hac « praesenti die fecimus aliam luctuosam iacturam »: (die 29 april. « obierat d. De Gamaches) b. m. Rpd. Saminiati, Florentini, nimis « quidem immaturo, licet iamdudum praeviso, fato perempti ob eius « habitualem infirmitatem iam inveteratam, ex cuius causa videtur

[1] Vol. III, n. 409, pag. 502.
[2] Cristofori, l. c.
[3] *Arch. Rot., Processus.* vol. II, n. CVII.

« potius nobis fuisse ostensus quam datus, ob frequentia impedimenta « quibus hoc etiam brevi tempore quo inter nos stetit, detineri con- « suevit. Fuit vir integerrimus et summae probitatis et doctrinae ».[1]

*L. I.*, pag. 27: « Hieronimus de Saminiatis, Florentinus, admissus « hac die 9 mart. 1731 ».

559. *Ioannes Ernestus de Arrach.* Defuncto d. Gentilotto, illius in Rota locus concessus fuit d. Ioanni Ernesto de Arrach, cuius inquisitio coepta est die 31 aug. 1731. - Natus ex Aloysio Thoma, Comite de Arrach pro-Rege Neapolis et ex Caecilia Comitissa de Thahausen die 9 april. 1705, Vindobonae, Subdiaconatus ordine fuit insignitus Salisburgi die 7 nov. 1729; doctor autem in utroque iure renunciatus Romae anno 1731, die vero 14 iunii.[2] - *Libro Rotae* 2, scimus Ioannem Ernestum scripsisse et informasse tamquam advocatus cum non esset advocatus, neque in curia Praelatus, quamvis fuisset in Rota per aliquot annos Secretus d. Calcagnini.

*L. I.*, pag. 34: «Ioannes Hernestus de Arrach - Auditor 25 ian. 1732, « iuramentum praestitit ».

Idem Liber S. Rotae eum refert fuisse promotum ad eccl. Nitrien. in Ungaria in Consistorio diei 18 nov. 1737, quo die abiit.[3]

Decisiones illius inter *Volantes*.

560. *Antonius Peralta.* Promoto ad episcopatum Corduben. d. Ratta, eius locus in Rota vacans a die 2 febr. 1732, fuit concessus d. Antonio Peralta, Caesaraugustano, cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari die 23 iun. 1732. - Natus Antonius die 24 febr. 1671, ex Ioanne Peralta et Maria Alcubierre, doctor utriusque iuris, et sacro presbyteratus ordine fuit insignitus. Canonicus eccl. Caesaraugustanae, ac officialis ecclesiasticus principalis pro Regia Catholica Maiestate in Aragoniae Regno; Competentiarum Cancellarius.[4] - « Die iovis « 21 ian. 1745. In Ecclesia S. M. Montis Serrati, Nationis Ara- « gonen. intervenientibus omnibus Patribus, habitae fuerunt hoc mane « exequiae super cadavere Rpd. Peraltae, Auditoris S. Rotae, qui « heri viam universae carnis ingressus fuit, magnum relinquens apud « Patres desiderium sui ob eximiam virtutem, ob prudentiam et « iustitam quam semper excoluit ».[5]

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae*, 2, pag. 316-317.
[2] Ibi, *Processus*, vol. II, n. CVIII.
[3] Ibi, l. c. pag. 352.
[4] Ibi, *Processus*, vol. II, n. CIX.
[5] Ibi, *Diarium Camerale, Liber S. Rotae*, 2, pag. 385.

*L. I.*, pag. 19: « Antonius Peralta, Hispanus ex Aragonia – Au- « ditor admissus die 12 dec. 1732 – Obiit Romae ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

561. *Vaius Maria de Vaiis. – Liber S. Rotae 2* Vaii Mariae electionem in Rotae Auditorem enunciat sub die 23 maii 1733, electi in locum Rpd. Hier. Sanminiati defuncti. – Inquisitionis illius instrumentum est sub die 6 iul. 1733. Nobilis Patren. et Florentinus, Vaius, filius Ioannis et Clementinae de Organis, nobilis Praten., lauream doctoratus in utroque iure adeptus fuit Pisis anno 1699 (stylo Pisano) seu 1698 (stylo Florentino) die 11 maii: omnes vero minores et maiores Ordines Romae recepit, cum iam Praelatus in Curia existeret, die 7 sept. 1733. – Per multos annos fuit utr. Sign. Referendarius; Consultor S. C. Sacris Indulgentiis et Reliquiis praepositae, et S. C. Boni Regiminis; Auditor Generalis Emi Card. Epi. Ostien. et Veliternen.; denique, officio nuncupato « *Concessum* » fuerat a Papa decoratus. Hisce addit *Liber S. Rotae*, Vaium fuisse et Votant. Signat. Gratiae. [1] – Vacata sede Decanali ob promotionem ad cardinalatus apicem d. Marii Millini, Decani, die 10 apr. 1747, Vaius eam conscendit, eamque tenuit usque ad diem 7 ian. 1752, quo – ingravescente senecta – declaratus fuit *Emeritus*. Obiit die 16 ian. 1757. [2]

*L. I.*, pag. 27: « Vaius Maria de Vais, Pratensis – admissus hac « die 11 dec. 1733 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

562. *Alexander Tanarius*. Pompeo Aldrovando ad Urbis Gubernium promoto, et sedis Decanalis renuntiatario, successit Alexander Tanara, electus die 28 sept. 1733. [3] – Instrumentum inquisitionis illius coeptum fuit fabricari die 12 oct. 1733 coram Corio, Decano. Natus Bononiae die 14 oct. 1680, filius Comitis Franciotti de Tanariis et Comitissae Victoriae Malvezzi, Romae recepit clericalem primam tonsuram et minores ordines, ac lauream doctoratus in utroque iure. Utr. Sign. Referendarius; Sign. Iustitiae Votans; Sacrarum Congregationum Consistorialis, Visitationis Apost., Visitationis Carcerum unus ex Votantibus; Ponens Sacrar. Congreg. Immunitatis Ecclesiasticae et Boni Regiminis. [4] – Sacra purpura cohonestatus fuit die 9 sept. 1743. [5]

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. II, n. CX; *Liber S. Rotae*, pag. 316-317.
[2] Parte I, cap. III, *De Decano*.
[3] *Arch. Rot., Liber S. Rotae, 2*, pag. 317; *Processus*, vol. II, n. CXI.
[4] Ibi, *Processus*, l. c.
[5] Ibi, *Liber S. Rotae*, pag. 366.

*L. I.*, pag. 43: « (Tanara) Alexander Tanarius – Auditor die « 17 martii 1734 iuramentum praestiti ».

Decisiones illius numero 277 collegit, argumentis et solitis indicibus exornavit Philippus M. Pirellius, Adv. Consistorialis, qui ductu Tanarii, nonnullos aetatis suae primae annos iuris studio operam dederat. Typis prodierunt Laur. Barbiellini, Romae an. 1746, in duos tomos distributae. Eas etiam est legere inter *Volantes*.

563. *Petrus Franciscus Bussius*. Ad Beneventanam ecclesiam promoto Cincio (Cenci), in eius locum deputatus fuit Auditor Petrus Franciscus Bussius, Romanus, qui Motumproprium praesentavit die 11 ian. 1734, cuius instrumentum inquisitionis est sub die 20 ian. 1734. – Patritius Viterbien. et nobilis Romanus, filius Iulii, Comitis Bussi Viterbien. et Coeciliae Comitissae Maidalchini pariter Viterbien., natus est Romae et baptismatis unda ablutus die 1 aug. 1683. Sacro presbyteratus ordine fuit insignitus in Basilica S. Petri Urbis – cuius erat Canonicus – die 1 febr. 1734: lauream gradumque doctoratus in utroque iure consequutus est Bononiae die 5 iun. 1704. Referendarius utr. Signaturae; Ponens et Decanus S. C. Boni Regiminis; Iudex R. Fabricae S. Petri.[1] – Declarato Decano *Emerito* Vaio de Vais, Bussius Decanum egit, cum titulo Prodecani usque ad diem defunctionis Vaii quae fuit 16 ian. 1757; ab illa autem die Decanus. – Die vero 24 sept. 1759 creatus est cardinalis.[2]

*L. I.*, pag. 51: « Petrus Franciscus Bussius, Romanus – Auditor « iuramentum praestiti die iunii 1734. – Decanus et deinde Car- « dinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

564. *Claudius Franciscus de Montboissier de Beaufort de Canillac*. Dioecesis S. Flori, Comes Lugdunen., Consiliarius Regius, necnon Abbas de Bardello etc. habuit locum Rotae vacantem per obitum D. Ludovici Revault de Gamaches, et nominatione accepta, petiit ut dispensaretur a solitis formalitatibus explendis a noviter electis Auditoribus ante ingressum in Rotam; cui tamen respondit Rota: *Negative*, sub die 30 iul. 1734.[3] – Sacri unda baptismatis fuerat ablutus die 17 oct. 1699, in Eccl. parochiali B. M. de Briounde, natus ex nob. Ignatio et Ludovica de Moitiers de Campotiers. Parisiis in S. Theologia fuit doctor renunciatus in *Sorbona* die 4 nov. 1733; Romae vero lauream doctoratus in utroque iure consequutus est in Archi-

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. III, n. CXII.
[2] Parte I, caput III, *De Decano*.
[3] *Arch. Rot., Liber S. Rotae, 2*, pag. 331.

gymnasio *Sapientiae* die 25 sept. 1734 cum iam esset electus Rotae Auditor. – Vicarius Gener. Epi. Rothomagensis.[1] – De anno 1754 de Canillac vices implens Decani, nolebat cum ceteris Auditoribus precibus noviter electi Auditoris Urbani Paracciani petentis se dispensari ab formalitatibus Novitiatus, facere satis. Quapropter recurrente Paracciani ad Papam Ben. XIV, hic scripsit duas epistolas, quas exhibui in vol. III, pag. 549 sq., sub nn. 430 et 431. – Petro Francisco Bussio, Decano, ad cardinalatus honores evecto, de Canillac successit in munus Decanale die 24 sept. 1759, eodemque munere functus est ad diem usque 29 ian. 1761 quo, degens Parisiis, viam universae carnis est ingressus.[2] - « Communis viget opinio » - scribit Riminaldus in *Diario* suo – « quod eius accelerandae morti non « mediocrem causam praebuerit aegritudo animi quam conceperat « ex quo in promotione anni 1759 cardinalitiam dignitatem non obti- « nuerat: eidem tamen persuasum esse debuerat quod citra nomi- « nationem Regis Galliarum Cardinalatum assequi nequivisset ».

*L. I.*, pag. 47: « Ego Claudius Franciscus de Canillac hac die « 18 martii 1735. – Decanus post promotionem Bussii 24 sept. 1759: « obiit 4 febr. 1761 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

565. *Ioannes Baptista Vicecomes* (*Visconti*) « In locum... d. Mar- « cellini Corii... ad Gubernium almae Urbis... assumpti » electus et deputatus fuit; nobilis, patritius Mediolanen. Motumproprium praesentavit die 15 nov. 1734.[3] - Pater illi fuerat Comes Carolus de Vicecomitibus, regius, ducalis Senator Mediolani, et mater nobilis Ursula Belloni. Lauream et gradum doctoratus in utroque iure suscepit anno 1703 in Universitate Papiae: ab Ordinario Recineten. vigore Brevis Apostolici sacros ordines recepit.[4] - « Iovis 17 iul. 1756. « Obiit hac nocte Rpd. Vicecomes, qui munus Auditoris Rotae multos « per annos summa cum dignitate sustinuerat ». Fuerat Regens Poenitentiariae:[5] illi successit in Rota Rpd. Olivatius. *Diariis* non constat Ioannem Baptistam fuisse archiepiscopum, uti asserit *Liber iuramenti*.

*L. I.*, pag. 7: « Ioannes Baptista Vicecomes, Mediolanen. – Audi- « tor 1735 – Archiepiscopus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. III, n. CXIII.
[2] Parte I, caput III, *De Decano*.
[3] *Arch. Rot., Liber S. Rotae, 2*, pag. 334.
[4] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXIV.
[5] Ibi, *Diarium Camerale*.

566. *Ioannes Molinus* (*Molio*). Venetus, Motumproprium praesentavit die 1 dec. 1738.[1] - Promotus fuit ad eccl. Brixien. Et in Rota diei 1 oct. 1755 ipse, cum esset Locumtenens, « propediem « ad suum Episcopatum profecturus, valedixit Dominis ».[2] - In Consistorio diei 23 nov. 1761 Clemens XIII eum creavit cardinalem.[3]

*L. I.*, pag. 23: « Ioannes Molino, Venetus, iuramentum praestiti « die 23 iun. 1739 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

567. *Ioseph de Thunn*. Successit domino de Arrach et die 17 nov. 1739 sustinuit suas publicas theses.[4] - Sub die 23 febr. 1742 fuit renunciatus episcopus Ghurgen., quem Papa ipse in suo secreto sacello consecravit: remansit in Rota Locumtenens.[5] - Discessus a Rota de mense oct. 1744 iturus ad electionem Archiepiscopi Salisburgen., Romam amplius non rediit, et tandem litteris sub dato 25 nov. 1745 licentiam petiit a S. Tribunali.[6]

*L. I.*, pag. 34: « Iosephus de Thunn - Auditor die 29 dec. 1739 « iuramentum praestitit. - Factus Episcopus Garcensis, deinde Cas« saviensis L. R. A. P. ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

568. *Nicolaus Lana*. Marcello Crescentio, renuntiatario, successit Nicolaus Lana qui Motumproprium praesentavit die 5 oct. 1739.[7] - Instrumentum inquisitionis illius coepit fabricari die 19 oct. 1739. Romae natus die 14 nov. 1671 ex Ioanne de la Lana, gallo, et Angela Turchi, romana, lauream doctoratus in utroque iure in gymnasio *Sapientia* consequutus fuit die 30 ian. 1706. Sacerdos de an. 1726; Commissarius C. A. nominatus die 18 mart. 1723; Praelatus domesticus die 19 febr. 1726.[8]

*L. I.*, pag. 11: « Nicolaus Lana, Romanus - Auditor die 9 dec. 1740. « - Obiit Romae 21 nov. 1749 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae, 2*, pag. 354.

[2] Ibi, *Diarium Camerale*. Notat *Liber Rotae, 2*, pag. 432: « Novus Auditor « Venetus non ideo fuit designatus propter quaedam oborta dissidia inter Sanctam « Sedem ac Rempublicam ».

[3] Ibi, *Diarium Camerale*.

[4] Ibi, *Liber S. Rotae, 2*, pag. 356.

[5] Ibi, l. c., pag. 362.

[6] Ibi, *Diarium Camerale; Liber S. Rotae, 2*, pag. 393, die 6 dec. 1745.

[7] Ibi, *Liber S. Rotae, 2*, pag. 355.

[8] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXV.

## § VI.

### Benedictus XIV.

*(17 aug. 1740 - 3 maii 1758).*

Defuncto Clemente XII die 6 febr. 1740, Sedes vacavit ad diem usque 17 augusti quo « renunciatus fuit Summus Pontifex Ems Card. « Prosper Lambertini, Archiepiscopus Bononiae, qui sibi nomen impo- « suit Benedictus XIV ».[1] Calcagnino, Decano, petenti licentiam aperiendi Tribunal die 23 illius mensis, hanc dedit, illique « ostendit se « optare ut componeretur controversia iamdiu vigens inter Auditores « S. Rotae et Advocatos Aulae Concistorialis circa horum receptio- « nem in die qua aperitur Rota ».

Die 4 sept. insequentis, Auditores Rotae introducti fuerunt coram Ssmo « qui eos humanissime recepit, testatus se maximi habere « Rotae Tribunal, eosque admonuit ut in Decisionibus *essent brevio- « res* et cauti in allegandis Auctoribus modernis, nec responderent « obiectis quae sunt irrelevantia, licet hoc expeterent Defensores ». Et in obsequium Pontificis, die 17 ejusdem mensis composita fuit differentia quae erat, iam a pontificatu Clementis XI, cum Advocatis Consistorialibus; statutumque fuit quod res reponerentur in eo statu quo erant ante supradictam exortam dissentionem et solum quod Auditores qui equitaturi sunt in die qua aperitur Rota concederent manum Advocatis Consistorialibus propriae domi tam in eorum receptione quam in descensu schalarum.

Titulo largitionis, occasione suae electionis in Pontificem, Benedictus scuta 200 pro quolibet Auditore concessit, et die 19 nov. 1742 finem imponere volens annosae et iam senescenti liti, in Rota pendenti, inter Episcopum Conversani et Ordinem Fratrum S. Ioannis Hyerosolimitani super exercitio iurisdictionis ordinariae in oppido *Putiniani* Conversanensis dioeceseos, Rotam adscivit in consilium coram se, causamque ipse definivit, datis litteris Decretalibus, *Apostolicae servitutis* die *14 mart. 1743*.[2]

Ediderat S. Congregatio Caeremonialis die 22 nov. 1742 Decretum, ab Benedicto insequenti die adprobatum, quo inter alia, decernebatur, « quod nulli Praelatorum, cuiusvis Ordinis aut Collegii fue- « rint qui Roccheti praerogativa potitur, in posterum liceat eodem

[1] *Arch. Rot, Liber S. Rotae, 2*, pag. 359 et ssq.; inde exscriptae aut desumptae sunt insequentes etiam adnotationes.

[2] Vol. III, pag. 517, n. 417.

« induto, per Urbem incedere ». Benedictus, cum resciverit eidem decreto Auditores Rotae debitam praestitisse obedientiam, etsi in illo nulla facta fuisset mentio Brevis Innocentii X diei 7 mart. 1635 ipsis Auditoribus amplissimum ubicumque temporum et locorum Roccheto induendi privilegium concedentis, die 10 april. 1743 Constitutionem edidit *Praeclara debitae* in qua profitens, se, qui postquam sedulam utriusque iuris studiis operam dedisset, sub disciplina clar. mem. Alexandri, primum causarum S. P. Auditoris, deinde S. R. E. cardinalis, Caprara, per plures annos, praestito apud idem Collegium sacramento, in causarum controversiarumque ab eorundem Capellanorum Auditorio decidendarum pro virili parte versatus erat, magna existimationis opinione erga Rotam teneri, declaravit non immerito, Auditoribus Rotae, non obstante praefato decreto S. Congregationis, competere privilegiatum ius, « facultatem et licentiam « deferendi Rocchettum, sive ad Pontificias Cappellas et Functiones, « sive ad Auditorium accedentes et deinde discedentes » in omnibus et per omnia confirmans praefatum Breve Innocentii X. Quapropter Auditores Rotae Pontificem adierunt die 22 illius mensis, Ei gratias agentes, eisque Benedictus iterum significavit, se maxima affici erga Rotam existimatione.[1]

Cum autem non resultaret, Auditoribus concessum fuisse privilegium regendi S. Poenitentiariam, sed tantum huiusmodi officium consuevissent Pontifices pro tempore eis tradere, Benedictus XIV « in argumentum sui amoris erga S. Tribunal, volebat constitutione, « seu Bullâ, huiusmodi ius concedere aut confirmare ». Hoc de anno 1744.

Sed Benedictus qui libenter recordabatur se olim fuisse *Secretum Rotae*, propter quod et Rotam existimatione prosequebatur et amore, nequibat non vehementius meminisse, se fuisse Advocatorum Consistorialium collegio aggregatum. Ideo benevolentiae suae erga Rotam editis non levibus signis, coepit non immerito amoris pignora Consistorialibus Advocatis dare, Constitutionem edens die *29 aug.* eiusdem anni 1744, *Inter conspicuos*, qua, confirmatis privilegiis, indultis et iuribus Advocatorum Consistorialium ac definitis eorum numero ac muneribus, inter alia sanxit, quod « nominatio Advocatorum Con- « sistorialium in casu vacationis quae a s. m. Clemente XII fuerat « privative tributa S. Rotae, abrogata Clementina, privative transfe- « ratur in Collegium Advocatorum ..., quod imponatur Auditoribus

[1] Vol. III, pag. 518, nn. 418 et 419.

« designatis onus petendi per supplicem libellum, facultatem induendi « Pallium seu Abitum eorumdem Advocatorum ab eorum Collegio ». Contra quae, Rota, debita qua par erat subiectione, reclamavit, suosque sensus Pontifici pandidit per Emum Card. a Secretis Status, qui omnibus Benedicto relatis, in mandatis habuit scripto respondendi S. Tribunali, Papam voluisse aliquod pignus amoris dare Advocatis Consistorialibus, qui iam tot tantaque contulerat Rotae. [1]

Anno 1476, sexto nonas octobris, Constitutionem edidit *Iustitiae et pacis* in qua nedum « distinguuntur causae quae privative in poste- « rum definiri debent in Sacra Rota, et in quibus privative debent « acta conficere Notarii Rotales, sed etiam modus praescribitur circa « nova suffragia adhibenda in causis in quibus, ob scissuram voto- « rum, nulla prodiit resolutio » : Eique Auditores grates referre pro ea cunctati non sunt; et de mense novembris illius anni declaravit « ut causae omnes in quibus rescriptum fuerat simpliciter: *Iterum* « *proponatur*, reproponerentur cum suffragio Quinti, Sexti et Septimi, « cum etiam in his eadem recurreret ratio celerioris expeditionis ». [2]

Die vero 15 sept. 1747 iterum voluit Rotam haberi coram Se, Auditorum exquirens sententias in causa quae vertebatur inter Canonicos et Capitulum Ecclesiae Colleg. Odenheimensis in Bruchsal et Promotorem Fiscalem Curiae Episcopalis Spirensis, quam supremo suo iudicio definivit, datis litteris Decretalibus *Causarum Palatii* diei 16 nov. 1747. [3]

Occasione electionis d. Paracciani in Auditorem Rotae an. 1754 quem Auditores cum difficultate admittebant quippe qui nonnulla, Rotae ingrata, dixerat, Benedictus XIV duas epistolas Rotae Decano scripsit, fortiter iniungens ut Paraccianus mox admitteretur; et ne ipsa fortitudo pacem quam Pontifex cupide optabat magis magisque abrumperet, suavitate temperat, inquiens: « Noi abbiamo assistito sette anni, « in qualità di Segreto alla felice memoria del Card. Caprara, quando « era Uditore di Rota, ed eravamo un Segreto che parlava e scri- « veva, ed abbiam sempre mantenuto affetto e stima al Tribunale; « e questo è il motivo per cui non facciamo alcun passo addirit- « tura, ma bramiamo, che il passo si faccia dal Tribunale. Termi- « niamo col dare a Monsig. nostro di Canillac e suoi Colleghi l'Apo- « stolica Benedizione. Datum ex Arce Castri Gandulphi die 6 iunii 1754. « Pontificatus nostri anno Decimo quarto ». [4]

[1] Vol. III, pag. 522, n. 420: *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, pag. 523, n. 421.
[3] Ibi, pag. 536, n. 422.
[4] Ibi, pag. 545 ssq., nn. 430 et 431. Cetera videas in III vol. a pag. 538 ad pag. 559.

Benedicti XIV obitus en quibusnam verbis adnotatur in Diariis: « *Mercurii 3 maii 1758:* – post gravem diuturnumque morbum in « quo admirabilem animi constantiam servavit, suaeque pastoralis « sollicitudini satisfacere non desiit, hoc mane circa horam duodeci- « mam obiit Ssmus D. N. Benedictus XIV P. M., cuius tum ob « praeclaras animi dotes, cum ob res sive gestas sive scriptas, immor- « talis erit apud homines memoria ».

*Vice-Cancellarius* illi fuit card. Ruffo T.; Hieron. card. Columna; card. Archintus. [1]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* C. Calcagnini; A. Tanari; Millini; Mattei.
*Ad Episcopatum:* de Thunn; Migazzi; Cortada; Borrul.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

569. *Cornelius Caprara.* Die 9 sept. 1743 a Benedicto XIV, in locum et ob ascensum ad s. purpuram Emi et Rmi D. « Alexandri « Tanari » electus et deputatus fuit ad Auditoratum Rotae Cornelius Monti Bendini, nuncupatus Caprara, nobilis et patritius Bononien., cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari die 14 oct. 1743. [2] – Filius Francisci Mariae Monti Bendini et Marchionissae Valeriae Beroaldi, natus erat Bononiae, ubi lauream doctoratus in utroque iure suscepit et clericali caractere fuit insignitus. Gaudebat *praelatura* « instituta a b. m. Card. *Caprara, a qua* iuxta illius institutum, « *desumit ipse cognomen* »: fuit Praelatus domesticus, utr. Sign. Referendarius, quo munere durante, functus fuit munere Praelati domestici, Ponentis S. C. Rev. Fabricae, necnon Boni Regiminis, et per decem annos Votantis Sign. Iustitiae. [3] - Cornelius Rotae valedixit mense sept. 1756, renunciatus Urbis Gubernator, eique in successorem datus fuit Rpd. Ratta, Bononien. Die vero 22 nov. 1761 Clemens XIII eum creavit cardinalem. [4]

*L. I.*, pag. 43: « Cornelius Caprara - Auditor die aprilis 1744 « iuramentum praestiti. – Obiit Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes.*

[1] Cristofori, l. c., pag. 439.
[2] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[3] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXVI.
[4] Ibi, *Diarium Camerale.*

570. *Caietanus Elephantutius* (*Fantucci*). Die 9 sept. 1743 Benedictus XIV, « in locum et ob ascensum ad s. purpuram d. Calca« gnini » elegit et deputavit in Auditorem Rotae Caietanum Elephantutium nobilem ac patritium Ravennatensem et Ferrariensem. – Natus erat in Villa Gualdi dioec. Ravennaten. et solemniter baptizatus fuit Ravennae in parochiali eccl. S. Ioann. in Fonte die 6 april. 1709, filius Antonii, comitis, et Olimpiae Gottifredi Ravennatensium. Avus illius, Comes Pandulfus, creatus fuerat nobilis et Patritius Ferrarien. an. 1680, cum omnibus iuribus civium Ferrariensium et ampliori qua poterat forma; proindeque Caietanus nepos, in quem cum sanguine iura avi descenderant, potuit in Auditorem Ferrariensem eligi et deputari. Ravennae lauream doctoratus in utroque iure ab Universitate illius antiquissimae et nobilissimae urbis suscepit an. 1730, die vero 14 nov. [1] Item Ravennae ab Archiepiscopo Maffeo Farsetti die 18 iun. 1730 primam clericalem tonsuram recepit. – Utr. Sign. Referendarius. [2] – Caietanus cum Camerarius Rotae fuit, curavit, seriem non interruptam *Diariorum* rotalium archivio comparare, ne ab anno 1583, ad sua usque tempora rerum rotalium continuum testimonium deficeret. – Cardinalis creatus die 24 sept. 1759. [3]

*L. I.*, pag. 15: « Caietanus Elephantutius civis Ferrariensis, hac « die aprilis 1744 admissus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

571. *Idelphonsus Clemente de Arostegui*. Locum Rotae vacantem per obitum d. Nuñez obtinuit « ad nominationem Ser. Regis Cathol. « Hispan. » pro Regnis « Castellae et Legionis », Idelphonsus Clemente de Arostegui, die 14 iul. 1745. – Filius nobilis Petri et nobilis Elisabethae Canayate de la Cueba; i. u. d., publice legit per plures annos in utroque iure in Universitate Complutensi. Minoribus ordinibus erat insignitus: per multos annos fuit insignis ac maioris Academiae Complutensis Sodalis: *Concordia Pastoralis* publicae luci dedit anno 1734, quo ad Regium Aragonae Senatum promotus fuit. [4] – Promotus ad Praesidentatum Regni Castellae, die 13 febr. 1750

[1] In diplomate doctoratus Caietani, inserto tabulis processualibus, legitur, Pium IV « amplissimum iuris utriusque Consultorum Collegium instituisse Raven« nae » et Benedic. XIII an. 1726 antiqua dicti Collegii privilegia confirmasse et ampliasse, illi concedendo facultatem in perpetuum « coronandi viros poeticae facul« tatis praestantia probatos, praesertim latine doctos ».

[2] *Arch. Rot., Processus*, vol. III, n. CXVII.

[3] Ibi, *Liber S. Rotae*, 2, pag. 467.

[4] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXVIII.

Rotae valedixit, Hispaniam petiturus, ut inibi sibi novum a Rege conlatum munus exerceret. [1]

*L. I.*, pag. 31: « Idelphonsus Clemente Arostegui - Auditor die « mart. 1746. – Promotus ad Consilium Regium Castellae ».

Decisiones illius argumentis et indicibus solitis exornatae fuerunt, ab Caietano Centomani in Curia Adv. et olim studiorum Adiutor; has publicavit Romae 1781 typis Barbiellini sumptibus suis. Legi possunt etiam inter *Volantes*.

572. *Iacobus Cortada*. Locus Rotae quem obtinebat d. A. Peralta def. concessus fuit Iacobo Cortada, Hispano, qui Motumproprium cum nominatione ad Praelaturam domesticam praesentavit die 11 februarii 1746; illius processus est sub data 26 febr. 1746. – Filius Raphaelis Cortada et Iosephae Biù; caractere sacerdotali insignitus et laurea doctoratus in utroque iure decoratus fuit. Archidiaconus Cathedr. Barchinonen.; Iudex Regii Tribunalis pro controversiis « circa bona Titularium qui absentes in partibus Inimicorum versa- « bantur »: Adiunctus supremo Tribunali Cancellariatus totius Pr ncipatus Catalauniae et iudicaturae Competentiarum. [2] – Die 2 augusti 1752 fuit promotus ad episcopat. Zamoren. De sua nominatione ad episcopatum Zamoren. nuncium recepit ab Hispaniis die 7 februarii 1752; sed Rotae non valedixit nisi die 2 aug. 1752 absoluta congregatione rotali Memorialium. [3]

*L. I.*, pag. 19: « Iacobus Cortada Auditor Aragonen ... decem- « bris 1746 Eps. Zamoren. ... Aug. 1752 translatus ad Archiepi- « scopatum Tarraconensem ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

573. *Christophorus Migazzi*. Germanus, successit domino de Thunn, et Motumproprium praesentavit die 22 april. 1746: illius processus est sub data 2 maii 1746. – Filius Vincentii Migazzi, Comitis de Soleturno et Barbarae, natae Baronissae a Prato; sacerdos, doctor in utroque iure, cuius doctoratus lauream et gradum consequutus fuerat Romae. – Benedictus XIV eum fecit Praelatum domesticum. [4] – Ex Rotae Auditore fuit promotus ad archiep. Carthaginen. et factus fuit coadiutor cardinalis de Alsatia, de Bossu de Chymai, archiep. Mechlinien. sub die 22 oct. 1751: « Die 4 oct. 1751 ... « Rpd. Christopharus Migazzi ... praemissis urbanitatis officiis erga ...

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae*, 2, pag. 408.
[2] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXIX.
[3] Ibi, *Liber S. Rotae*, 2, pag. 412.
[4] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXX.

« Coaudjtores, Auditoratui S. Rotae valedicens, a s. Tribunali reces- « sit ». [1] – In consistorio autem diei 23 nov. 1761, Clemens XIII eum sacra purpura decoravit. [2]

*L. I.*, pag. 34 : « Christhophorus de Migazzi Auditor – factus « coadiutor Meclinien. ... Archieps. Viennensis S. R. I. Princeps Admi- « nistrator Eccl. Vacensis, et die a Clem. XIII S. R. E. « Cardinalis creatus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

574. *Aloisius Matthaeius* (*Mattei*). Locum Rotae, vacantem per promotionem d. Millini ad cardinalatum factam in Consistorio diei 10 aprilis 1747, concessit Bened. XIV, Aloisio Mattei nobili atque Principi Romano, cuius inquisitio coepta est sub die 5 maii 1747. – Natus Romae, die 17 martii 1702 ex Alexandro Duce Joviis et Theresia Nari, Romae promeruit lauream in utroque iure, die 31 ian. 1727; ac de anno 1743, sacro presbyteratus ordine insignitus. – « per 20 « et ultra annos utr. Sign. Referendarius; Ss. Congregationum Boni « Regiminis ac Fabricae S. Petri Praelatus; eiusdem Rev. Fabricae « Tribunalis Judex Ordinarius; rursus Tribunalis Emi et Rmi d. Card. « Camerarii Auditor, ac deinde R. C. A. Clericus usque quo S. R. « Auditor fuit deputatus ». [3] – Die 26 nov. 1753 idem Benedictus XIV eum creabat cardinalem. [4]

*L. I.*, pag. 39: « Aloisius Matthaeius Auditor die decemb. 1747 « - creatus Cardinalis a Ssmo D. N. Bened. XIV, die nov. 1753 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

575. *Franciscus Felix Amadeus* (*Amadei*). Domino Lana, defuncto die 21 nov. 1749, successit Franciscus Felix Amadei, nobilis Romanus, cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari die 12 dec. 1749. – Natus Romae die 18 dec. 1704 ex Patre Caesare Isidoro et matre Clara Maria Inghirami, tonsuram primam et minores ordines recepit item Romae die dominico 21 ian. 1725 : Romae quoque in *Sapientia* lauream et gradum doctoratus in utroque iure est consequutus anno 1733, die vero 17 martii. – Per 16 annos et ultra « Utr. Sign. « Referendarius; Officialis Datariae Apost. nuncupat. *Concessum;* ac « R. Fabricae S. Petri Praelatus; ... Signaturae Justitiae Votans; ... « S. Firmanae Congregat. Secretarius; ac S. C. Boni Regiminis « Praelatus et demum ... R. C. A. Auditoris Generalis in Civilibus

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae*, 2, pag. 410.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXXI.
[4] Ibi, *Liber S. Rotae*, 2, pag. 416.

« Locumtenens ». [1] – Benedictus XIV illi concessit posse in Rotam intervenire post generales ferias autumni, dilatis formalitatibus praesentationis Papae. [2] – Vitae diem clausit extremum die 21 nov. 1755: « eximiae profecto integritatis vir, adeoque in labore assiduus, ut sibi « nunquam satisfacere videretur quo aliis uberius satisfaceret: quod « sane in causa fuit ut immaturus obierit, nec sine magni nominis aesti- « matione maximoque sui desiderio ». [3]

*L. I.*, pag. 11: « Franciscus Felix Amadeus, Romanus, praestiti « iuramentum die 12 iun. 1750 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

576. *Emmanuel Figueroa*. Electus et deputatus in locum d. Clemente de Arostegui - illius inquisitio fabricari coepta est die 20 oct. 1750. – Natus ex Emmanuele de Figueroa et Maria Barrëyro, baptizatus die 21 dec. 1708 Compostellae: laùream in iure Canonico consequutus an. 1733 die 22 iulii in Universitate Abulen.; iuris vero Civilis duobus post diebus in eadem Universitate. Sacerdos ordinatus die 15 iunii 1737. Regens cathedrae extraordinariae iuris civilis et Canonici in universitate Maiori Vallisoletana; Canonicus doctoralis Eccles. Cathedr. Aurien.: Vicarius Generalis et Capitularis totius dioces. Aurien.: Gubernator in spiritualibus, iudex Delegatus S. Cruciatae; Abbas de Covarruvias cum iurisdictione quasiepiscopali; Abbas Abbatiae Ssmae Trinitatis; Archidiaconus de Nendos in Eccl. Compostellana. [4] – Rotae valedixit die 12 mart. 1756, iturus ad Matritum ad conspicua obeunda munera, sibi ab Hispaniarum Rege collata. [5]

*L. I.*, pag. 31: « Emmanuel Bonaventura Figueroa Auditor « die 1751 promotus ad Cameram et Regium Consilium « Castellae ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

577. *Ioannes Carolus de Stadion*. Christophoro Migazzi successit de Stadion, Germanus, qui Motumproprium praesentavit die 6 oct. 1752 cuius processus est sub anno 1752. – Natus Moguntiae, baptizatus die 16 ian. 1726, ex Ioanne Philippo Comite de Stadion et Maria Anna libera Baronissa de Wambold; presbyter consecratus die 22 maii 1752 cum iam nominatus fuisset Auditor Rotae pro Im-

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. III, n. CXXII.
[2] Ibi, *Admissiones, Varia*, n. 24.
[3] Ibi, *Diarium Camerale*.
[4] Ibi, *Processus*, Vol. III, n. CXXIII.
[5] Ibi, *Diarium Camerale*.

perio Germano.[1] Romae, die 23 nov. 1752 consequutus est in *Sapientia* lauream et gradum in utroque iure et denique die 16 septemb. 1752 fuit admissus inter Praelatos domesticos Papae.[2] – Rotae Auditoratui valedixit « post longam a Curia absentiam fastidio Curiae « vel Urbis » per epistolam Rotae praesentatam sub die 11 iun. 1757.[3]

*L. I.*, pag. 35: « Carolus de Stadion – Auditor 16 oct. 1757 « – deinde S. R. E. Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

578. *Franciscus Borrull*. Hispanus, praesentavit Motumproprium die 17 nov. 1752 electus in locum d. Cortada, episcopi Zamoren., pro Regnis Aragoniae. – Natus Valentiae die 12 oct. 1699 ex Petro Borrull et Maria Bernarda Ramon, sacerdotio cohonestatus et lauream gradumque doctoratus in utroque iure consequutus fuit, civili an. 1719, canonico an. 1722 in Universitate Valentina. Nobilis, Canonicus Metropolitanae Valentinae, quem die 16 oct. 1752 Benedictus XIV accensuit inter Praelatos domesticos.[4] – Die 9 sept. 1757 « Patres certioravit de sua electione ad Episcopatum Derthusen., « atque attenta eius praeconizatione in proximo Consistorio minime « amplius gavisurum honore interessendi Rotalibus Comitiis ».[5]

*L. I.*, pag. 19: « Franciscus Borrull, Hispanus ex Valentia – Audi- « tor die 4 iunii 1753 iuramentum praestiti. – Promotus ad Eccl. Tor- « lonensem ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

579. *Urbanus Paraccianus* (*Paracciani*). Nobilis ac patritius romanus, i. u. d. – locum Rotae obtinuit vacantem per promotionem Aloisii Mattei ad cardinalatum, sub die 26 nov. 1753. – Filius Rutilii et Magdalenae Vitelleschi, baptizatus die 8 febr. 1715; presbyter anno 1738; decoratus laurea graduque doctorali in utroque iure a Ven. Collegio doctorum Mutinae; utr. Sign. Referendarius; A. C. in civilibus Locumtenens.[6] – Illius admissio in Rota contestata fuit acriter ab Auditoribus, eum nolentibus recipere quippe qui nonnulla dixerat Rotae ingrata; eum tamen viriliter sustinuit Benedictus XIV,

[1] Amanuensis in tenore processus scripsit: « millesimo septingentesimo « secundo »: sed evidenter ipse oblitus est addere « quinquagesimo » uti scripserat in initio processus. Quod si Stadion sacram ordinationem recepisset an. 1702, sacerdos fuisset antequam nasceretur!

[2] *Arch. Rot., Processus*, vol. III, n. CXXIV.

[3] Ibi, *Liber S. Rotae*, 2, pag. 463.

[4] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXXV.

[5] Ibi, *Diarium Frangipane; Liber S. Rotae*, 2, pag. 444.

[6] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXXVI.

qui binas epistolas familiares dedit Revmo Decano Rotae, [1] - Decanus fuit post Canillac a die 14 febr. 1761 ad 9 iul. 1764. Decanatui valedixit factus archiepiscopus Firmanus, citata die: sed mansit in Rota ad diem usque 3 aug. 1764, Locumtenens. [2] - In Consistorio die 26 sept. 1766 creatus fuit cardinalis, et Pontifex declaravit in ista promotione, se non attendere penes Paraccianum dignitatem archiepiscopi Firmani, sed Decani Rotae, quamvis e Rota iam duobus abhinc annis abesset; propter quod Rota egit Pontifici gratias quas usque consuevit Papae referre quoties contigit aliquem ex Auditoribus ad cardinalatum promoveri. [3]

*L. I.*, pag. 40: « Urbanus Paraccianus, Romanus, praestiti iura-« mentum die 26 iun. 1754. – Evectus ad Archiep. Firmanum « an. 1764 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

580. *Bartholomaeus Olivatius* (*Olivazzi*). Officium Auditoratus per b. m. Visconti obitum vacans, die 17 aug. 1755 contulit Benedictus XIV Magistro Bartholomaeo Olivazzi, patritio Mediolanen., i. u. d., qui Motumproprium praesentavit die 1 oct. 1755 Bussio, pro-Decano. - Processus est sub data 10 oct. 1755. Natus die 24 aug. 1704 ex Georgio et Ioanna Olivazza Mediolani, doctor in utroque iure fuit renunciatus a publica Universitate Papien. In palatino gymnasio Mediolanen. interpres graecae et latinae eloquentiae per tria fere lustra; die 1 febr. 1739 Praelatus domesticus et die 9 eiusdem locum habuit in S. Congregatione Visitationis. Die 11 nov. 1740 nominatus « alla « Accademia dei Concilii, istituita da S. Santità Benedetto XIV »; die 7 iul. 1741 deputatus in Votantem Sign. Iustitiae; die 1 april. eiusdem anni consecratus Romae sacerdos; die 26 maii 1747 Vicarius Sacros. Basilicae Liberianae. De anno 1753 admissus « nella Con-« gregazione dell'Esame tra gli Esaminatori in Sagri Canoni ed in « oltre..... nella Congregazione di Fermo ». Denique, vices implevit Segretarii Congr. examinis Episcoporum anno 1755. [4] – Decanus a die 9 iul. 1764 ad diem 11 sept. 1769 quo evectus fuit ad archiep. Amasiae et episcopatum Papien.; Rotae tamen non valedixit, nisi die 11 decembris praedicti anni 1769. [5]

*L. I.*, pag. 7: « Ego Bartholomaeus Olivatius, Mediolanen. - Auditor - praestiti iuramentum die 26 mart. 1756 ».

[1] Vol. III, pag. 545 ssq. nn. 430 et 431.
[2] Part. I, Caput III, *De Decano*.
[3] *Arch. Rot., Diarium Camerale; Liber S. Rotae*, 2, pag. 680.
[4] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXVII.
[5] Part. I, Caput III, *De Decano*.

Decisiones illius 7 tomis distributas publicavit, adiectis argumentis et solitis summariis cum indice seorsim in octavo tomo impresso, Caesar Herionus qui « prope 14 annos a studiis fuerat uni ex 12 Viris iam ibi « sedenti, eidemque primo ac Seniori Bartholomaeo Olivazzio ». In fine septimi voluminis addita sunt « responsa seu vota pro veritate » Caesaris Herioni et Alexandri Cecchini. Decisiones sunt numero 718.

581. *Petrus Frangipane*. Successit in locum b. m. Francisci Felicis Amadei defuncti, et gratiam Pontificis obtinuit VIII kal. dec. anno XVI (scilicet 24 nov. 1755). – Eius inquisitio coepta fuit die 10 dec. 1755. Natus Romae die 16 iul. 1718 ex Marchione Pompeo et Agnete Chigi Montori, clericali caractere insignitus fuit die 18 aug. 1745, doctorali autem laurea in utroque iure die 1 aprilis 1746 Romae, cuius erat nobilis et patritius. Utr. Sign. Refer.; Canonicus S. Petri; Ponens Ss. CC. Boni Regiminis, Visitat. Apost. et Visitat. Carcerum; Ponens S. Consultae et denique Assessor Gubernii Urbis. [1] - In *Admiss.* adest supplicatio illius qua petit a Pontifice facultatem votandi in causis, et assistendi in Cappella.[2] - Obiit post longam quinque mensium corporis afflictationem, die 12 nov. 1762, magnum sui relinquens desiderium « propter suave ingenium, egregium stu- « dium, operamque assidue navatam decidendis controversiis ». [3]

*L. I.*, pag. 11 : « Petrus Frangipani, Romanus, iuramentum prae- « stiti die 24 maii 1756 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

582. *Ioseph Garzia Herreros*, nobilis Seguntinus, presbyter, in utroque iure licentiatus, obtinuit gratiam Pontificis VIII idus maii anno XVI (8 maii 1756) cuius cedulam Motusproprii praesentavit, et acceptata fuit a Rota, die 14 maii 1756. Habuit locum d. Figueroa, vacantem per liberam dimissionem factam a d. Figueroa et acceptatam. - Natus die 18 dec. 1699 ex nobili Ioanne et Antonia Herreros in loco « Hinososa » dioec. Seguntin., presbyter ordinatus fuit die 18 april. 1745. Consiliarius Regius; inquisitor in Trib. Murciae; Vicarius generalis exercituum Hispan.; Lector in utroque iure in Universitatibus Salamantina, Vallisoletana et Seguntina; Vicarius generalis episcopi Murciae. - Cum laurea doctorali careret et sola *licentia* in utroque praeditus esset, a Pontifice petiit et obtinuit ut a laurea adipiscenda dispensaretur. [4] - In *Admiss.* asservatur illius suppli-

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. III, n. CXXVIII.
[2] Ibi, l. c., *Varia,* n. 55.
[3] Ibi, *Diarium Camerale.*
[4] Ibi, *Processus*, Vol. III, n. CXXIX.

catio qua petit se posse violaceis vestibus induere, seu petit ut renunciaretur Praelatus domesticus, quod obtinuit die 1 maii 1756. [1] - Rotae valedixit die 2 aug. 1765 Hispanias rediturus, in Castiliae Consiliarium a Rege Catholico renunciatus. [2]

*L. I.*, pag. 31: « Iosephus Herreros Auditor die 3 dec. 1756 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

583. *Alexander Ratta*. Cornelius Caprara, promotus ad Gubernium Urbis, libere dimisit in manibus Ssmi, officium Auditoratus Rotae et eius locus ita vacans, concessus fuit Alexandro Ratta, nobili Bononien., cuius Motusproprius sub data VI nonas oct. an. XVII (2 oct. 1756) admissus fuit die 19 nov. 1756. - Eius processus est sub data 29 nov. 1756. Natus Bononiae die 4 maii 1708, inibi consecratus fuit sacerdos die 11 mart. 1744 et doctor i. u. renunciatus die 24 oct. 1730. - Praelatus domesticus die 15 nov. 1756. [3] – Sedem Decanalem quam vacantem reliquit Olivatius, creatus archiep. Amasiae, eps. Papien., conscendit Ratta die 11 sept. 1769 eamque tenuit ad diem usque 27 ian. 1783 quo declaratus fuit *Emeritus*. [4] - Die vero 16 aug. 1783 apoplexia correptus diem clausit extremum. [5]

*L. I.*, pag. 43: « Alexander Ratta Auditor die (?) maii 1757 « iuramentum praestiti ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

584. *Alexander Ubaldus* (*Baldeschi*), nobilis Perusinus, i. u. d., sacerdos - locum obtinuit Vaii de Vais, praedefuncti, Motuproprio dato tertio idus febr. et in Rota admisso die 25 febr, 1757. - Processus illius est sub data 7 mart. 1757. Filius Gentilis Baldeschi et Hyacintae Valenti de Trebbio natus Perusiis die 30 oct. 1691. - Praelatus domesticus, die 19 febr. 1757. [6] - Die 31 dec. 1760 obiit apoplexia correptus, eique successit Rpd. Ugolinus Mannelli. [7]

*L. I.*, pag. 27: « Alexander Marcellus Ubaldus admissus hac die « 18 nov. 1757 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot.*, l, c., *Varia*, n. 20.
[2] Ibi, *Diarium Cornelii*.
[3] Ibi, *Processus*, Vol. III, n. CXXX.
[4] Parte I, Cap. III, *De Decano*.
[5] *Arch. Rot.*, *Diarium Origi*.
[6] Ibi, *Processus*, vol. III, n. CXXXI.
[7] Ibi, *Diarium Camerale*.

## § VII.

### Clemens XIII.

*(6 iul. 1758 - 2 februarii 1769).*

Benedicto XIV, defuncto die 3 maii 1758, successit in Cathedra Petri Clemens XIII, cuius electionis memoriam facit *Diar. Camerale* sequentibus verbis: « *Iovis 6 iul. 1758.* - Haec dies toto Christiano « Orbi iucundissima illuxit. Prodiit enim ex inopinato electio Sum. « Pontificis in persona Emi et Rmi Cardinalis Rezzonici, natione « Veneti, qui *Clementis XIII* sibi nomen imposuit. Tota Urbe non « minus gaudio quam admiratione perculta, novum Pontificem sicut « aliquem non ab hominibus electum, sed e coelo delapsum et divino « prope munere donatum intuetur. Et sane, cum in sacro Cardinalium « Collegio tantam virorum fortium et sanctitate illustrium haberemus « copiam, ut difficile esset deliberare, quinam potissimum tanto muneri « praeficendus foret, nonnisi ad Spiritus Sancti efflatum referri potest « quod electio ceciderit super Virum quem prudentia et integritas « vitae plurimum quidem commendabant, at repellebat invidia tem- « porum et rerum quae inter S. Sedem et Rempublicam Venetiarum « non sine animorum offensione versantur. Quam fausta igitur sunt « huius electionis auspicia, tam illustre videri debet iudicium quod « datum est de fortitudine et integritate Viri, cuius fidem nec Patriae « nec Parentum charitas in suspicionem adducere potuit.

« Nobis vero prae coeteris gloriandum est qui tot per annos in « nostro S. Tribunali Collegam habuimus quem modo Summum Pon- « tificem veneramur. Quod sane non modum, sed maximum Tribu- « nali nostro honoris additamentum est. Hinc enim discent homines, « fuisse S. Rotae Auditores ea semper abstinentia et virtute quae « propter nostrorum temporum mores vel incredibilis vel falso memo- « riae prodita videbatur ».

Die 28 iul. 1758 rotale collegium novum Papam invisit qui Auditores maximam excepit humanitate ita ut « par nobis esse velle vide- « batur, quibuscum tot per annos versatum esse humaniter recorda- « tus est ».

Et de mense augusti cum obtinuerit a Republica Venetiarum abrogationem Senatusconsulti propter quod tam acris exarserat sub Benedicto XIV controversia, « statim renunciavit S. R. Auditorem « Rpd. Cornelium, Venetum, quem, licet aliquibus abhinc annis a « Republica de more commendatum, s. m. Benedictus XIV in col-

« legium nostrum non adscire deliberaverat, nisi prius dissentionum « causa sublata ».

Fuit agitata quaestio praecedentiae inter Commendatarium S. Spiritus et Rotae Tribunal, huiusque quaestionis doctissima Memorialia Clementi hinc inde oblata per extensum referuntur in *Diario Camerali.*

Pridie kal. oct. anno suo II, Clemens Motumproprium edidit *Ex parte Collegii*, quo reformavit constitutionem Bened. XIV *Iustitiae et pacis Custodes* quoad *septimum* suffragium in causis Praelatitiis et quoad numerum eorum qui S. R. Auditoribus cum secreto in Studio assistunt.[1]

Et etiam agitata fuit quaestio praecedentiae inter Protonotarios Apostolicos non partecipantes et Auditores Rotae.

Voluit Clemens antiquum servari morem quod nempe duo adstarent penes Sacram Poenitentiariam Rotae Auditores, ideoque die 24 iun. 1761 Rpd. Paracciano contulit Canonistatum eiusdem S. Poenitentiariae.

Reipublicae Venetae privilegium a Sixto V illi iam concessum praesentandi quatuor Iuris Doctores ex Veneta ditione ex quibus Romanus Pontifex sibi magis benevisum deligeret unum in Auditorem S. R. Rotae, ampliavit ad formam privilegii quo gaudebant Summi Reges, Romanorum nempe in Germania, Francorum in Galliis, Hispaniarum in suis aliquibus Regnis; ita ut « *non amplius quatuor* I. U. « Doctores, ut antea, proponere deberet (Respublica), *sed unum dum-* « *taxat* ex nobilibus Civibus vel ex honestis Familiis Venetae Domi- « nationis, iuris utriusque laurea pariter donatum eligere et nomi- « nare etc. ».[2]

Quaestionem praecedentiae inter Auditores Rotae et Clericos Camerae definivit, statuens « che li Uditori della medesima Rota deb- « bono tanto in essa Congregazione Camerale quanto in qualunque « altra precedere sempre alli Chierici di Camera ».[3]

Decisum fuit in Rota diei 21 mart. 1761 et decretum « utendo « arbitrio Auditoribus concesso in Motuproprio Clementis edito die « 1 oct. 1759, quod in causis deinceps proponendis, videntibus omni- « bus vel vigore commissionis signatae manu Ssmi vel ex partium « compromisso vel ex Rescripto eiusdem S. Tribunalis, vel demum « ex voto in aliis Tribunalibus sive Congregationibus requisito, causae

[1] Vol. III, pag. 573, insertus Bullae: *Etsi iustitia.*
[2] Ibi, pag. 566, n. 458.
[3] Ibi, pag. 569, n. 462.

« Ponens in aequali dumtaxat suffragantium numero, votum ferre « debeat, non autem in numero dispari, ne alioquin paritas suffragiorum « exinde oriatur. - Vice autem versa, quod in aliis causis in quibus ex « lege Commissionis expresse requisitum fuerit votum Ponentis, « semper et tam in pari numero quam in dispari, illius suffragium cum « aliis cooptetur, servata ad unguem eadem lege commissionis, idque « pro recta causarum proponendarum norma in praesens atque ge- « nerice statuendum putarunt Auditores salva semper facultate aliud « decernendi in circumstantiis et casibus particularibus etc. ». [1]

De mense aug. in lucem dedit Bullam *Etsi iustitia* qua cuncta privilegia S. R. Auditoribus elargita in Decessorum Romanorum Pontificum editis constitutionibus confirmantur.[2]

Suppressit quoque venalitatem seu vacabilitatem officii Notariatus Rotae, Bulla *Licet curandum* diei v kal. ian. 1762, novamque instituit methodum pro illorum directione et exercitio cum opportunis ordinationibus,[3] uti retuli in cap. *De Notariis;* et sub die 30 ian. 1763 tres Auditores Seniores accesserunt ad officia Rotalia et eorum visitationem expleverunt secundum Const. Clementis XIII.

« Non contento di aver fatte ridurre in più elegante e nobile « forma le stanze assegnate nel Palazzo Vaticano a questo Tribu- « nale dalla s. m. di Urbano VIII in luogo delle Innocenziane demo- « lite, si compiacque nell'anno 1762 di provvedere con due sue Con- « stituzioni, pubblicate colle stampe al maggior decoro di q. collegio « ed alla retta amministrazione della giustizia; colla 1ª la quale inco- « mincia *Et si iustitia* confermando li privilegi dati dalle liberalità « di 10 Sommi Pontefici, ve ne ha aggiunti dei nuovi anche più segna- « lati rimettendo l'antico modo del giudicare e la pienezza di ogni « facoltà ed arbitrio nella direzione e rivoluzione delle cause; colla « seconda la quale principia *Licet curandum* ha abolito e soppresso « la venalità degli officii delli Notari della S. Rota restituendo ai « proprietari i loro capitali i quali ora sono devoluti ed applicati alla « C. A. Ha istituito un nuovo metodo e Regolamento per attitare, « dichiarando Collegio tutti li Notari addetti all'esercizio e governo « dei 5 Officii con privilegio di poter rogare qualunque istromento, « testamento ecc. e d'essere riconosciuti per tali da qualunque giu- « dice e Tribunale. Si degnò che (le stanze che fino dalla s. m. di « Paulo V furono assegnate nel Palazzo Quirinale alla Rota) fossero

[1] Vol. III, pag. 565, n. 457.
[2] Ibi, pag. 572, n. 467.
[3] Ibi, pag. 585, n. 468.

« restaurate e ridotte a quella decenza e proprietà che sa desiderare « il suo nobilissimo animo ». Propter quod in iisdem cubiculis aeneam immaginem Pontificis apposuit Rota cum sequenti inscriptione: « Cle- « mens XIII P. M. sedi XII Virum litibus iudicandis – in elegan- « tiorem commodioremque formam redactae – Tabularium addidit et « instruxit, curante I. Battista Rezzonico fratris filio – Pontificiae domus « Praefecto ann. Reparatae salutis MDCCLXVIII – Pontificatus X ». Etiam in cubiculis rotalibus ad Vaticanum Rota Clementi dicavit lapidem ex quo apparet ipsum aedes rotales restaurasse, scalas refecisse, exstruxisse sacellum.

Anno 1759 mense iulio, Rotae dono misit 11 exemplaria suarum Decisionum. [1]

Repentina morte occubuit Clemens XIII hora V noctis diei 2 februarii 1769. [2]

*Vice-Cancellarius* illi fuit card. Archintus; card. Rezzonico; card. Di Iork. [3]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Cardinalatum:* Elephantutius.

*Ad Episcopatum:* Colloredo.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

585. *Ioannes Cornelius* (*Corner*). Quiescente dissidio s. sedem inter et Rempublicam Venetiarum, promoto ad sedem Brixien. d. Molino, eius locum Rotae concessit Pontifex Ioanni Cornelio, clerico, nobili et patritio Venetiarum, Motuproprio diei 1 sept. 1758, quem ipse Cornelius praesentavit die 2 insequentis octobris. - Instrumentum inquisitionis datam praesefert diei 10 oct. 1758. Natus Venetiis die 30 iun. 1720 ex « Messer Niccolò Corner... e Alba Giustiniani... jugali »; sacris minoribus ordinibus insignitus fuit, item Venetiis die 7 iun. 1737: laurea vero doctorali in utroque decoratum Patavii die 10 iun. 1741. - Benedict. XIV eum creavit Protonotarium Apost. de numero partecipantium, dato ei per Breve sub die 19 aug. 1750 iure retinendi gaudendi, fruendi omnibus honoribus et insignibus huiusmodi dignitatis, etiamsi huiusmodi dignitatem dimittere contigerit vel iam dimiserit. [4] – Die 1 dec. 1775. « Post causarum definitionem Rpd. Cornelius

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae,* 2, pag. 464-465.
[2] Ibi, Haec et cetera universa adiuncta ex Diario Camerali desumpsi.
[3] Ibi, *Liber S. Rotae, 2;* CRISTOFORI, l. c.
[4] Ibi, *Processus,* vol. IV, n. CXXXII.

« ad Urbis Gubernium evectus, grati animi officio S. Tribunal est « prosequutus ». Sub die vero 12 febr. 1776 haec narrat idem Rpd. Origo: « Patribus renunciavi, Rpd. Cornelium tradidisse mihi suf- « fragia una cum Diario. Suffragia quidem fuerunt ab eo summa cura « et sollecitudine servata; Diarium vero nulla venustate compositum, « nullaque sollicitudine servatum fuit. Nuda enim in eo descripta fuit « causarum propositio, nec vola in eo reperitur de rebus gestis in « nostro Tribunali. Constat praeterea uno libro, qui *secundi* nomen « praesefert et incipit ab anno 1764, nec an. 1773 praetergreditur... « Patres... mihi commiserunt ut suffragia et Diarium in Archivio « nostro ponerem ».[1] Erat Origo illo anno Camerarius. – Et Diarium manet adhuc archivio.

*L. I.*, pag. 23: « Ioannes Cornelius, Venetus, iuramentum prae- « stiti die 21 mart. 1759 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

586. *Thomas Azpuru*. « Per promotionem ... Francisci Borull ad « Eccl. Derthusen. » vacavit eius locus in Rota, quem Pp. concessit Thomae Azpuru, presbytero, nobili, Caesaraugustano, i. u. d., qui Motumproprium praesentavit die 8 oct. 1758, et cuius instrumentum inquisitionis datam praesefert diei 10 oct. 1758. - Baptizatus die 17 sept. 1713 « in Zaragozza nella Chiesa di S. Paolo » natus ex Petro Nicolao et Emanuella Ximenes, sacro presbyteratus ordine fuit insignitus die 3 iun. 1753 in Civitate Oriolanae dioec. Oriolensis, lauream autem doctoratus in iure canonico consequutus est in Universitate Oriolana die 3 mart. 1753, et in iure civili in Universitate Caesaraugustana die 7 iun. 1754.[2] – « Lunae 12 martii 1770. Hac « in Rota renunciatus fuit Eps. Valentinus Rpd. Azpuru »; et turni inde mutati fuere.[3]

*L. I.*, pag. 19: « Thomas Azpuru, Hispanus ex Caesaraugusta, « Auditor die 30 mart. 1759 iuramentum praestiti ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

587. *Franciscus Xaverius de Zelada*. Presbyter, romanus, obtinuit locum Rotae vacantem per promotionem P. F. Bussi ad cardinalatum die 25 sept. 1759. – Processus est sub data 12 octobris 1759. Natus die 27 aug. 1717 ex « Ioan. Hyacinto, quondam Ioannis Murciano « Carthaginen. dioeces. et Emanuela Rodriguez ... Oveten. dioec. » presbyteratus ordine insignitus die 30 oct. 1740, et laurea in utroque

[1] *Arch. Rot., Diariun Camerale.*
[2] Ibi, *Processus,* vol. IV, n. CXXXIII.
[3] Ibi, *Diarium Guerra.*

iure, Romae. - Utr. Signat. Refer.; Rev. Fabricae S. P. Praelatus; S. C. Boni Regiminis Ponens; Auditor civilis Camerae Auditoris generalis et Iudex; Auditor Supremi Tribunalis Signaturae iustitiae; Locumtenens in civilibus A. C.[1] – In Consistorio diei 26 sept. 1766 Papa « fecit etiam Secretarium S. C. Concilii interpretis Rpd. Zelada; « pernicioso tamen exemplo et quasi retrogrado passu, cum nemo « unus unquam exstiterit ex iis in nostro Ordine adscriptis qui, « quasi retrocedendo, ad S. C. Concilii transierit, Secretarii munus « gesturus ».[2]

*L. I.*, pag. 51: « Franciscus Xaverius de Zelada, Romanus, Audi- « tor, iuramentum praestiti die 14 mart. 1760. - Obiit S. Purpura « cohonestatus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

588. *Ioannes Maria Riminaldus*. « Locus Auditoratus causarum « pal. Apost. ... quem ... Caietanus S. R. E. Cardinalis Elephantu- « tius ... in sui personam nuper obtinebat, per illius promotionem ad « Cardinalatus sublimitatem » vacans, fuit concessus Ioan. Mariae Riminaldi, nobili, patritio Ferrarien., Motuproprio diei 28 sept. 1759, cuius inquisitio incoepta fuit sub die 12 oct. 1759. - Ioannes M. natus Ferrariae die 5 oct. 1718 ex Comite Francisco et Victoria Aroli Trotti, clericali caractere fuit insignitus Romae die 31 iul. 1746 ubi etiam lauream et gradum doctoratus in utroque iure fuerat consequutus die 20 maii 1745; Utr. Sig. Refer.; Praelatus domesticus; S. C. Boni Regiminis Ponens; Signat. Gratiae Votans; per annos 12 C. A. Auditor Generalis et Iudex Ordinarius.[3] – Cum Riminaldus eadem die obtinuerit *gratiam Pontificis* ac d. Zelada, controversia orta est cuinam ex duobus praecedentia super alio competeret. De hac quaestione fuso calamo - more suo - scribit ac disserit idem Riminaldus in primis paginis *Diarii* sui, referens ex integro tenorem allegationum tum d. Zelada, tum suarum: et concludit narrans praecedentiam Sacrum Tribunal domino Zelada tribuisse eo quia istius Motusproprius expeditus fuerat aliquot diebus ante Mp. domini Riminaldi. Ratio potissima ob quam Riminaldus praecedentiam sibi contra dominum Zelada vindicabat eo nitebatur quod ipse cum fuisset Votans Signaturae Iustitiae, Praelatus dignior erat Zelada, qui erat tantum Locumtenens Auditoris Camerae. - Riminaldus fuit per aliquot dies Pro-Decanus de mense ian. et febr. 1783, cum Ratta declaratus

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. IV, n. CXXXIV.
[2] Ibi, *Liber S. Rotae,* 2, pag. 680.
[3] Ibi, *Processus,* vol. IV, n. CXXXV.

est Decanus emeritus: sed postea Decanus a mense febr. 1783 ad 14 febr. 1785 quo creatus fuit cardinalis.[1] – Laboris multum Riminaldus impendit pro reordinando ad Quirinale Palatium archivium decanale, et cum in hoc peragendo opere, veteribus archivii chartis amicus evaserit, facile sibi persuasum habuit historiam Tribunalis funditus se novisse; in suo *Diario*, in *Diario Camerali*, pro biennio quo Camerarius fuit, et in aliis manuscriptis voluminibus multa asseruit, quae tamen vero conformia non omnia inveniuntur. Utcumque, multa quae fuso calamo scriptis consignavit et hodie manent archivio, perutilia sunt et illi ius tribuunt ut inter Auditores accenseatur Rotae benemerentiores.

*L. I.*, pag. 15.: « Ioannes Maria Riminaldus, Ferrariensis, hac « die 27 martii 1760 admissus. - Creatus Cardinalis die 14 febr. 1785 ».

Decisiones in 7 tomos cum solitis argumentis et indice in 2 tom. contento, distributae, collectae fuerunt ab Belisario Cristaldi, olim Secretus Rotae, et magna ex parte expensis ipsius cardinalis Riminaldi typis excussae fuerunt Romae 1789. Numero sunt 800. Etiam legere eas est inter *Volantes*.

589. *Hieronimus Ioseph Colloredo*. Locus Auditoratus Rotae, vacans « per liberam dimissionem » in manibus Papae facta a d. De Stadion et per Papam admissam, concessus fuit Hieronimo Iosepho Colloredo, Comite S. R. I., Viennen., in sacro subdiaconatus ordine constituto, cuius Motusproprius fuit admissus die 14 dec. 1759. -- Instrumentum inquisitionis illius datam praesefert 14 ian. 1760. Natus ex Rodulpho Iosepho, S. R. Imperii Comite de Valdsee, Vicecomite de Melf, Marchione de S. Sophia, Domino in Oppotschna, Statzf Archidapifero in Regno Bohemiae, equite aurei Velleris, Regis Hungariae et Bohemiae consiliario intimo, Confidentiarum Ministro actuali, S. R. Imperii Vicecancellario, et ex Maria Gabriela nata S. R. Imp. Comitissa de Starhemberg, baptizatus fuit Vindobonae die 1 iun. 1730. Laurea doctoratus in iure utroque cohonestatus fuit Romae die 28 apr. 1755. Inter Praelatos domesticos fuit accensitus die 8 dec. 1759.[2] - « Die 17 febr. 1762 ... Tandem Rpd. Colloredus, S. R. Auditor « Germanus, expleto adamussim anno post suum ab Urbe discessum « et postquam vix in aliquibus Rotis anni 1760 suum tulit suffragium, « recens Emo Card. a Secretis Status suo Epistolio significavit, se « ab Imperatrice Regina in episcopum Gurcensem nominatum fuisse,

[1] Part. I, Caput III, *De Decano*.
[2] *Arch. Rot., Processus*, vol. IV, n. CXXXVI.

« ac idcirco ad Auditoratus Rotae exercitium in posterum se conferre « haud posse. ... Haec autem iamdiu animo persenseram »: – adnotat Riminaldus in suo *Diario* – « etenim eo usque quo Rpd. Colloredus « Urbe abscessit, illud continuo firmum habui, eumdem in posterum « non rediturum ». Et de hac sua praevisione summopere laetatur Riminaldus, subiungens: « Id enim est sapere, non quod ante pedes « modo est, videre, sed etiam illa quae futura sunt, prospicere ».[1]

*L. I.*, pag. 35: « Hieronimus Colloredo, Auditor, hac die 20 iun. 1760 « admissus. – Eps. Gurcensis, deinde Archiep. Salisburgen. electus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

590. *Ugulinus Maria Mannelli*. Domino Ubaldo, apoplexia correpto die 11 dec. 1759, successit Ugolinus, cuius electionem *Liber S. Rotae* refert accidisse die 2 ian. 1760. - In tenore Motusproprii inserti instrumento inquisitionis illius Ubaldus appellatur italice Baldeschi, et Ugulinus perhibetur patritius Florentinus, in utr. Sign. Referendarius, et i. u. d. - Motusproprius qui datus fuit nonis ianuariis anno III Clementis, fuit praesentatus et admissus die 9 ian. 1761. - Instrumentum inquisitionis datam praesefert 7 febr. 1761. Natus die 27 febr. 1719, Florentiae ex Iacopo Mannelli, Senatore, et Maria Constantia Del Borgo, clericalem tonsuram recepit an. 1752 sub die 19 martii Romae, ubi quoque lauream doctoratus in iure utroque consequutus fuerat an. 1750, die vero 18 iulii; Gubernator Fabriani; Ponens SS. CC. Indulgentiarum et Immunitatis, ac S. Consultae.[2] - Die 14 aprilis 1784 e vivis ereptus est, illique datus fuit in successorem Comes Franciscus Cesarei, Perusinus.[3]

*L. I.*, pag. 27: « Ugulinus Mannelli, Florentinus, admissus hac « die 26 iun. 1761 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

591. *Ioseph Alphonsus Verrus* (*De Very*). « In locum b. m. « Claudii ... de Canillac, a Ssmo D. N. Pp. » Clemente fuit electus et deputatus in Auditorem Rotae I. Alphonsus de Very, presbyter Vasionen., cuius nominatio, facta ab Francorum Rege enunciatur in *Libro S. Rotae* sub die *24 april. 1761*. At sub die 23 febr. illius anni, eam adnotabat, in suo *Diario* Riminaldus, his verbis: « Post « obitum Rmi Canillac, Galliarum Rex in eius locum deputavit abba- « tem de Very, comitatus Avenionensis. Nulla autem exstat memoria « quod alius exstiterit subditus Papae, nominatus ad Auditoratum

[1] *Arch. Rot., Diarium Riminaldi.*
[2] Ibi, *Processus*, vol. IV, n. CXXXVII.
[3] Ibi, *Diarium Origo.*

« Rotae a Galliarum Rege ». - Instrumentum processus illius datam praesefert diei 1 dec. 1762. Filius nobilis Ludovici de Very et Ioannae de Berton de Crillon, loci Segureti dioeces. Vasionen., baptizatus est die 16 oct. 1729. Presbyteratus ordine insignitus an. 1749. Lauream Theologiae tantum, quam consequutus fuerat in Univers. Sorbonae, callebat quum Auditor Rotae renunciatus fuit: et quin lauream doctoralem in utroque iure adsciscetur in aliquo ex tot Galliarum vel Italicarum Universitatum Studio, obtinuit ut doctor utr. iuris nominaretur a Pontifice per breve diei 22 dec. 1762. - Motusproprius collationis Auditoratus est sub data *pridie idus nov. anno V.* - Praelatus domesticus. [1] – Novissima Rota cui interfuit d. Very fuit de mense iulio 1771: postea *Diaria* Riminaldi et Cornelii eum notant « absentem ab Urbe » usque ad diem 14 iun. 1772, ex quo non amplius illius nomen occurrit. At in Motuproprio sui successoris d. De Bayane, Papa narrat, d. Very sponte renunciasse officio suo in manibus Ssm̃i. Narrat Rpd. Origo sub die 19 iun. 1772: « quandoquidem autem superioribus diebus « delata ad Urbem fuerat renunciatio Rpd. Very, in cuius locum suf- « fectus est a Christianissimo Rege Dm̃s Abbas De Bayane ... etc. ». Ipse enim sub dato 25 maii 1772 epistolam Rotae dederat, renunciationem suam eidem significans. [2]

*L. I.*, pag. 47: « Ego Iosephus Alphonsus De Veri hac « die 4 maii 1763 praestiti iuramentum ».

Illius Decisiones, in 2 tom. prodierunt an. 1787 Romae apud Ant. Falgonium, solitis indicibus et argumentis exornatae a Roberto Hondedei, Pisauren., Advocato. - Leguntur etiam in Collect. *Volantium.*

592. *Ioannes Baptista de Pergen.* « Die 3 sept. 1762 ... Rpd. Ioan. « Bapt. de Pergen singulis S. R. Auditoribus litteras dedit, quibus « significavit honori sibi futurum ut inter huius Ordinis Collegas ex « nominatione Imperatoris Augusti cooptaretur ». [3] - Habuit locum vacantem per promotionem d. Colloredo ad Eccl. Gurcen. et Motusproprius datus fuit *IX kal. dec. anno V* seu 23 nov. 1762 - Inquisitio datam praesefert 8 dec. 1762. Comes, nobilis Viennen.; presbyter, S. Theol. doctor, natus erat Viennae, ex Ioanne Ferdinando S. R. I. Comite et Domino de Pergen et Elisabetha ab Orlich, et baptizatus die 17 april. 1720. Praelatus domesticus die 23 nov. 1762, et per *Breve* diei 25 ian. 1763 declaratus a Clemente doctor in utroque

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. IV, n. CXXXVIII.
[2] Vol. III, pag. 615, n. 472.
[3] Ibi. *Diarium Camerale.*

iure.[1] - « Lunae 29 ian. 1770 Rotae valedixit Rpd. Pergen, renunciatus « Eps. Mantuanus ».[2]

*L. I.*, pag. 35 : « Ioannes Baptista Pergen, Auditor, hac « die 10 iun. 1763 praestiti iuramentum. - Eps. Mantuanus desi- « gnatus anno 1769 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

593. *Bernardinus Giraud*. « Cum ... locus unius Auditoris cau- « sarum P. Apost. ... quem b. m. Magister Petrus Frangipane in « sui persona dum viveret, obtinebat, per eiusdem obitum vaca- « verit » electus et deputatus fuit in Aud. Rotae Bernardinus Giraud, nobilis Romanus, iur. utr. doctor, Motuproprio diei 16 nov. 1762. – Processus est sub data 3 dec. 1762. Natus die 14 iulii 1721 Romae ex Comite Petro et Altilia Zagaroli, clericali prima tonsura insignitus die 8 oct. 1740, et laurea doctoratus in utr. iure decoratus Senis die 11 sept. 1738. Utr. Sign. Refer.; S. C. Boni Regiminis Ponens; Rev. Fabricae Iudex; Sign. Iustitiae Votans; Locumtenens in civilibus A. C.[3] - Die 26 sept. 1766 Galliam perrexit Nuncius Apostolicus et vacavit Auditoratus.[4]

*L. I.*, pag. 11 : « Bernardinus Giraud, Romanus, praestiti iura- « mentum die 13 maii 1763 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

594. *Innocentius Ioannes de Comitibus* (*Conti*). Promoto ad archiepiscopat. Firmanum d. Paracciano, illico in locum istius fuit nominatus Innocentius Ioan. Conti, natus b. m. ducis Guadagnolae, Stephani, patritius romanus, i. u. d., Motuproprio signato VII idus aug. anno VII, praesentato vero in Rota 1 oct. 1764. – Illius inquisitio datam praesefert diei 12 oct. 1764 : et ex illa colligitur, Innocentium natum ex Stephano et Maria Victoria Ruspoli, clericalem tonsuram et minores ordines recepisse anno 1747 : lauream vero doctoratus in utroque anno 1752, Romae. – Utr. Sign. Referendarius.[5] - Die 8 ian. 1770 renunciatus fuit apostolicus Nuncius ad Regem Portugalliae et Rotae valedixit. Fuit promotus ad eccl. Tyren. in partibus et vacavit ideo locus illius in Rota, quem obtinuit Rpd. Bernardinus Muti.[6]

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. IV, n. CXXXX.
[2] Ibi. *Diarium Guerra.*
[3] Ibi, *Processus*, vol. IV, n. CXXXIX.
[4] Ibi, *Diarium Camerale.*
[5] Ibi, *Processus,* vol IV. n. CXXXXI.
[6] Ibi, *Diaria Origo et Guerra*

*L. I.*, pag. 40: « Ego Innocentius de Comitibus, Romanus, prae-« stiti iuramentum die 15 mart. 1765 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

595. *Ioannes Diaz de la Guerra*. Locus quem obtinuit D. Herreros, concessus fuit Ioanni Diaz de la Guerra presbytero Hispalen. dioec., i. u. d., Motuproprio dato nonis ianuarii anno VIII et in Rota praesentato die 10 dec. 1766. – Natus in civitate Xeres de la Frontera ex Antonio et Elvira Garzia Vergado, baptizatus fuit die 5 iul. 1726: fuit sacerdotio insignitus Toleti die 17 dec. 1757: laureis doctoralibus in utroque iure et S. Theologia decoratus sub diebus respective 23 et 25 sept. 1765 et 26 eiusdem mensis et anni. – Die 24 dec. 1765 annumeratus fuit inter Praelatos domesticos.[1] « 19 iun. 1772. In Consistorio hac die habito renunciatus est Eps. « Maioricensis Rpd. Guerra: peramanter itaque officiosoque sermone « a Tribunali discessit ». Sed tamen Rotae interfuit etiam die 25 illius mensis, qua explicit illius *Diarium*.

*L. I.*, pag. 32: « Ioannes Guerra, Auditor, hac die vigesima « iunii 1766 praestiti iuramentum ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

596. *Carolus Origo*. Bernardino Giraud successit Carolus Origo, nobilis, Romanus, Signaturae iustitiae Votans qui Motumproprium praesentavit die 1 oct. 1766 Olivatio Decano et annumeratus fuit inter Praelatos domesticos die 23 sept. illius anni. - Natus ex Marchione Ottavio et Maria del Palagio, patritiis Romanis, baptizatus fuit die 14 mart. 1726. Canonicus cum esset S. Petri Urbis, in Basilica Vaticana ad titulum sui Canonicatus fuit ad s. diaconatus ordinem promotus die 7 apr. 1753. In Archigymnasio Sapientiae consequutus est in utroque iure lauream doctoratus an. 1754 die vero 14 febr. - Ponens S. C. Boni Regiminis; Assessor Tribunalis Gubernatoris Urbis in criminalibus; Ponens S. Consultae; Diaconus coadiutor Cappellae Pontificis; Votans Signaturae Iustitiae.[2] - Decanus post Riminaldum. Emeritus declaratus an. 1791.[3] - Obiit, apoplectico morbo correptus, die 21 mart. 1792.[4]

*L. I.*, pag, 11: « Carolus Origo, Romanus, praestiti iuramentum « die 3 april. 1767 ».

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. IV, n. CXXXXII.
[2] Ibi, *Processus*, vol. IV, n. CXXXXIV.
[3] Part. I, cap. III, *De Decano*.
[4] *Arch. Rot., Diarium Camerale*.

Illius *Diarium*, tres complectens tomos, summa diligentia compositum est et adnotationibus utillimis plenum.

Decisiones illius inter *Volantes*.

597. *Petrus Antonius Riccius*. Motuproprio dato v kal. oct. an. IX et in Rota praesentato 1 oct. 1766, Clemens XIII concessit Petro Antonio Ricci, nobili romano, locum vacantem per dimissionem factam sponte a d. Zelada. - Die 22 aug. 1704 natus Romae ex Ioanne Ricci Romano et Lucretia Tanara Bononien.: sabbato « sitientes » die 3 april. an. 1756 ad s. diaconatus ordinem fuit promotus qui Canonicus erat S. Petri Urbis in ipsa S. Petri Basilica: doctor in utroque iure renuntiatus anno 1742, die vero 26 ian. in Archigimnasio Sapientiae. - Signaturae Votans.[1] - Sub die 15 maii 1775, adnotat Rpd. Origo; « Hesterna die post malam valetudinem, non admodum diu- « turnam, supremum diem obiit Rpd. meus Riccius ».

*L. I.*, pag. 51: « Petrus Antonius Riccius Romanus Auditor « iuramentum praestiti die 28 iunii 1767 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

## § VIII.

## Clemens XIV.

### (*19 maii 1769 - 21 septembris 1774*).

« Post diuturnum 3 mensis spatium aliorumque dierum, tandem uni- « versali totius Urbis et Orbis placitu, Emi Cardinales omnes, nemine « discrepante, *Emum Card. Ganganelli* in Pontificem elegerunt, nomine- « que sibi imposito Clementis XIV, iam toti Ecclesiae pacem totis viribus « restituere conatur. - Postmodum vero, vix eius sequuta incoronatione, « arbitrium tribuit Rmo pd. Decano, Olivatio, ut in posterum, iuxta « morem, Rotae reassumi possent ». - Ita in suo *Diario*, Riminaldus.

Clemens XIV tradidit Rotae praestationes menstruas pro mensibus quibus Sedes vacavit, ac donativum: et Rotam humanissime excepit die 5 iul. illius anni. - Anno 1770 constitutionem edidit « Cum primum »[2] qua, renovatis privilegiis Auditorum Rotae, praefinit methodum eligendi Studiorum Adiutores ac Secretos eorumque firmat qualitatem verorum officialium Papae et apost. sedis.

Obiit x kal. oct. (*21 sept.*) 1774.[3]

*Vice-Cancellarius* illi fuit card. Di Iork.[4]

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. IV, n. CXXXXIII.
[2] Vol. III, pag. 598, n. 471.
[3] *Arch. Rot., Diaria Riminaldi et Origo.*
[4] Cristofori, l. c.

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Episcopatum:* Olivatius; de Comitibus; Pergen; Azpuru; Diaz de la Guerra.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

598. *Alexander Litta.* Clemens XIV, Motuproprio dato XI kal. febr. an. I et in Rota admisso die 24 ian. 1770, locum auditoratus Rotae per promotionem d. B. Olivazzi ad episcop. Papien. vacantem, contulit Alexandro Litta, clerico, patritio Mediolanen., i. u. d. et utr. Sign. Referendario, cuius inquisitionis processus incoeptus fuit sub die 12 febr. 1770. – Natus Derthonae die 9 marti 1719 ex Marchione Camillo, Mediolanen., Derthonen. civitatis Gubernatore, et Constantia Belcredi, coniugibus, sacrisque minoribus ordinibus Cremonae insignitus an. 1741, die vero 31 maii, Papiae lauream et gradus doctoratus in utroque iure die 6 apr. 1743 consequutus fuit. – Consistorialis Advocatus; utr. Signaturae Referendarius.[1] - Ultima Rota cui interfuit, contigit die 3 aug. 1781 et die 18 sept. Pontifex signavit Motumproprium Rpd. Resta, qui Rotae locum vacantem obtinuit per obitum Rpd. Litta.[2]

*L. I.*, pag. 7: « Ego Alexander Litta, Modignianus, iuramentum « praestiti die 4 iul. currentis huiusce anni 1770. - Creatus cardinalis « omni virtutum genere cohonestatus maxima subivit munera ».[3]

Decisiones illius inter *Volantes.*

599. *Bernardinus Mutus Bussius.* « In locum Illmi et Rmi d. Inno- « centii de Comitibus, ex Ducibus Guadagnolae, occasione istius « promotionis ad Eccl. Archiepiscopalem Tyrien. in partibus infide- « lium », Clemens XIV assumpsit in Auditorem Rotae Bernardinum Muti, presbyterum, nobilem, patritium Romanum, inter Praelatos Curiae adscriptum, Motuproprio dato XI kal. februarii an. I et in Rota admisso die 24 ian. 1770 cuius processus est sub data 19 febr. 1770. – Natus die 24 april. 1732 ex Marchione Innocentio et Francisca Spada, lauream et gradum doctoratus in utroque iure Bernardinus consequutus fuit Romae in Archigymn. Sapientiae die 30 aug. 1758.

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. IV, n. CXXXXV.

[2] Ibi, *Diarium Camerale;* cfr. inferius pag. 265, n. 609: *Ioannes Resta.*

[3] Puto per errorem haec fuisse addita; nam quomodo potuit Alexander fieri cardinalem qui certe obiit anno 1781 Auditor Rotae, cuius locus vacavit « *per obitum* » uti Papa asserit in motuproprio Ioannis Resta, illius successoris?

- Die 14 dec. 1758 Praelatus utr. Sign. Referen.; postmodum Ponens S. C. B. Regiminis; deinde Auditor C. A. et Signaturae Iustitiae.[1]

Promotus ad ecclesiam Petren. et missus Nuncius Apost. in Portugalliam, Rotae valedixit;[2] eum in *Diario* suo Riminaldus adhuc praesentem in Rota, die 10 sept, 1773 exhibet, et sub die 1 oct. insequentis narrat fuisse illa die registratum Motumproprium Rpd. Soderini « usque a mense sept. Auditor Romanus S. R. in locum Rpd. Muti, declaratus ». Bernardini *Diarium* explicit die 2 aug. 1773.

*L. I.*, pag. 40: « Ego Bernardinus Muti, Romanus, praestiti iura-« mentum die 9 iul. 1770 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

600. *Franciscus Herzan d'Harras*. Motuproprio, dato v idus iulii anno Clementis XIV secundo, et in Rota admisso die 1 oct. 1770, locum Auditoratus Rotae, vacantem per promotionem d. I. B. de Pergen, Viennen. in Austria ad Eccl. Mantuanam, Pontifex concessit Francisco Herzan, S. R. I. Comiti ab Harras, presbytero Pragen., cuius processus inquisitionis fabricari coepit sub die 3 oct. 1770. - Filius Comitis Ferdinandi et Mariae Annae, natae Baronissae de Putz, unda baptismatis fuerat ablutus Pragae die 4 apr. 1735: anno, vero, 1758 sacro presbyteratus ordine fuit insignitus Romae in Basilica Lateranen. Doctor Philosophiae in Universitate Pragen., Theologiae in Universitate Gregoriana, Romae an. 1753 renunciatus. In utroque autem iure cum doctoratus lauream haud calleret, Pontifex ab ea dispensavit sub die 18 iul. 1770. - Regiae Cappellae Bohemicae et Collegialis Ecclesiae ad Omnes Sanctos Decanus, necnon Abbas Infulatus B. M. V. in Almad Regni Hungariae Praelatus, ac Papae Praelatus domesticus.[3]

*L. I.*, pag. 35: « Franciscus Herzan d'Harras, hac die 18 martii 1771 « praestiti iuramentum. - Creatus Cardinalis a SSmo D. N. Pio VI die « 12 iunii 1779 ad preces S. Maiestatis Mariae Theresiae Imperatricis « et Hungariae Reginae ».

Sed in *Diario* Rpd. Origo legitur Herzan fuisse creatum Cardinalem die *12 iulii 1779*.

Decisiones illius tribus voluminibus solitis argumentis, summariis et indicibus exornatae publici iuris factae sunt Romae an. 1789 typis Perego Salvioni. Et legere est etiam eas inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. IV, n. CXXXXVI.
[2] Cfr. inferius: *Tiberius Soderini*, pag. 261, n. 602.
[3] *Arch. Rot., Processus,* vol. IV, n. CXXXXVII.

601. *Alphonsus Hubert de Lattier de Bayane.* In locum d. Very Alphonsus Hubertus, presbyter Valentiniensis dioeceseos in Delphinatu, i. u. d., nobilis, fuit in Auditorem Rotae electus et deputatus Motuproprio dato « idus nov. ann. III », admissoque in Rota die 16 nov. 1772 ab Ratta, Decano. - Natus die 21 oct. 1739 ex nobili Aloysio et Catharina Calus de Saint Feriol in civitate « Valence », in qua clericalem primam tonsuram recepit an. 1755 die vero 1 octobris, fuit a Clemente XIV declaratus Doctor utr. iuris per Breve die 12 ian. 1773.[1] - Pro-Decanus a die 9 febr. ad 21 mart. 1792 et Decanus ad diem 9 aug. 1802, quo creatus fuit cardinalis.[2]

*L. I.*, pag. 47: « Alphonsus Hubertus de Lattier de Bayane hac « die VII maii 1773 praestiti iuramentum. - Obiit Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

602. *Tiberius Soderini.* « In locum Illmi et Rmi D. Bernardini « Muti Bussi ad Archiepiscopalem Ecclesiam Petren. in partibus infi- « delium et Nuntiaturam Portugallien. evecti, electus » fuit a Clemente XIV, Motuproprio, dato « sextodecimo kal. octobris anno « quinto » et « admisso in Rota diei prima (sic) octobris 1773, A. Ratta, « Sac. Rotae Decano ». Processus illius datam praesefert « anno a « nativitate Dñi N.ri Iesu X.sti millesimo septingentesimo septuage- « gesimo tertio, indictione sexta, die vero decimoseptimo mensis « novembris » (17 nov. 1773). « Die 5ª septembris 1736 ... natus ... « ex Illmo D. Comite, Nicolao de Soderinis Romano, et Illma D. Comi- « tissa Portia de Cinciis Romana, ... Romae die 31 augusti 1760 cle- « ricali caractere » insignitus fuit. Romae item, iuris utriusque doctor « creatus fuit in Gymnasio publico Regionis S. Eustachii anno ... 1760 ». - Abbreviator maioris Residentiae; utriusque Signat. Referendarius.[3] – Sub die lunae 3 aprilis 1797, narrat *Diar. Camerale*, quod abso- « luta memorialium relatione, Rmus. ... De Bayane, Decanus, epi- « stolium legit Rev.di Pd. Soderini, qui secundam in S. Tribunali « obtinebat (sedem) et qui praefatum Rmum Decanum certiorem « faciebat, se posteritatis suae amore, ac familiae conservandae studio « incensum, ad soecularia vota transisse, et Mariam Evangelisti, « viduam Roberti, uxorem duxisse; matrimonium vero in faciem eccle- « siae iam die 17 aprilis labentis fuisse celebraturum. Itaque, more « maiorum, mutatae sunt sedes ».

[1] *Arch. Rot., Processus,* vol. IV, n. CXXXXVIIII.
[2] Part. I, caput III, *De Decano.*
[3] *Arch. Rot., Processus,* vol. IV, n. CXXXXIX.

*L. I.*, pag. 40: « Ego Tiberius Soderinus, Romanus, praestiti iura-« mentum hac die 18 martii 1774 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

603. *Antonius de Sentmanat*. In locum b. m. Thomae Azpuru, electus et deputatus fuit in Rotae Auditorem Antonius de Sentmanat pro Corona Aragoniae, cuius Motusproprius collationis Auditoratus admissus fuit a Ratta Decano die 3 iun. 1774. - Natus Barchinonae ex Ioanne Emmanuele de Orns et Santapau de Sentmanat, et ex Marianna de Sentmanat, baptizatus 21 apr. 1734, anno 1758 fuit sacro presbyteratus ordine insignitus. Doctor in iure canonico renunciatus in Universitate Cervariensis an. 1740: Clemens vero XIV sub die 20 maii 1774 eum dispensavit *ex speciali gratia* a doctoratu in iure Caesareo. - Canonicus et Archidiaconus Barchinonen.; Iudex Synodalis; erat in aetatis 39 annorum constitutus, cum Auditor Rotae electus fuit.[1] - Rotae valedixit, promotus episcopus Abulensis in Consistorio diei 17 febr. 1783.[2]

*L. I.*, pag. 19: « Antonius de Sentmanat iuramentum praestiti « hac die 12 maii 1775 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

604. *Franciscus Azedo y Torres*. Successit Ioanni Diaz della Guerra, promoto ab Clemente XIV ad ecclesiam Maioricen., Motuproprio diei 30 maii 1774, qui fuit a Ratta Decano admissus in Rota die 6 iun. illius anni. - Filius nobilis viri Michaelis de Azedo et Ecclesiae de Torres fuit sacerdotali caractere insignitus; Canonicus Doctoralis eccl. Oxomensis et etiam Canonicus Calaguritan. et Toletanus; Examinator Synodalis Oxomen.; iudex subdelegatus in Tribunali s. Cruciatae et « universi Episcopatus Gubernator Provisor et Vicarius « generalis ».[3] - Licentiatus cum esset tantum in utroque iure, petiit et obtinuit a Ssmo ut super defectu gradus doctoralis opportune dispensaretur, die 11 septembr. 1774.[4] - Illiùs *Diarium* explicit die 9 iul. 1787: in ceteris *Diariis* de illo ulla amplius non fit mentio: scimus vero Papam die 1 iul. 1789 signasse Motumproprium illius successoris, nempe Francisci Guardoqui.

*L. I.*, pag. 32: « Franciscus de Azedo hac die 2ª iunii 1775 « praestiti iuramentum ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. IV, n. CL.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] Ibi, *Processus*, vol. IV, n. CLI.
[4] Ibi, *Diarium Azedo*.

## § IX.

### Pius VI.

*(13 febr. 1775 - 29 aug. 1799).*

« Obiit X kal. oct. (22 sept. 1774) Clemens Pp. XIV: quocirca, « de more siluit, Sede Apostolica vacante, Tribunal. - In Summum « denique Pontificem eligitur idib. febr. 1775 (13 febr.) Ioannes Ange- « lus Card. Braschius, qui nomen adlegit Pii VI. Hinc causarum « definitioni rursus data est opera ».

Pius VI menstruas indulsit praestationes quae 5 mensibus, quibus Sedes vacaverat, persolutae Auditoribus non fuerant; indulsit quoque consuetum donativum tum occasione electionis suae, tum tradi solitum in festivitate SS. AA. Petri et Pauli.

Gravissimis polyticis curis detentus, singulare aliquid pro Rota agere Pius VI nequivit, qui ab Urbe deiectus, mense februario 1798, singulari assistentia in exilio gavisus est duorum Rotae Auditorum Despuig et Bardaxi, ac diem vitae exul Valentiae Gallorum extremum clausit die 29 aug. 1799. - Venetiis quo Cardinales et complures Romanae Curiae Praelati convenerant ad Conclave perficiendum, statim ac obitus illius indubia notitia accepta est, « splendide « immortali Pontifici parentatum est, munificentia potissimum Rpd. De- « spuig, Hispani, qui Eum deiectum prostratumque, ad ultimum vitae « spiritum, grandi adiuverat pecunia ».

*Vice-Cancellarius* illi fuit card. Di Iork. [1]

Deiecto ab Urbe Pontifice, romanâque Curia dispersa ac civili eversa Pontificis dominatione, Rotae iurisdictio suspensa mansit a mense februario 1798 ad diem 17 nov. 1800, quo feliciter restituta fuit. [2]

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Herzan; Riminaldi; Roverella.

*Ad Munia minora:* Cornelius; Malvasia; Roverella; Lancellotti.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

605. *Innocentius Mutus de Papazurris.* Petro Antonio Ricci defuncto suffectus fuit Innocentius Muti Papazurri, presbyter, romanus, nobilis, i. u. d., Motuproprio dato die 18 maii 1775 et in Rota

[1] Cristofori, l. c.

[2] Quae retuli ex *Diariis* desumpsi *Origo, Riminali et Camerali.*

admisso die 2 iun. 1775, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 22 iul. 1775. - Marchionis Hieronimi et Annae Mariae Costaguti filius, natus est de mense aprili 1710. Presbyter consecratus die 26 nov. 1741, cum iam esset Canonicus Basilicae Liberianae. - Doctor utr. iur. an. 1743. - Ponens S. C. B. Regiminis; Votans Sig. Iust.; et a Secretis S. C. Firmanae.[1] – Die 2 nov. 1778, apoplexia correptus, mortuus est et in eius locum fuit subrogatus Rpd. Lancellotti. [2]

*L. I.*, pag. 51 : « Innocentius Papazurri iuramentum emisi die « 6 decembris 1775 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

606. *Ludovicus Flangini*. Motuproprio, dato XIV kal. oct. an. II et in Rota admisso diei 2 oct. 1776, in locum Rpd. J. Cornelii ad gubernium A. U. promoti, suffectus fuit Ludovicus Flangini, nobilis venetus, clericus, i. u. d., quem primo Respublica Veneta nominavit in vim privilegii sibi a Clemente XIII concessi.[3] - Instrumentum inquisitionis illius, coram Ratta, Decano, datam praesefert 11 oct. 1776. Fuit Ludovico pater Marcus, Comes S. Oderici Mitterburg et S. R. I.; mater vero Maria Caecilia Giovannelli. Prima clericali tonsura et 4 minoribus ordinibus initiatus, pontificii et caesarei iuris laurea doctoratus condecorari promeruit Patavii. - Complures in patria dignitates est consequutus, et denique in Praelatum domesticum Papae assumptus.[4] – Die 3 aug. 1789 Ludovico, cum Auditoribus in aula rotali commoranti, nuncius suae ad s. purpuram promotionis allatus est, quapropter Rotae valedixit cardinalis. [5]

*L. I.*, pag. 23 : « Ludovicus Flangini, Venetus, iuramentum prae- « stiti die 14 mart. 1772. - Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

607. *Philippus Lancellotti*. Successit hic Rpd. Innocentio Muti, defuncto, et illius Motusproprius fuit admissus in Rota diei 16 novembris 1778. - Processus Philippi est sub data 12 dec. 1778. Natus Romae die 27 aug. 1732, subdiaconatus ordine fuerat insignitus die 20 dec. 1760, cum iam esset Canonicus S. Laurentii in Damaso. Doctor in utr. iure die 28 ianuarii 1762 a romana Sapientia declaratus. - Protonotarius de numero; Assessor in crimi-

[1] *Arch. Rot., Processus*, vol. IV, n. CLII.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] Cfr. vol. III, pag. 566, n. 458.
[4] *Arch. Rot., Processus*, n. CLIII.
[5] Ibi, *Diarium Strasoldi*.

nalibus A. C.; utr. Sign. Referendarius; Signat. Iust. Votans.[1] - Promotus ad officium Praefecti S. P. A. novissime interfuit Rotae die 13 dec. 1786.[2]

*L. I.*, pag. 51: « Ego Philippus Lancellotti fui admissus hac « die 30 aprilis 1779 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

608. *Franciscus Xaverius de Salm.* Ad s. purpuram Rpd. Herzan promoto, Auditor Rotae in eius locum renunciatus fuit Franciscus Xaverius, Comes de Salm Reifferscheid, Canonicus seu Presbyter Viennen. in Austria, Motuproprio dato III nonas ian. ann. V et in Rota admisso die 7 ian. 1780, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 19 ian. 1780. - Natus Viennae ex Antonio S. R. I. Comite de Salm et Raphaela nata Comitissa de Rogendorff, sacri baptismatis unda ablutus fuit die 1 feb. 1749. Omnes sacros ordines suscepit de anno 1775; Canonicus Colonien., Salisburgen., Argentinen., Olomucen.[3] - Laurea doctoratus in utroque cum careret et tantum calleret licentiatus gradum, petiit et obtinuit ut super laurea dispensaretur, et tamen titulo donatus fuit Doctoris in utroque.[4] - Ipso de licentia absente anno 1783, Romae dicebatur sub initio mensis decembris « quod electus fuerit ad Ecclesiam Gurgiensem ». Nec Romam umquam repetiit postea, usque dum die 19 aprilis 1784 Rotae per epistolam nunciatum est, Rpd. de Salm « ultro se abdi- « care a munere Auditoratus ».[5]

*L. I.*, pag. 35: « Franciscus Xaverius Salm Reifferscheid hac die 23 iun. 1780 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

609. *Ioannes Resta.* Defuncto Alexandro Litta, creatus fuit Auditor Rotae Ioannes Resta, clericus, patritius, i. u. d., Mediolanen., cuius Motusproprius datus XIV kal. oct. an. VII, admissus fuit in apertura Rotae die 1 oct. 1781. – Inquisitio illius, coram Riminaldo pro-Decano, « vigore facultatum oretenus sibi concessarum in plena « Rota ab Illmo et Revmo d. Alexandro Ratta, Decano » incoepta fuit die 12 oct. 1781. – Carolus Resta, comes, patritius Mediolanen., et Iulia Visconti, legitimi coniuges, parentes fuere Ioanni, qui ss. minoribus ordinibus fuit insignitus et in Universitate Papien.

[1] *Arch. Rot., Processus,* CLIV.
[2] Ibi, *Diarium Azedo.*
[3] Ibi, *Processus*, n. CLV.
[4] Ibi, *Diarium Origo.*
[5] Ibi, loc. cit.

laurea doctoratus in utroque iure decoratus. - « Prius a Secretis « Cubicularius nominatus exstitit a Clem. XIII, et deinde in R. C. « Praelatus et utr. Signat. Referendarius ... Civitatis Narniae prius « et postea Urbeveteri Gubernator, Praeses Montisalti, Protonotarius « Aplicus supranumerarius ». [1] - Decanus post Bayane a die 9 augusti 1802 ad 1809 quo declaratus est *Emeritus.* [2]

*L. I.*, pag. 7: « Ego Ioannes Resta iuramentum praestiti die 15 martii « currentis huiusce anni 1783. - Obiit Senior in S. Tribunali et cum « infeliciter lumina perdidisset, declaratus Emeritus, eius gessit vices « Rpd. Cesarei, secundus inter Patres ».

Decisiones illius inter *Volantes.*

610. *Alexander Malvasia.* Alexandro Ratta defuncto fuit suffectus Alexander Malvasia, clericus, patritius Bononien., i. u. d., Motuproprio dato XIII kal. sept. an. IX et in Rota registrato in audientia diei 1 oct. 1783, cuius inquisitionis instrumentum est sub data 10 oct. 1783. - Comes Albertus Malvasia et Iunipera Gozzadini, fuerunt Alexandro parentes, qui natus Bononiae die 27 aprilis 1740, clericali tonsura fuit insignitus die 30 oct. 1769. - Romae lauream in utroque iure est consequutus die 25 maii 1770. - Praelatus domesticus et Ponens S. C. B. Regiminis. [3] – Die 23 febr. 1801 Pius Pp. VII d. Malvasiam ad munus Adsessoris S. C. S. Officii evexit, deditque illi in successorem Rpd. Bussium. [4]

*L. I.*, pag. 43 : « Alexander Malvasia, Bononien., Auditor die « 22 martii 1784 iuramentum praestiti. – Obiit Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes.*

611. *Carolus Matthias Comes de Strasoldo.* - In locum d. F. X. de Salm, per liberam dimissionem ab eo factam, vacantem, electus et deputatus fuit in Auditorem Carolus Matthias Comes de Strasoldo, presbyter Goritien., Motuproprio dato IV idus april. ann. X et in Rota admisso die 19 april. 1784, Riminaldo Decano, cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari die 30 april. 1784. – Natus ex Iosepho Comite de Strasoldo et Francisca Porzia, die 28 aprilis 1736 in Civitate Strasoldo, sub die 6 dec. 1761 fuit Romae ad s. presbyteratus ordinem promotus. – Auditor Imperialis et Advocatus in aula Romana. Cum doctoratus laurea in utr. iure careret,

[1] *Arch. Rot. Processus,* n. CLVI.
[2] Parte I, Caput. III, *De Decano.*
[3] *Arch. Rot., Processus,* n. CLVII.
[4] Ibi, *Diaria Origo et Bardaxi.*

dispensationem obtinuit die 15 april. 1784.[1] - In fine *Diarii* illius, qui 4 constat tomis, Gregorius Lauri eius Studiorum Adiutor et exsequutor testamentarius, de eo adnotavit: « Postquam optimus Praesul « Rpd. Carolus Matthias de Strasoldo Graffembergh, ecclesiasticae « disciplinae sedulus cultor, primum a die 10 dec. 1784 summa cum « integritate, dignitate ac omnium laude, Germanorum nomine in « S. R. Auditorio sedit usque ad diem 10 feb. 1798, quo tempore, « ob Gallorum invasionem Pontificium Gubernium sublatum fuit et « Rempublicanum obtinuit: ac deinde profectis Gallis et rebus resti- « tutis, Romam reversus, a die 8 iunii 1801 suo Ordini se reddidit: « exeunte mense novembris an. 1806 biliosa febri cum icterico morbo « coniuncta correptus, die 2 seq. decembris omnibus sacramentis ab « eo ultronee petitis ac summa cum religione et pietate qua semper « omnibus singularis exempli fuerat, receptis maximo omnium et « praesertim mei moerore, obiit hora 2 noctis. Eius funus celebra- « tum fuit in Ecclesia S. M. de Anima, ibique eius cadaver huma- « tum fuit subtus Altare maius ».

*L. I.*, pag. 35: « Carolus Matthias de Strasoldo praestiti iura- « mentum hac die 3 dec. 1784. - Romae obiit anno 1806 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

612. *Franciscus Cesarei de Leonibus*. Locum vacantem per obitum Ugulini Mannelli obtinuit Franciscus Cesarei, clericus, patritius Perusinus, Motuproprio dato XIII kal. maii an. X et in Rota admisso die 26 april. 1784, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 14 maii 1784. – Natus Perusiis ex Armanno, Comite, et Catharina Floramonti die 1 ian. 1757, fuit prima clericali tonsura insignitus die 5 ian. 1766. In cathedrali civitatis Castellis Archidiaconatus potitus est, laureae autem doctoratus in utroque iure Perusiis die 24 septembris 1779. - Intimus cubicularius Ssmi.[2] – Antonio Resta, Decano, declarato *Emerito*, d. Cesarei die 9 iunii 1809 sedem decanalem tenuit prius Pro-Decanus, postea vero Decanus usque ad mensem augustum 1817 quo creatus est Cardinalis.[3]

*L. I.*, pag. 27: « Franciscus Cesarei, Perusinus, admissus hac « die 10 dec. 1784 - S. Ordinis Decanus, deinde Cardinalis et Eps. « Aesinus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLVIII.
[2] Ibi, *Processus*, CLIX.
[3] Parte I, cap. III, *De Decano*.

613. *Aurelius Roverella.* Riminaldo ad s. purpuram promoto subrogatus fuit Aurelius Roverella, clericus, patritius Ferrarien., i. u. d., Motuproprio dato XII kal. mart. an. X et in Rota admisso die 21 febr. 1785, cuius inquisitionis instrumentum est sub data 4 martii 1785. - Die 20 aug. 1748 natus est Caesenae ex Carolo, Comite, et Maria Theresia Toschi. Prima clericali tonsura insignitus fuit Ferrariae die 27 mart. 1762; Romae lauream in utroque consequutus est die 31 decembris 1782. - Advocatorum Consistorialium collegio aggregatus an. 1776.[1] - Die 20 april. 1789 assumptus ad munus Auditoris Ssmi, et die 11 feb. 1794 sacra purpura insignitus fuit.[2]

*L. I.*, pag. 15: « A. Roverella, Ferrariensis, hac die 18 novem- « bris 1785 admissus - elatus fuit ad S. Purpuram ».

Decisiones illius inter *Volantes.*

614. *Antonius Despuig y Dameto.* Promoto d. Antonino de Sentmanat, antea Episcopo Abulen. ad Indiarum Patriarchatum, Auditor renunciatus est Antonius Despuig, presbyter Maioricen., i. u. d., ex Comitibus de Montenegro, Motuproprio dato nonis maii an. XI et admisso in Rota diei 13 maii 1785 cuius inquisitionis instrumentum est sub data 3 iun. 1785. – Natus Maioricae ex Raymundo et Maria Dameto, s. baptismate ablutus fuit die 31 mart. 1745: s. presbyteratus ordine fuit insignitus die 3 iul. 1774: in Universitate Maioricen. lauream doctoratus in utroque iure recepit die 1 iunii 1779. – Eques Hyerosolimitanus; Canonicus Maioricen.[3] - Novissime interfuit Rotae die 3 aug. 1791 quo explicit illius *Diarium*, promotus ad ecclesiam Oriolen.; postea ad patriarchatum Antiochenum et denique, die 11 iul. 1803, ad Cardinalatus honores.[4]

*L. I.*, pag. 19: « Antonius Despuig iuramentum praestiti die « 2 dec. 1785 ».

Decisiones illius inter *Volantes.*

615. *Petrus Paracciani.* Philippo Lancellotti ad officium Praefecti S. P. A. promoto, et per istius liberam dimissionem, vacantem locum Auditoratus Rotae tribuit Pontifex Petro Paracciani, presbytero, nobili Romano, Motuproprio dato pridie nonas ian. an. XII et in Rota admisso die 8 ian. 1787, cuius inquisitionis instrumentum est sub data 22 ian. 1787, coram Origo, Decano, – Natus Romae ex Rutilio Paracciani et Maria Magdalena Vitelleschi die III iul. 1729.

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLX.
[2] Ibi, *Diaria Camerale et Despuig.*
[3] Ibi, *Processus*, n. CLXI.
[4] Ibi, *Diarium Camerale et Despuig.*

s. presbyteratus ordine fuit insignitus die 19 dec. 1772 in Basilica S. Laurentii in Damaso cuius erat Canonicus. Lauream doctoratus in utroque iure reportavit in Archigymnasio Sapientiae die 21 iul. 1769.[1] - Occubuit morte die 16 iul. 1795.[2]

*L. I.*, pag. 51 : « Ego Petrus Paracciani fui admissus die 22 « iunii 1787 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

616. *Nicolaus Acciaioli de Tauroleonibus* (*Toriglioni*). Ad officium Magistri S. P. A. promoto d. Roverella subrogatus fuit Nicolaus Acciajoli, clericus, nobilis quoque Ferrarien., i u. d., Motuproprio dato pridie nonas april. ann. xv et in Rota admisso die 20 april. 1789, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert diei 4 maii 1789. - Florentiae natus die 25 mart. 1753 ex Comite Hiacinto Emmanuele Acciajoli de Vasconcellos et Maria Anna Acciajoli Toriglioni, in Eccl. Ostien. die 13 april. 1787 primam tonsuram clericalem recepit ; in Sapientia Romana lauream doctoratus in utroque iure die 29 mart. 1787 assequutus fuit. - Praelatus domesticus et Utr. Sign. Referendarius.[3] - Ultima Rota cui Rpd. Acciajoli interfuit contigit die 2 aug. 1797 : ab illa die Rotam non amplius est ingressus et tandem aliquando sub die 30 april. 1802, Camerarius Rotae in *Diario* adnotat : « Abdicatione facta a Rpd. Acciajoli, in « eius locum.... suffectus est Advocatus Consistorialis Alexander « Tassoni ».[4]

*L. I.*, pag. 15 : « Nicolaus Acciajoli de Tauro Leonibus Ferra- « riensis hac die 4 nov. an. 1789 admissus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

617. *Antonius Franciscus Gardoqui*. Motuproprio dato kal. iul. ann. xv et in Rota admisso die 8 iulii 1789, Francisco de Azedo fuit subrogatus Franciscus Antonius Gardoqui, presbyter Calaguritanae Dioec., i. u. d. et nobilis, cuius inquisitionis processus datam praesefert 9 oct. 1789. - Natus in civitate Bilbao die 8 oct. 1747 ex Francisco Antonio et Maria Simona Arriquibar, in Universitate Vallisoletana baccalaureatum in theologia et postea lauream in iure Canonico assequutus fuit. De anno 1766, Matriti factus fuit sacerdos. - Vicarius generalis Palentinus et Palentinus Canonicus ad *honorem* ; Promotor fiscalis officii inquisitionis Granaten.; Inquisitor Apo-

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXII.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] Ibi, *Processus*, n. CLXIII.
[4] Ibi, *Diarium Camerale*.

stolicus in civitate Vallisoletana. Dispensatus fuit ab assequutione laureae doctoratus in iure civili.[1] – Rotae valedixit Cardinalis creatus a Pio VII in Consistorio diei 8 martii 1816.[2]

*L. I.*, pag. 32: « Franciscus Antonius de Guardoqui hac die « 12 maii 1790 praestiti iuramentum. - Obiit Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

618 *Ioannes Priolus*. Motuproprio, dato IV kal. maii an. XVI, et admisso in Rota diei 5 mai 1790 ab Origo, Decano, Pontifex elegit et deputavit in Auditorem Rotae d. Ioannem Prioli, qui fuit suffectus d. Flangini, ad s. purpuram evecto. - Illius inquisitio coepta fuit die 17 maii 1790. - Natus ex nobili viro Antonio Marino Quinto, nuncupato Aloysio Priolo, et Lucretia Manin, Venetiis an. 1763 die 20 iunii, sacro presbyteratus ordine fuit insignitus item Venetiis an. 1787; lauream doctoratus in utroque iure assequutus est Patavii an. 1789. - Prior Hospitalis S. Marci; inter Praelatos domesticos accensitus die 24 april. 1790.[3] – Obitum illius sic narrat in *Diario* suo Bardaxi: « Mercurii, 2 dec. 1801. - Hesterna die, hora circiter 4 noctis, « praecoci ereptus est fato Rpd. Ioannes Prioli, Venetus, aetatis suae « an. 38, diuturno enecatus morbo intestinali: cuius cadaver ad Eccl. « parochialem et Collegiatam divi Marci delatum fuit ».

*L. I.*, pag. 23: « Ioannes Priolus, Venetus, iuramentum prae- « stiti die 10 dec. 1790 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

619. *Dionysius Bardaxi y Azara*. Motuproprio dato VIII idus ann. XVII, et in Rota admisso die 9 dec. 1791, Antonio Despuig promoto ad eccl. Oriolen. fuit subrogatus Dionysius Bardaxi y Azara, presbyter Barbastren., nobilis, u. i. d., cuius inquisitionis instrumentum coram Bayane, pro-Decano, coepit fabricari die 9 ian. 1792. - Natus die 9 oct. 1760 ex Iosepho et Maria Anna d'Azara dominis Villae Novae et aliorum locorum, anno 1785 presbyter fuit consecratus. In Universitate Caesaraugustana lauream doctoratus in iure utroque recepit. - Prior in insigni Collegiata S. Annae Barchinonen.[4] - Creatus cardinalis die 8 mart. 1816.[5]

*L. I.*, pag. 19: « Dionysius Bardaxi iuramentum praestiti die XXII mensis iunii an. 1792. - Obiit S. R. E. Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXIV.
[2] Ibi, *Diarium Odescalchi*.
[3] Ibi, *Processus*, n. CLXV.
[4] Ibi, *Processus*, n. CLXVI.
[5] Ibi, *Diarium Odescalchi*,

620. *Hercules Consalvi.* Carolo Origo, defuncto, fuit subrogatus Hercules Consalvi, clericus, romanus, Sign. iust. Votans, Motuproprio dato VII kal. apr. ann. XVIII et in Rota admisso die 28 martii 1792, cuius processus coepit fabricari die 23 april. illius anni. - Vitae auras ebiberat Romae, natus ex Iosepho, romano, et Claudia Carandini, mutinen., nobilibus coniugibus, ac baptizatus fuit die 9 iun. 1757. - Clericus, die 21 sept. 1776. - Doctor in utroque iure die 6 ian. 1789. - Praelatus adiunctus S. Congr. Concilii pro examine relationum visitationum ad limina; Ponens S. C. B. R.; Protonotarius Ap. supranumerarius; Praeses Hospitii pauperum Invalidorum; Votans Sign. Iustitiae. [1] - Pio VI defuncto, an. 1799, Cardinales Venetiis congregati pro eligendo novo Pontifice, Herculem Consalvi nominarunt Pro-Secretarium Conclavis, quod incoepit die 1 dec. 1799 et ab illa die Herculem valedixisse Rotae tenendum est. Nam, novus Pontifex Pius VII, die 13 mart. 1800 eum fecit suum Pro-Secretarium Status, ac denique, die 11 aug. illius anni, sacra purpura decoravit, Romae. [2]

*L. I.*, pag. 11: « Hercules Consalvi, romanus, praestiti iuramen-
« tum die 2 dec. 1792. - Vir fere singularis qui a s. m. Pontificis
« Pii VII promotus ad Sacram Purpuram continuo difficillimis tem-
« poribus fuit Ei ab arcanis Status, quo ita se gessit, ut admira-
« tioni omnium, praesertim exterorum, iustam praebuerit causam,
« dum feliciter implicatissimis molestis negociis sese expediit et felici
« omnium in recordatione obiit ».

Corpus illius iustorum pace fruitur ad S. Marcelli Urbis et super eius tumulo sequens legitur insculpta inscriptio: – « Heic iacent
« Hercules Consalvius, romanus, Diaconus Card. S. M. ad Martyres
« et Andreas Consalvius, romanus, Marchio, eius frater, qui quum
« singulari amore dum vivebant se mutuo dilexissent, corpora etiam
« sua, una eademque urna condi voluere. Vixerunt primus an. LXVIII
« et alter an. XLVI. Decesserunt, primus IX kal. febr. ann. 1824, alter
« id. sept. an. 1807. Orate pro eis. - Locus datus ex gratuita con-
« cessione Archifratriae Ssmi Crucifixi, huius Sacelli Dominae ».

Decisiones illius, numero 73, cum duobus additis Votis decisivis ab Consalvi editis dum S. C. B. Regiminis Votantis munere fungebatur, collegit et typis Bernardini Olivieri publicavit Romae 1852 Alexander ex Comitibus Spetia Mevaniensis, additis solitis summariis, argumentis et indicibus. Adnotat idem Spetia non multas esse Consalvi

[3] *Arch. Rot., Processus,* n. CLXVII.
[4] MORONI, Diz. etc., vol. 53.

Decisiones, vel quia per breve tempus sedit ille in Rota, vel quia turbulentissimis illis temporibus multae deperditae forsan sunt. Hoc autem ego non credo cum res illius temporis bene adhuc conserventur: ratio huius facti probabilior est, Consalvium per integrum ferme lustrum tantummodo ius dixisse: anno insequenti erat ipse iam Pro-Secretarius Conclavis. - Eaedem decisiones non desunt in Collec. *Volantium*.

621. *Angelus Altieri*. Per obitum d. Petri Paracciani locum vacantem Auditoratus Rotae tribuit Pius VI Angelo Altieri, patritio, nobili Romano, Motuproprio dato IX kal. sept. ann. XXI, et in Rota admisso die 2 oct. 1795, cuius inquisitionis processus datam praesefert diei 12 oct. 1795. - Ex Hieronimo Altieri, Duce de Monterano, et Maria Magdalena Borromei, coniugibus, natus est Angelus mense septembri 1734 et prima clericali tonsura die 22 septembris anno 1795 Romae recepit, ibique lauream doctoratus in utroque iure assequutus est die 26 aprilis 1766. - Per novennium praefectus Gubernii civitatis Nursiae; Praeses Comitatus et Civitatis Beneventi; per quatuor annos Praesul civitatis et provinciae Viterbien; et demum Praeses Anconae.[1] - Die 3 aug. 1804 Pius Pp. VII Rpd. Altieri elegit « in suum Praefectum « admissionum » deditque illi successorem in Rota Rpd. Piccolomini.[2]

*L. I.*, pag. 51: « Ego Angelus de Alteriis iuramentum prae- « stiti die 16 martii 1796 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

622. *Ioseph Gavotti*. Per dimissionem Tiberii Soderini, vacantem locum Auditoratus Rotae contulit Pius VI Iosepho Gavotti, Romano, i. u. d., Motuproprio dato VI nonas maii an. XXIII et in Rota admisso die 5 maii 1797, cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari die 9 iun. 1797. – Natus Romae, die 9 sept. 1745, ex Barone Stephano et Marianna Mattei filia Ducis Alexandri, primam clericalem tonsuram recepit die 12 sept. 1758. Laureae doctoratus in iure utroque decoratus fuit anno 1756. - Ponens S. C. Boni Regiminis; Locumtenens A. C. in civilibus; Clericus Rev. Cam.[3] - Pius VII eum promovit ad munus S. P. A. Praefecti, deditque illi in successorem Antonium Rusconi die 9 febr. 1801.[4]

*L. I.*, pag. 40: « Ego Ioseph Gavotti, Romanus, praestiti iura- « mentum hac die sexta decembris 1797 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXVIII.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] Ibi, *Processus*, n, CLXIX.
[4] Ibi, *Diarium Bardaxi*.

# CAPUT X.

## Consilium Rotale.

(*dec. 1799 - nov. 1800*).

Die 29 aug. 1799 Pio VI Valentiae Gallorum in exilio defuncto - Romana Republica eversa die 28 insequentis septembris - Romani Status possessione, iussu Ferdinandi IV Regis Neapolis a Generale Naselli pro futuro Summo Pontifice eligendo, capta die 12 octobris illius anni – illico cogitatum est, inter coetera, de reordinanda administratione iustitiae ad normam antiquarum legum ecclesiasticarum: hinc, cum Auditores Rotae ab Urbe dispersi huc illuc vagassent, cumque ideo impossibile evaderet Rotam incunctanter (ut erat omnium in votis) restituere, creatum fuit tribunal quoddam, quod ius diceret iuxta Rotae regulas et consuetudines, nuncupatum ideo *Consilium Rotale*.

De hoc tribunale penitus tacent *Diaria* tum *Camerale*, tum Auditorum: in archivio tamen asservantur 4 volumina *Positionum* causarum et complura originalia documenta in *Iura diversa*, sub an. 1799-1800. Et forsan ipsum omnino fuisset sub silentio praetereundum, quippe quod nec a Papa, nec a sancta sede fuerat creatum: unde propterea ius non dixit vice Papae a quo quidem ipsi causae commissae non sunt.

Sed, cum fuerit veluti pons per quem e tribunalibus Reipublicae gressus factus fuit ad tribunal Rotae, cumque praesertim ipsum ius dicere novus Pontifex permiserit ad diem usque quo iurisdictio Rotae reddita est, censui de eo aliquam heic facere mentionem.

Ex illius actis quae adhuc archivio manent, eruitur, *Consilium Rotale* tribus saltem iudicibus constasse, qui *Consiliarii* nuncupati fuerunt, quorum unus *Praesidis* nomine decorabatur. Hi fuerunt e coetu Advocatorum adlecti, et causae quarum fuerunt Ponentes, tribus hisce nominibus inscribuntur, vel, nempe: *Advocato Corpina*, vel *Adv. Castrica*, vel *Tavecchia*, olim Rotae studiorum Adiutoribus.

Procedura rotali in definiendis causis usi sunt hi iudices, et non raro ius dixerunt *in figura Signaturae*.

Causa antiquior ab eis definita, datam praesefert diei 17 decembris 1779, et iacet in I Vol. *Positionum - Consilium Rotale - 1800*, septima seriei.

Edita vero a Pio VII Constitutione « Post diuturnas » diei 30 octobris 1800 et veteribus tribunalibus restitutis, *Consilium Rotale* abrogatum mansit, donec die 17 novembris illius anni Rotae reddita fuit iurisdictio.

# CAPUT XI.

## § I.

### Soeculo XIX.

### Sacrae Romanae Rotae generales notae per soeculum XIX.

1. — Ineunte soeculo XIX, Rota quae mori visa erat, reviviscit, siquidem Romae, anno 1800 restituto Pontifice, et Rotae iurisdictio restituta est. Sed ad breve admodum tempus; nam denuo Papa eiicitur et Rota iterum dispersa est et destructa. Redit Papa, redit et Rota: ast anno 1821 eidem ordinarie committuntur in gradu ultimae appellationis, causae ad commercium attinentes. Paulo post, Rota ordinarium tribunal fit appellationum causarum Urbis et pontificiae ditionis, ac iubetur, iuxta communes pro ceteris Status ecclesiastici iudicibus latas leges procedere, iis dumtaxat veteribus stylis servatis qui iisdem novis legibus non contrairent. Rotae ideo figura tribunalis Papae, nempe supremi principis universalis Ecclesiae, dumtaxat manet pro causis extra Urbem et pontificiam ditionem iudicandis, si quae forte delaturae ad papale iudicium in posterum forent.

2. — Itaque, anno 1831 vel 1834, antiqua Rota mortua est: quae autem ad diem usque 20 septembris adhuc vivere visa est, nova Rota fuit, ex novis iuribus et ex fragminibus antiquorum exorta, quae speciem redoluit agentis animam, de quo nescitur an vivat adhuc, vel verius iam supremum efflaverit spiritum.

3. — Revera, unus ex Decanis, Emmanuel Muzzarelli, relicta Rota et tonsura, in castra Reipublicae transmigrat: Auditores nationales non amplius a suis Nationibus servantur, et huc illuc sancta sedes homines quaeritat, ut quantum fieri posset antiqua tribunalis et collegii species servaretur; horum hominum non pauci vel laurea doctorali in iure canonico carent et Doctores renunciantur ex gratia Papae *per Breve;* exinde Papa acceptat ut stylus conclusionum supprimatur, publicis conclusionibus subrogata quadam dissertatione super uno iuris puncto, a Vice-Cancellario assignando novo electo Auditori; Auditorum nonnulli, et ipsi Studiorum Adiutores qui, desciente Auditorum personali eruditione iuris, in dies magis magisque sese extollerant ita ut communis esset opinio ipsis ipsorumque probitate et doctrina Rotae tribunal inniti, male incipiunt de se audire et, politicis passionibus indulgentes, ipsis *Diariis* harum aestus favillas inserunt

4. — Attamen homines vitae doctrinaeque laude conspicui et inter Auditores et inter Studiorum Adiutores ut plurimum adlecti sunt.

Nam sancta sedes totis viribus morituris rebus robur vitae, pro posse afferre adnisa est. Hinc ut perfecti Auditores et Curiae administri sibi praesto essent, iuvenum animos excitavit ut rotalibus Studiis sese scriberent, et ex rotalibus Studiis velut e florescenti viridario, exquisiti officiales Curiae et electissimi Auditores exierunt, uti, inter coeteros, Antonius Dominicus Gamberini et Theodulphus Mertel : denique certum suorum laborum Adiutoribus Studiorum exitum constituit, iisdem ius tribuens ad certa officia in maioribus Status tribunalibus consequenda.

5. – Ast sero: quandoquidem, ruentibus eventibus, civile Pontificis imperium eversum est et Rotae tribunal ab iudicatu cessavit, die 20 septembris 1870. - Sedebant in Rota illa die : Alexander de Magno, Decanus ; Aloysius Serafini ; Aeneas Sbarretti ; Antonius Pellegrini-Amadori ; Antonius Cajani; Franciscus Nardi ; Martialis de Avila (pro regno Aragoniae); Aloysius Giordani ; Aloysius Isoard (Gallus) ; Achilles Apolloni ; Antonius Sibilia : - unus locus vacabat.

## § II.

## Pius VII.

### (*15 mart. 1800. - aug. 1823*).

Pio VI Valentiae Gallorum defuncto, successit Pius VII, cuius electio locum habuit Venetiis. « Coenobium Monachorum D. Bene- « dicti in proxima Venetiarum insula magnifice exstructum ad Con- « clavis usum appositum, ingressi sunt Cardinales Kal. dec. memo- « rati anni (1799) eodem ipso ritu qui servari in Urbe consuevit ; « mirumque fuit ex multis Romanae Curiae Tribunalibus adfuisse « Praesules qui, pro vetusto more, alternis diebus Conclavis veluti « custodes sisterent ; ad septenum usque numerum S. R. Auditores « affuimus, nec defuerunt Clerici Camerae et Signaturae Suffragan- « tes ... Episcopi et Archiepiscopi ex tota fere Italia et Germania ... « Eo omnium vota ferebantur ut quamcitissime novus Pontifex eli- « geretur, cui, praesertim celsissimo Neapolitano Rege impellente, « cuius miles Romanam Rempublicam everterat, reditus pateret ad « Urbem. Tres tamen cum dimidio menses, cunctis frustra obstre- « pentibus, diversis sententiis certatum est, cum tandem, contra spem « omnium, Idibus martii (1800) subita Cardinalium voluntate Pon- « tifex renunciatus est Gregorius Chiaramonte, monachus D. Bene- « dicti et Episcopus Imolensis, vir sane probus et antiqui moris,

« qui incredibili omnium laetitia exceptus, tantam animi laenitatem « et moderationem exhibuit, quanta certe non ab Eo solum qui ad « pontificale fastigium provectus esset, sed ab homine prorsus pri- « vato minime exspectanda videretur ; in eo tamen affirmatam habuit « sententiam, ut quamcitius Romam pergeret, a qua nec Caesaris « assentatorum consilio, nec maritimi itineris periculo flecti passus est, « navim, licet minus instructam, ascendit paratus ad omnia, dum- « modo ad Apostolicam Sedem properaret.

« Ergo feliciter tandem Romam advento, cunctis bonis plauden- « tibus, Pontifice, ineunte mense iulio, statim de veteri restaurando « regimine et restituenda Tribunalium forma actum est, et post editam « Constitutionem tota potissimum Curia exsultante, *die* tandem *17 no-* « *vembris* (*1800*) in aedibus Vaticanis reddita est S. Rotae iurisdi- « ctio, aequitantibus, pro veteri Maiorum instituto, RR. PP. DD. « Gavotti et Altieri, quorum primus elegantem orationem pronunciavit, « et postquam die 4 insequentis decembris praestitum ab universo « Tribunali, pro more, fuit iuramentum, causarum definitio redinte « grata fausto omine fuit, die veneris 12 dec. 1800. - Sedebant : « Rm̃us pd. Bayane, Decanus - Rpd. Resta - Malvasia - Strasoldo « - Cesarei - Gardoqui - Bardaxi - Altieri - Gavotti. Ab Urbe « aberant Rpd. Priolo et Acciaioli ; - evecto ad Cardinalatus hono- « rem et munus Secretariae Status Rpd. Consalvi in cuius locum « suffectus fuit Rpd. Serlupi ». Ita in suo *Diario* Bardaxi.

Paullo post, die nempe 23 februarii 1801, Pius VII et Rpd. Gavotto Praefecturam S. P. A. contulit et Rpd. Malvasiae Adsessoratum S. O.: sed eiusmodi Malvasiae promotio Rotae non placuit quia « non digna Sacri Ordinis maiestate visa est ad munus Adses- « soris S. O. evectio », ideo Pontifici gratias reddidit ob collatam d. Gavotto Praefecturam S. P. A. « alto servato silentio de Rpd. Mal- « vasia ».

Tempore quo Pius VII abfuit ab Urbe, Galliam petitus ad imponendam imperialem coronam Neapoleoni, Rota ab iudicandis causis non abstinuit.

« Die X iunii anni 1809, dum Patres mane in causis examinandis « occupati essent, factum est, ut qui a Studiis est Rm̃i Decani, « oraculo Ssm̃i singulis Rotae Auditoribus nunciaret ut a causis cogno- « scendis cessarent illico ; pontificio quippe Gubernio per vim usur- « pato, gallicanum Romae hac ipsa die proclamatum fuerat imperium.

« Progressu temporis, adveniente die 6 iulii, noctu, militari vi, « a sua sede Quirinali avulsus nefarie fuit Pius VII Pontifex, Gal-

« liam deportandus. - Interim S. Rotae Patres partim ad patrios « lares amandati, partim in exilium pulsi, omnes fere dispersi sunt. « - Eodem tempore Rmus Resta, Decanus, Romae mortuus est.

« Deo demum favente, gallicanum quam late patebat imperium « eversum est, et varios post casus anno 1814, die vero 24 maii, « Pium eumdem Pontificem reducem Roma universa admirata est.

« Commissio interim Status inter coetera Tribunalia, Consilium « Rotale ad causas in gradu appellationis provisorie cognoscendas « instituit » [1] « Praeside ac sex Consiliariis conflatum qui usque ad « nostri Ordinis aperitionem, eius loco causae cognoscerent. Consilii « Praeses unus fuit ex Consistorialis Aulae Advocatis: Consiliarii « autem sumpti sunt ex coetu Advocatorum qui in maximam partem « fuerant vel Studiorum Adiutores, vel Secreti. Consilium Rotale « usum est iisdem nostris Notariis, qui scriberent acta causarum ». [2]

« Reverendi Patres de illo statim solliciti fuerunt, ut Sacrae « Rotae Tribunali dignitas antiqua restitueretur. Neque anceps San- « ctissimi animus haesit, qui gratiose precibus annuerat. Quapro- « pter die 2 octobris anni 1814 de more contigit aperitio Rotae. « Equitarunt RR. PP. DD. Piccolomini et Tassoni. Orationem vero « habuit Rpd. Serlupi ». [3]

« Die 7 septembris 1818. - Praeteritis annis, imperantibus in « Urbe Gallis, sicut ceterorum Tribunalium et Congregationum Ar- « chivia et monumenta, ita etiam nostri Tribunalis quirinale Archi- « vium [4] Lutetiam Parisiorum translatum fuit. Foederatorum armis, « anno 1814 extincto bello, cum iuxta Concordati leges, monumenta « omnia quae Urbi ablata fuerant, Anglis praesertim curantibus, in « Urbem revehenda fuerint, praeterito mense redit nostrum Archi- « vium, quod in sua quirinalis Pontificii Palatii sede iterum fuit col- « locatum ». [5]

Anno 1821 edictali lege voluit Pius VII ut Rotae committerentur ordinarie in ultimo appellationis gradu causae ad commercium attinentes, ita quidem initia ponens illi Rotae conversioni ex forma tribunalis supremi Principis Ecclesiae in novam formam tribunalis appellationis ordinarii pro causis Urbis et Pontificiae Ditionis quam Rota aliquot post annos accepit a Gregorio XVI.

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, *Admissiones Notariorum,* etc., pag 57 et 58.
[3] Ibi, citat. *Diarium Camerale.*
[4] Scilicet: Archivium secretum.
[5] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*

Ex rotalibus Studiis, quamplurimos vel studii Adiutores vel Secretos elegit in primarios Curiae Officiales et aliquos in Rotae Auditores.

Sub die 1 augusti 1823 Camerarius post adnotatas causas illius Rotae, hisce verbis prosequitur: « ... discessimus ab aula, ad quam « reditus fiet in proximo futuro mense septembris. - Ne in aulam « regrederemur, mors Sanctissimi Pontificis Pii VII intercessit. Homi- « nem sanctimonia praeclarum qui non sine gloria 24 fere annorum « spatio reipublicae clavum tenuit, sideribus receptum fuisse dubia « spes non est ».

Tempore Conclavis « in causis ad commercium pertinentibus et « pro exsequendis nonnullis iudicialibus mandatis, excitata est Ordini « iusisdictio quae de cetero conquiescit, item ut stipendium, abro- « gata consuetudine quae obtinebat, mense quolibet penderetur ».[1]

*Vice-Cancellarius* illi fuit card. Di Iork; card. Caraffa di Traetto; card. Della Somaglia.[2]

### Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Hercules Consalvi; Antonius Despuig y Dameto; Antonius Gardoqui; Dyonisius Bardaxi; Antonius Rusconi; Franciscus Cesarei; Carolus Odescalchi; Alexander Malvasia; Franciscus Serlupi.

*Ad minora munia:* Angelus Altieri; Alexander Malvasia; Alexander Maria Tassoni; Ioannes Baptista Bussius; Carolus Odescalchi.

### Auditores ab Eo creati

#### Magistri:

623. *Franciscus Serlupi*, Romanus, iuravit in Rota die 4 maii 1801; sed iam die 17 nov. 1800 suffectus erat Rpd. Consalvi, uti retuli supra, scribens de Pio Pp. VII.[3] - Illius processus desideratur: manet tamen archivio illius *Diarium*, duos in tomos distributum, quorum primus incipit die 15 maii 1801 et desinit die 5 maii 1809; alter vero a die 12 mai 1809 pergit ad 9 iunii insequentis. Inde lacuna est usque ad diem 3 oct. 1814, sub quo haec leguntur: « Cum « aliquot mensibus ante, Galli Urbem pontificiamque Ditionem occu- « passent, die 10 iunii an. 1809 accidit miserrima rerum com-

[1] *Arch., Rot., Diarium Camerale.*
[2] Cristofori, l. c.
[3] Cfr. supra, pag. 276, capover. « Ergo feliciter » in fine.

« mutatio. Inde Rota, ceteraque Tribunalia siluere, eaque, tem-
« pore procedente, acciderunt, quae sine maximo dolore ne in men-
« tem quidem possumus revocare. Sacratissimus Princeps, scelesta
« manu, per vim abductus e sua sede; boni fere omnes perculsi
« atque dispersi; omnia divina et humana iura perfracta: haec prae-
« cipua quinquennio fere integro evenere. RR. PP. Domini mei (nempe,
« Auditores Rotae) partim exulatum abire coacti sunt; partim tene-
« bris aegre sese tueri.

« Quod ad me attinet, in Corsican insulam relegatus atque ibi
« durissimo carcere triennio detentus, 82 dierum spatio, simplici pane
« atque, ubi sitis urgeret, aqua vitam toleravi. Haec non ea de causa
« commemoro ut me de iis iactem, sed ut tantummodo dicam quid
« mihi perferendum fuit, ne officio meo deessem ...

« Sacratissimo Principe in suam sedem feliciter restituto, . . . .
« septem primum delecti Iurisconsulti litibus iudicandis, qui cum et
« S. Rotae vice fungerentur et eius regulas in iudicandi methodo
« servarent, idcirco *Consilii Rotalis* nomine decorati sunt. Ii 5 pene
« mensibus ius dixerunt, donec pristino regiminis ac iudiciorum ordine
« instaurato, solemnis hac mane facta est aperitio Rotae ». - Mense augusti 1817 sedem Decanalem conscendit post Franciscum Cesarei, eamque tenuit ad diem usque 10 martii 1823 quo sacra purpura fuit cohonestatus. [1]

*L. I.*, pag. 11: « Franciscus Serlupi, Romanus, praestiti iuramen-
« tum die 4 maii 1801 - Sacri Ordinis Decanus, promotus fuit ad
« Cardinalatum ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

624. *Ioannes Baptista Bussius*. Rpd. Malvasia promoto ad munus Adsessoris S. C. S. Officii, successit die 9 febr. 1801 I. B. Bussius, Romanus. [2] – Huius Auditoris nec processus manet archivio, nec *Diarium*. – *Diario* tamen d. De Cursiis scimus, d. Bussium « a S. Rotae « Auditore ad Auditoris Camerae honorem evectum fuisse » die 10 mart. 1823. Erat Bussius Regens S. Poenitentiariae et huic muneri valedicere nolebat, cum renunciatus fuit Auditor Camerae: at sacrum tribunal supplicem Pontifici libellum dedit quo demonstravit « prae-
« dictum Regentis munus non personae, sed Rotali Collegio inhae-
« rere »; ideo petiit ut Rotae linqueretur: Auditor Ssmi, a Papa de voto sciscitatus, mentem suam aperuit Rotae favorabilem: hoc in

[1] Part. I, caput III, *De Decano*.
[2] *Arch. Rot., Diarium Bardaxi*.

causa fuit cur Bussius e re sua duxerit nuncium mittere Regentis officio. [1]

*L. I.*, pag. 40: « Ego Ioannes Baptista Bussi iuramentum prae- « stiti hac die 8 ianuarii 1802 - Rev. Camerae Ap. Auditor et deinde « S. R. E. Cardinalis ». Et cum iam esset Cardinalis, successorem habuit in loco Rotae, vacato per eius promotionem ad Auditoratum R. Camerae, Clarissimum Falconieri die 1 oct. 1824. [2]

Decisiones illius inter *Volantes*.

625. *Antonius Rusconi*. Rpd. Gavotti, promoto ad munus S. P. A. Praefecti, suffectus fuit Rpd. Antonius Rusconi, Bononiensis, die 9 febr. 1801, qui Motumproprium praesentavit die 24 eiusdem mensis. [3] – Processus illius ac *Diarium* desiderantur. – Sed *Diario Camerali* et Odescalchi scimus, die 8 mart. 1816 fuisse promotum ad sacram purpuram una cum RR. PP. DD. Gardoqui et Bardaxi de Azara.

*L. I.*, pag. 43: « Antonius Rusconi Auditor hac die 8 ian. 1802, « iuramentum praestiti - Obiit Cardinalis».

Decisiones illius inter *Volantes*.

626. *Alexander Maria Tassoni*. Huius Auditoris processus desideratur: at illius *Diario* scimus, ipsum locum Rotae obtinuisse vacantem « ob renunciationem Illmi et Rmi d. Nicolai Acciaiuoli de Tau- « roleonibus, ferrariensis »; electumque fuisse die 28 aprilis 1802, ac signatum fuisse a Papa die 31 praedicti mensis illius Motumproprium, qui fuit admissus in Rota diei 5 maii 1802. Alexandro Mariae os fuit apertum in ultima Rota mensis dec. 1802. Fuerat Advocatus Consistorialis. Illius *Diarium* ad diem pergit 2 aug. 1817 et fere nullam continet adnotationem. - *Diario* d. Antonii Gamberini edocemur, Alexandrum Mariam ad munus fuisse evectum Auditoris Ssmi et ante mensem decembris 1818 ex hoc mundo migrasse.

*L. I.*, pag. 15: « A. M. Tassoni, Ferrariensis, hac die 20 dec. « anni 1802 admissus. - Obiit Auditor Ssmi ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

627. *Ioachim Ioannes Isoard*. Locum quem obtinebat Alphonsus de Bayane ad sacram purpuram evectus, contulit Pontifex Ioachim Ioanni Isoard, clerico Aquen., Motuproprio dato v idus dec. an. IV et in Rota admisso 9 dec. 1803, cuius inquisitionis instrumentum coram Resta, Decano, datam praesefert 27 ian. 1804. [4] - Natus in

[1] *Arch. Rot., Diarium Bardaxi.*
[2] Ibi, l. c.; cfr. infra, pag. 291, n. 641.
[3] Ibi, *Diarium de Cursiis.*
[4] *Arch. Rot., Processus.* n. CLXX.

civitate Aquen. in Galliis die 13 oct. 1776 ex Ioanne et Maria Anna Rosa Pin, clericali caractere fuit insignitus die 28 aprilis 1804 et Romae lauream doctoratus in utroque iure consequutus est die 27 martii eiusdem anni. - Sedem Decanalem conscendit die 10 mart. 1823 et die 25 iun. 1827 eam reliquit, creatus cardinalis. [1]

*L. I.*, pag. 47: « Ego Ioachim Iohannes Xaverius Isoard hac die « 22 iun. 1804 praestiti iuramentum – Decanus post promotionem « Serlupi et deinde Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

628. *Tiberius Piccolomini*. Per liberam dimissionem factam ab Angelo Altieri, promoto ad officium Praefecti Cubiculi Ssmi, cum locus Rotae vacaverit, hunc obtinuit Tiberius Testa Piccolomini Astalli, patritius romanus, clericus, i. u. d., Motuproprio sub data 13 aug. 1804 cuius inquisitionis instrumentum coram De Strasoldo, deputato ab Resta Decano absente, celebrari occepit die 27 oct. 1804. [2] - Natus Romae ex Petro Barone Testa Piccolomini et Laura Marchionissa Astalli, baptizatus fuit die 26 sept. 1765 et clericali tonsura insignitus die 25 nov. 1801. Lauream doctoratus in utroque iure recepit Romae eodem anno. In actis processus reperitur insertum alberum genealogicum, ex quo patet Tiberium nostrum de familia fuisse Pii II et Pii III. Praelatus domesticus declaratus an. 1801; Signat. iustitiae Referendarius; Ponens S. C. C.; C. Boni Regiminis et Consultae.

*L. I.*, pag. 51: « Tiberius Piccolomini Testa iuramentum praestiti hac « die 18 mart. 1805 - Obiit S. R. Auditor », certe de mense dec. 1818, ante diem 14, quo « post causarum discussionem facta est luctuosa « promotio per obitum Rpd. Piccolomini: eius memoriam excipient « anni consequentes ». [3]

Decisiones illius inter *Volantes*.

629. *Carolus Odescalchi*. Officium Auditoratus, per obitum Caroli de Strasoldo vacans, Motuproprio dato pridie kal. mart. an. xv et in Rota admisso die 16 mart. 1815, Pontifex concessit Carolo Odescalchi, presbytero, nobili, romano, i. u. d., cuius processus data praesefert 8 apr. 1815. – Natus Romae die 5 mart. 1785, ex Balthassare, Duce Ceri, et Maria Catharina Giustiniani, presbyter consecratus fuit de mense dec. 1808. Lauream doctoratus in utroque iure assequutus est die 11 ian. 1809. [4] – Ipsemet principio primi ex duobus tomis

[1] Part. I, cap. III, *De Decano*.
[2] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXI.
[3] Ibi, *Diarium Odescalchi*.
[4] Ibi, *Processus*, n. CLXXII.

*Diarii* sui narrat: « Enarraturus meae in S. Rotae XII Viros coop- « tationis historiam, praemittendum puto, illustrem meum praedeces- « sorem fuisse Carolum Matth. de Strasoldo, Goritiae nobili loco « natum, ac virum doctrina et virtutum omni genere ornatum. Cum « ille autem inter S. R. Patres fuisset ab anno 1784 . . . . . adscitus, « atque suum Magistratum per annos 22 diligenter non minus quam « integre gessisset, gravi deinde diuturnoque morbo afflictatus, Romae « e vita excessit an. 1806 . . . . . Tunc uni ex Germaniae patriciis « viris ius datum est ut in eius locum sufficeretur. Inter Patricios « Germanos qui Romae aderant, ego quoque adnumerabar, cuius « familia et Sirmii in Pannonia, et S. R. Imperii Principatu perfruitur ». Et prosequitur omnem suae vitae cursum describens quamdiligenter. Illius *Diarium* excipit die 9 iulii 1821.

*L. I.*, pag. 35: « Carolus Odescalchi praestiti iuramentum hac die 2ª oct. 1815 - Auditor Ssñi et postmodum S. Purpura insignitus « an. 1823 ».

Decisiones illius reperiuntur in unum collectae et in 3 tom. distributae typis Olivieri, Romae 1826 cura Andreae Barberi Adv. qui eas Emo Odescalchi in significationem grati animi dedicavit. Nec desunt inter *Volantes*.

630. *Aloysius Zinanni*. Venetiarum Republica non amplius uti volente privilegio sibi a Pontificibus concesso nominandi Auditorem Rotae Venetum, Pius VII decrevit per Breve 27 iun. 1816, [1] ut locus Auditoris Veneti concederetur alicui nobili civi, originario Romandiolae, per Papam pro tempore libere eligendo. Primus originarius civis Romandiolae qui Auditoratum Rotae obtinuit fuit Aloysius Zinanni Ravennaten. cuius Motusproprius collationis Auditoratus admissus fuit in Rota diei 22 mart. 1816 et instrumentum inquisitionis incoeptum fabricari die 27 maii 1816. - Natus erat Aloysius noster ex Comite Antonio Zinanni et Victoria filia Comitis Hieronymi Zinanni die 10 iul. 1757, Ravennae: doctor in utroque iure fuerat renuntiatus Romae die 19 iun. 1788. Gens Zinnania inter 180 nobiles Romanos descripta apparet in Bulla « Urbem Romam » diei 4 ian. 1746 data a Benedicto XIV. [2] - « Rpd. Aloysius Zinannius, Ravennas, qui primo « in Supremo Signaturae iustitiae Tribunali suffragium tulerat, ac dein « inter S. Rotae Auditores fuerat cooptatus, cum valetudinis causa post « Congregationem Rotalem superioris anni 1821 ab Urbe discessus

[1] Vol. III, pag. 626, n. 507.
[2] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXIII.

« Flaminiam petiisset, Caesenae senili phthisi lente tabescens, ac « tandem languore confectus, e vivis sublatus est die 6 mensis ianuarii « huius anni 1822, aetatis suae 66 ».[1]

*L. I.*, pag. 23 : « Ego Aloysius Zinanni Ravennaten. praestiti « iuramentum hac die 2 dec. 1816 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

631. *Leonidas Spada*. Motuproprio dato sub die 8 april. 1816, Pontifex unum ex locis Rotae vacantibus contulit Leonidae Spada, clerico, nobili, romano, i. u. d., cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 9 maii 1816, coram Cesarei de Leonibus, Decano. – Filius erat viri principis Iosephi Spada-Veralli et Hyacinthae Ruspoli, natus Romae et baptizatus die 2 iul. 1779. Lauream doctoratus in utroque iure consequutus fuerat in Archigymnasio Sapientiae die 21 mart. 1802. Referendarius Signat. Iustitiae ; Protonotarius Apostolicus de numero ; Assessor Tribunalis Gubernii.[2] – Rotae loci possessionem accepit numquam; nam die 16 dec. 1816 « ob malam valetudinem Audito- « ratum dimisit, et in eius locum subrogatus est eius fratrer Ale- « xander Spada ».[3]

632. *Franciscus Tiberi*. Unum ex locis Rotae tunc temporis vacantem Pius VII, Motuproprio dato VIII idus april. an. XVII, et in Rota admisso die 22 april. 1816 concessit Francisco Tiberi, subdiacono reatino, i. u. d., cuius inquisitionis processus datam praesefert 8 maii 1816. – Natus die 4 ian. 1773 Subdiaconus consecratus die 2 nov. 1806 ; anno 1795 inter utr. Sign. Referendarios adscriptus ; die 21 mart. 1801 renunciatus Ponens S. C. Boni Regiminis ; fuit quoque Auditor generalis E.pi Ostien. et Veliternen. – Anno 1815 cum « in virtù dell'art. 103 del Congresso di Vienna » deberet Papa « rientrare in possesso delle Legazioni delle Marche unitamente a « Camerino, del Ducato di Benevento e del Principato di Pontecorvo », electus et designatus ad « ristabilire il Pontificio Governo ... per la « Delegazione di Macerata ».[4] Sub die 2 oct. 1826 in *Diario Camerali* adnotatur : « Noster Collega Rpd. Tiberi ad Archiepiscopatum Athe- « niensem evectus fuit ut ita, maiori praefulgens dignitate, in Hispa- « niarum Legatus proficiscatur. Viro docto bene Archiepiscopatus « Atheniensis respondet ». - Sedit in Rota Locumtenens usque ad diem 11 maii 1817 quo « ne quid forte molestiae sibi Collegisque

[1] *Arch. Rot., Diarium Pianetti.*
[2] Ibi, *Processus*, n. CLXXIV.
[3] Ibi, *Diarium Camerale.*
[4] Ibi, *Processus*, n. CLXXV.

« digrediens et valedicens crearet, omnibus insalutatis discessit ... Vir « ingenii acumine maximus; iurisprudentia summus: animi integritate « nemini secundus ».[1]

*L. I.*, pag. 7: « Ego Franciscus Tiberii, Reatinus, iuramentum « praestiti die 9 dec. 1816. - Nuncius ad Regem Catholicum missus, « deinde creatus Cardinalis die 20 sept. 1831 ».

Decisiones illius in Collectionibus *Volantium*.

633. *Alexander Spada*. Per dimissionem in manibus Papae factam a Leonida ex Principibus Spada et per Papam admissam, locum vacantem concessit Pontifex Alexandro ex Principibus Spada, romano, Motuproprio dato x kal. ian. XVII et admisso in Rota diei 8 ian. 1817. Inquisitionis instrumentum Alexandri incoepit fabricari die 1 febr. 1817. - Natus Alexander ex viro principe Iosepho Spada Veralli, Bononien., et Hyacintha Ruspoli, Romae die 4 april. 1787 ubi primam clericalem tonsuram recepit die 11 sept. 1815. Praelatis domesticis adscriptus die 14 febr. 1815 et doctor in utroque iure fuit renunciatus die 4 febr. 1817. - Ponens S. C. boni regiminis.[2] - Sedem Decanalem tenuit a die 25 iunii 1827 ad diem 6 april. 1835 quo creatus est cardinalis.[3]

*L. I.*, pag. 43: « Alexander Spada, Auditor hac die 20 iunii 1817 « iuramentum praestiti. - Decanus post promotionem Rmi Isoard « 25 iunii 1827. - Deinde Cardinalis ».

Decisiones illius in Collectionibus *Volantium*.

634. *Emmanuel Martinez del Campo y Guerra*. Antonio Gardoqui, sacra purpura decorato, fuit subrogatus Emmanuel Martinez del Campo y Guerra, presbyter, nobilis Santanderien., i. u. d., Motuproprio dato v idus ian. an. XVII et in Rota admisso die 13 ian. 1817, cuius inquisitionis processus datam praesefert 4 febr. 1817. - Natus die 17 apr. 1777 ex Emmanuele et Francisca Xaveria de la Guerra de la Vega in civitate S. Domingo de la Calzada, presbyter fuit ordinatus die 19 sept. 1801 et renuntiatus doctor iuris utr. in Universitate Vallisoletana die 1 iul. 1797 ac Praelatus domesticus die 5 ian. 1817. - Innumera fere munia obiverat Emmanuel antequam Auditor Rotae eligeretur, inter quae: Archidiaconus de Bribresqua, Eques Ordinis Caroli III, theologus Consultor in Tribunali Hispaniae Nuncii, iudex sinodalis regnorum Navarrae, Murciae Galleciae, Apostolicus Inquisitor etc.[4] – « Veneris 12 maii 1826. Die 9 huius

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, *Processus*, n. CLXXVI.
[3] Parte I, caput III, *De Decano.*
[4] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXVII.

« mensis sublatus e vivis est Praesul Martinez del Campo, comitiali « morbo correptus. Eius mors acerba semper ob suam innocentiam, « integritatem, doctrinam, acerbissima vero dum tam repentina et « tam luctuosa nece a nostris oculis abreptus. Sedebat hic in N. « Ordine pro Hispania ».[1]

*L. I.*, pag. 32: « Emmanuel Martinez del Campo hac die « 23 iun. 1817 praestiti iuramentum. - Obiit Romae ex improviso ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

635. *Ioannes Franciscus Marco y Catalan*. Dyonisio Bardaxi, ad cardinalatum promoto, fuit subrogatus Ioannes Franciscus Marco y Catalan, presbyter Caesaraugustanus, i. u. d., Motuproprio dato IV idus ian. an. XVII et in Rota admisso 13 ian. 1817 cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 6 febr. 1817. - Natus die 24 oct. 1771 ex Ioachim et Ioachima Catalan, sacro presbyteratus ordine insignitus an. 1805 ab episcopo Placentino; in Universitate Caesaraugustana doctor renuntiatus die 20 oct. 1793; inter Praelatos domesticos cooptatus die 10 ian. 1817 et in Breve collationis huius dignitatis legitur, Ioannem Franciscum nobilem fuisse. Plura obiverat munia in partibus Hispaniarum, omnia tamen scientifica, uti bibliothecarii, archivarii etc.[2] - Anno 1826 « ab Hispaniarum Rege, « electus fuit Consiliarius supremi Consilii Castiliae et Regiae Ca- « merae ... sed cum in arbitrio (illius) fuit honorificum munus acci- « pere, maluit ipse Romae remanere ».[3] Die vero 12 dec. 1828 « in privato Consistorio quod hodie habitum est, renunciari Cardi- « nalem S. R. E. promeruit ».[4] Obiit Romae mense martio 1841 et quiescit in Ecclesia sui tituli S. Agathae Gothorum, in qua adhuc illius sepulchrum superest.

*L. I.*, pag. 20: « Ioannes Franciscus Marco et Catalan iura- « mentum praestiti die 27 iul. anni 1817. - Primum Romae Guber- « nator, deinde Cardinalis ».

Decisiones illius numero 422, typis V. Poggioli, Romae 1829 publicavit cum argumentis summariis et indice conclusionum, Nicolaus Salvatori eiusdem a studiis Adiutor et in Romana Curia Adv., in 2 tom. distributas. Leguntur etiam inter *Volantes*.

636. *Antonius Gamberini*. « ... Locum unius Auditoratus ... quem « b. m. Magister Alexander Maria Tassoni ante eius promotionem

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, *Processus*, n. CLXXVIII.
[3] Ibi, *Diarium De Cursiis.*
[4] Ibi, l. c.

« ad officium Auditoris nostri, dum viveret obtinebat » Pius VII concessit Antonio Dominico ex Comitibus Gamberini, clerico Imolen. ac civi nobili Ferrarien,, i. u. d., Motuproprio dato pridie nonas dec. an. XIX, et registrato « a Roma senza apostille li 5 marzo 1819 » cuius processus datam praesefert 6 mart. 1819.[1] - Natus erat Imolae mense oct. 1760 ex Ioanne et Margaritha Zappi; primam tonsuram Romae recepit die 6 ian. 1787, ibique lauream doctoratus in utroque iure assequutus est anno 1784. Inter Praelatos fuit adscriptus die 5 maii 1818. – Episcopus Imolen. haec de Antonio nostro quum hic electus fuit Auditor Rotae, testatus est: « In ossequio del vero, « facciamo piena e indubitata fede... che il Signor Avvocato Antòn « Domenico Gamberini, nobile Imolese, e già uno degli Aiutanti di « Studio della Rota Romana, dopo l'ingresso delle truppe francesi « nella città di Roma e la soppressione del riferito Tribunale, si « trasferì in questa città ove tuttavia dimora nella casa paterna, « esercitando con universale applauso e soddisfazione la sua profes- « sione di Avvocato. Egli in tutto questo tempo non solo non ha « occupato in Republica veruna carica nè giudiziaria nè amministra- « tiva, che essendogli stata offerta, ha generosamente ricusato di « accettare, ma di più possiamo assicurare la sua morigeratezza, i « suoi buoni costumi, la edificante e cristiana sua maniera di vivere « e di operare e le altre singolari sue qualità delle quali è adorno, « hanno servito di esempio agli altri e formata la nostra compia- « cenza ». - « Gamberinius... a S. R. Auditore ad munus convolavit a « secretis S. C. Concilii Tridentini interpretis die 10 mart. 1823 ». Ita in suo *Diario* De Cursiis. Rota aegre tulit Gamberinium Rotam reliquisse Secretarii S. C. Concilii munere perfuncturum: unde quum cardinalis creatus fuit, noluit Pontifici solitas gratiarum actiones reddere, in *Diario* adnotans: « *De Gamberinio autem, nihil* ».

*L. I.*, pag. 15: « Antonius Dominicus Gamberini, Ferrariensis, « hac die 25 iun. 1819 admissus. – Primum a Secretis S. C. Concilii « Tridentini deinde Eps. Urbevetanus et Cardinalis ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

637. *Cosmas de Cursiis*. Promoto ad s. purpuram d. Cesarei subrogatus fuit Cosmas de Corsi, clericus, patritius florentinus, in 21 suae aetatis anno constitutus, i. u. d., Motuproprio dato « pridie « nonas dec. an. XIX » et in Rota admisso die 7 dec. 1818 a Serlupi Decano. – Natus Florentiae ex Marchione Iosepho et Magda-

[1] *Arch. Rot., Processus* n. CLXXIX.

lena della Gherardesca die 10 iun. 1798, sacris minoribus Ordinibus Florentiae insignitus die 20 sept. 1815 et doctor renuntiatus Romae die 27 iun. 1818. Inter Praelatos domesticos adscriptus die 25 februarii 1819. Illius inquisitionis instrumentum est sub data 26 februarii 1819.[1] Decanus post Alexandrum Spada a die 6 apr. 1835 ad 24 ian. 1842, quo S. Purpura fuit meritissime cohonestatus.[2] Archivio manent sua *Diaria*, plures in tomos distributa, diligentissima exornata. Manet et Diarium Decanale ab eo industria summa concinnatum. Manet Rubrica quaedam Rerum notabilium Rotae, quam ipse redigere curavit, notitias ex *Diariis* Auditorum extrahendo.

*L. I.*, pag. 28: « Cosmas de Cursiis Florentinus, admissus hac « die 8 dec. 1819. - Creatus Cardinalis Presbyter a Sño D. N. Gre- « gorio XVI die 24 ian. 1842 et deinde Episcopus Aesinus, dein « an. 1874 Archiep. Pisanus ».

Decisiones illius in Collectionibus *Volantium*.

638. *Gaspar Bernardus Pianetti*, presbyter, nobilis Assisiensis et Romanus, iuris utriusque doctor, subrogatus fuit Tiberio Piccolomini defuncto, Motuproprio dato idibus iunii anno XXI et in Rota admisso die 16 iunii 1820. - Processus, sub data 2 augusti 1820, edocet, natum fuisse ex Angelo Marchione Pianetti et Eleonora, nata comitissa Bonaccorsi; presbyter consecratus fuit Maceratae die 31 martii 1804, ibique anno antecedenti 1803 laurem doctoratus in utroque iure fuerat consequutus. – Praelatus domesticus; Ponens S. Congregationis Bonis Regiminis; Votans Signaturae Gratiae; Protonotarius Apostolicus de numero; Protonotarius S. Congregationis Rituum; Praesul S. Congregationis Concilii; Assessor Gubernatoris Urbis.[3] - Mense septembris 1826 in Viterbien. episcopum eligitur.[4]

*L. I.*, pag. 51: « Gaspar Bernardus Pianetti iuramentum prae- « stiti hac die 4 decembris 1820. - Episcopus Viterbiensis, Cardi- « nalis renunciatus die 14 decembris 1840 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

639. *Ioseph Bofondi*. Locum Rotae, provinciae Romandiolae concessum a Pio VII, vacantem per obitum Aloysii Zinanni obtinuit Ioseph Bofondi, clericus, nobilis Forolivien., i. u. d., et in XXXII suae aetatis anno constitutus, Motuproprio dato IV nonas mart. an. XXII et in Rota admisso die 8 mart. 1822, cuius processus coram Serlupi Decano

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXX.
[2] Parte I, caput III, *De Decano*.
[3] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXXI.
[4] Ibi, cfr. inferius n. 644.

datam praesefert 12 april. 1822.[1] Natus Forolivii die 24 oct. 1795, Bononiae an. 1817 in utroque iure doctor renuntiatus est. Inter domesticos Praelatos fuit adscriptus die 14 mart. 1822. – Sedem Decanalem obtinuit die 24 ian. 1842 tenuitque ad diem 11 iun. 1847 quo creatus est Cardinalis.[2]

*L. I.*, pag. 23: « Ego Ioseph Bofondi, Forolivien. praestiti iura-« mentum hac die 9 dec. 1822. – Decanus post promotionem Emi « Corsi – et Cardinalis anno 1847 ».

Decisiones illius inter *Volantes.*

640. *Constantinus Patrizi.* Praesbyter ac patritius Romanus, iuris utriusque doctor, Francisco Serlupi ad cardinalatum promoto, fuit subrogatus Motuproprio diei 12 martii 1823. - Processus sub data 21 aprilis 1823 eum perhibet natum Senis ex Francisco Marchione, et « Sua Altezza Reale Donna Cunegonda figlia di Sua Al-« tezza Reale il Principe Saverio di Sassonia, Sua Signora Consorte », baptizatum die 12 septembris 1798. Romae in Universitate Sapientiae lauream doctoratus in utroque consequutus est anno 1819 die vero 28 martii. – Praelatus domesticus, et utriusque Signaturae Referendarius mense novembri 1817: presbyter consecratus die 16 iunii 1821.[3] - « Die 18 decembris 1828 ... In Consistorio Rpd. Costan-« tinus ex Marchionibus Patrizi, unus ex tribus Auditoribus Urbis, « selectus Archiepiscopus Philippen., fuit quoque designatus Nuncius « Apostolicus penes Ducem Etruriae. Plurimis ab annis nemini fuerat « munus hoc collatum, illudque neque ab ipso Rpd. Patrizi neque « a sacro nostro Ordine pro honorifica translatione habitum est, « quia non inter primi ordinis Nunciationes recensetur. Nulla prop-« terea gratiarum actio penes Summum Pontificem, iuxta solitum, « locum habuit, licet Praesul ille a S. Rota remotus fuerit, quia in « pari honore fuit conservatus ».[4]

*L. I.*, pag. 11: « Constantinus Patrizi, Romanus, praestiti iura-« mentum die 10 decembris 1823. - Cum ad Hetruriae Ducem « mittendus esset a S. Sede Nuncius, designatus is fuit; sed aliqua « de causa haud ivit reapse: inde factus S. Palatii Praefectus, honoris « culmen in Cardinalatu obtinuit ».

Decisiones illius typis publicavit Romae an. 1832 Ignatius Alberghini Advocatus qui fatetur « sibi per honorificum et periucundum

[1] *Arch. Rot., Processus* n. CLXXXII.
[2] Parte I, caput III, *De Decano.*
[3] *Arch. Rot., Processus,* n. CLXXXIII.
[4] Ibi, *Liber S. Rotae,* 4, pag. 254.

« accidisse, ut tanto viro a Studiis esset toto quinquennii spatio, « quo Auditoris S. R. munus ... functus est ». Eas exornavit argumentis, summariis et indice conclusionum. Numero sunt CX. Leguntur etiam inter *Volantes.*

641. *Carolus Emmanuel Muzzarelli.* Motuproprio, admisso in Rota diei 14 april. 1823, Carolus Emmanuel e Comitibus Muzzarelli locum habuit vacantem per translationem Antonii Dominici Gamberini ad officium Secretarii S. C. Concilii: illius processus incoeptus fuit sub die 3 iulii 1823. - Oriundus e civitate Ferrariae, natus est Bononiae ex Iosepho, comite Muzzarelli et Marianna Colli de Scursolengo, nocte diei 10 aprilis 1797. Tonsura clericali insignitus est Romae anno 1823, mense iunio, postquam iam fuerat electus in Rotae Auditorem. Romae item gradu doctorali in utroque iure cohonestatus fuit anno 1821. Die 8 aprilis 1823 fuit Praelatis adscriptus.[1] - Exeunte mense octobri 1846, Bofondi, Decano, Ravennam misso « ut ibi Prolegati « munus perageret, quia praecario munus hoc datum susceptumque « fuit, idcirco sedem suam in Rota (Bofondius) servavit ac iussu « supremae Secretariae Status Rpd. ... Muzzarelli, inter praesentes « senior, vice Decani, e propria tamen sede » functus est. Et die 21 dec. 1846, Decanus fuit, Bofondi ad s. p. elato ea ipsa die.[2] - Die 9 febr. 1849 Decanatui et Rotae valedixit, migratus in castra Republicanorum, et ab ea die in documentis Rotalibus - paucis exceptis - ubi illius fieri mentio contigerit, nomine significatur *Comitis Muzzarelli.*[3]

*L. I.*, pag. 14: « Ego Carolus Emmanuel Muzzarelli, Ferra- « riensis, hac die 15 decembris 1823 admissus. - Decanus iam, vicis- « situdinibus anni 1845 implicatus, S. Rotae Auditor esse desiit ».

Decisiones illius inter *Volantes.*

## § III.

## Leo XII.

### (*28 septembris 1823 - 10 februarii 1829*).

« 28 septembris 1823. Cardinalis Della Genga, Pii VII Vica- « rius, Pontifex renunciatus est, hora 22ª in templo divi Petri... « Rm̃s Decanus mox supplicem libellum Pontifici exhibuit, postulans

[1] *Arch. Rot., Processus,* n. CLXXXIV.
[2] Ibi, *Diarium Camerale;* parte I, caput III, *De Decano.*
[3] Ibi, l. c.

« nomine Collegii consuetam largitionem ducat. 2400 aureae mo-
« netae ; rescivimus a Cardinali ab Arcanis Principatus, iussum fuisse
« Praefecto Aerario, ut nobis morem gereret.

« Die 5 octobris, Leo XII redimitus est triplici corona ... die 8,
« Pontifice annuente, cessatum est a feriis : locum habuit solemnis
« equitatio ». [1]

Die 23 decembris 1825 cardinalis ab Arcanis Principatus, has litteras Rotae dabat : « Il Cardinal Decano, Segretario di Stato, Pre-
« sidente della Commissione per la riedificazione della Basilica di
« S. Paolo,... adempie il dovere... d'invitare premurosamente Mons^r De-
« cano della S. Rota a voler contribuire col noto suo zelo alla rico-
« struzione di quell'augusto tempio sull'antica forma ... ». Et hisce acceptis litteris, die lunae 9 ianuarii 1826 « ... unanimi suffragio
« decretum est, tribuenda esse scutata 3000, decennio persolvenda
« in annuis scutatis 300. Camerarius sacri Tribunalis quolibet mense
« subductam e stipendio singulis (Auditoribus) debito, retinebit ratam
« portionem ad Montem Pietatis, depositi loco, mox transferendam.
« Ita decretum est ». [2] Et ita factum fuit.

Anno 1827 contentio enata est Cameram inter et Rotam eo quod illa futili de causa rocchettum imponere noluisset Rpd. Celestini ; Papa autem Cameram iussit tandem aliquando rocchettum Rpd. Celestini imponere. [3]

Mense septembris 1826 in archiepiscopum Ravennae elegit Clarissimum Falconieri et in episcopum Viterbiensem Rpd. Pianetti, quorum consecrationem ipsemet Pontifex explevit. [4]

Denique De Cursiis in suo *Diario* adnotat : « Non sine moerore
« adnotandus est obitus Pontificis O. M. Leonis XII, qui accidit die
« 10 februarii (1829) hora fere XVI. - Eo defuncto, statim sacer Ordo
« ab iudicando desistere debuit ».

*Vice-Cancellarius* illi fuit card. Della Somaglia. [5]

Conclave durante, cardinales Rotae iurisdictionem excitarunt pro causis commercialibus. [6]

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, l. c.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, *Diarium Bofondi,* 11 sept. 1826 et 10 febr. 1829.
[5] Cristofori, l. c.
[6] *Arch. Rot., Diarium Bofondi.*

Auditores ab Eo promoti:

*Ad Cardinalatum:* Ioannes Franciscus Marco y Catalan.

*Ad Episcopatum:* Clarissimus Falconieri; Gaspar Bernardus Pianetti; Constantinus Patrizi.

*Ad minora munia:* Ioannes Franciscus Marco y Catalan.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

642. *Alexander Ruspoli.* Carolo Odescalchi ad s. purpuram promoto subrogatus fuit a Pio VII Alexander ex Principibus Ruspoli, presbyter, nobilis Romanus, i. u. d., Motuproprio dato pridie nonas aug. an. XXIV et in Rota admisso die 8 oct. 1823, cuius inquisitionis instrumentum coepit celebrari sub Leone XII die 22 dec. 1823. Cum igitur in Rota iuraverit die 4 iun. 1824, iure sub Leone Papa poterat Alexander collocari, non autem sub Pio VII qui eum Auditorem tantum designaverat. - Natus Romae die 5 oct. 1785 ex Francisco et Leopolda Chevanauller, de anno 1822 presbyter consecratus fuit, et an. 1823 laurea doctoratus in utroque iure recepit Romae die 13 nov., cum iam esset Auditor Rotae electus. - Praelatus domesticus.[1] - Anno 1835 Camerarium egit Ruspolus qui sub die 6 aprilis, postquam adnotaverit, Pontificem in Consistorio Secreto mane illius diei publicasse cardinalem Spada, Decanum Rotae, quem in pectore sibi reservaverat in Consistorio diei 23 iunii 1834, et d. De Petro fuisse designatum in Umbriae Praesidem, addit: « Sacra- « tissimus Princeps me ad R. C. Auditoris Generalis munus pro- « vehere est dignatus ». Sub die autem 8 aprilis 1835 ipsemet subiungit: « Interea temporis ne quid ob nimias vacuas sedes iustitiae « administratio caperet detrimentum, iussit S. Pontifex ut adhuc per « nonnullos menses in Tribunali manerem ». Et exscribit epistolium cardinalis a Secretis Status datum die 7 illius mensis hac super re. Sub die autem 3 augusti 1835 in eodem *Diario*, sequentia Ruspolus adnotavit et subscripsit: « Finem vero suum ephemerides istae meae « hic habeant, ubi et officio quo 11 et amplius annos obtinui, pro- « positus est finis. At quoniam verecundus ille quo tunc loquebar « animi dolor me prohibuit, quomimus quum a perinsigni hoc Col- « legio neque volens neque lubens discedere fui iussus, obsequium « et amorem quem erga RR. PP. DD. meos animo foveo, signifi-

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXXV.

« carem; hic ergo debitum implebo meum et memet gratum ipsis « obsequentemque etiam atque etiam profitebor ... etc. ». Papa iusserat Ruspolum sedere in Rota integro anno 1835, « e l'annun- « ciativa dell'anno 1835 non comprende l'anno naturale, ma si « limita all'anno giuridico secondo le discipline vigenti nel Tribu- « nale della Rota ». Ita in epistolio card. a Secretis Status diei 15 apr. 1835. - Denique in fine anni 1837, Rpd. Marini, Camerarius, de Ruspoli adnotavit: « Hoc temporis intervallo Praesul Ru- « spoli qui per plures annos in Tribunali sedem Auditoris pro « Austriaco imperio occupaverat, et qui viva cupidine captus, nostrum « Ordinem reliquerat ut eveheretur ad munus Auditoris Camerae, « tot tantaque offendit obstacula, praecipue ex causa superiorum « Auctoritatum, quod ad sustinendum tenaciter propositum, consti- « tuit non solum splendidissimum munus abdicare, verum etiam Prae- « sulis dignitatem. Hoc, vero etiamsi in Praesule miram ostendisset « constantiam et stabilitatem, prudentes etiam commonefecit qui totis « animis attendunt ad incertos nostrae regionis eventus, quod opus « est plenum aleae, beatam Auditoris Rotae sedem relinquere, et « sese iniicere in lubricas assentatricis aulae procellas ».

*L. I.*, pag. 35: « Alexander Ruspolus praestiti iuramentum hac die « 4 iun. 1824. - Renunciatus R. C. A. Auditor an. 1835, post aliquot « temporis, nuncium misit sponte officio atque infulae Praelatitiae ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

643. *Clarissimus de Falconeriis*. Ioanni Baptistae Bussi ad officium C. A. promoto post aliquot temporis successit Clarissimus de Falconeriis, presbyter, nobilis romanus, utr. Sign. Refer. ac i. u. d., Motuproprio dato kal. oct. anno 1 et in Rota admisso 22 nov. 1824, cuius processus est sub data 5 ian. 1825. – Natus Romae die 25 sept. 1794 ex Alexandro et Maria Anna Lante, sacro presbyteratus ordine fuit insignitus die 22 sept. 1818. Lauream doctoratus in utroque iure consequutus est Romae die 23 sept. 1824. – Die 2 april. 1823 fuerat inter Cubicularios intimos accensitus, et aliquot post dies nominatus Praelatus S. C. Boni Regiminis. [1] - Colligitur ex *Diario Camerali* sub die 2 oct. 1826 illa die Clarissimum fuisse in Archiepiscopum Ravennae electum, quippe quod ea die Decano Rotae nunciatum est d. Marini translatum fuisse ad officium Auditoratus Rotae ab illo Votantis Sign. Iustitiae: et d. Marini Falconerio successit in Rota. [2]

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXXVI.

[2] Cf. *Petrus Marini*, inferius n. 645, pag. 294.

*L. I.*, pag. 40: « Ego Clarissimus Falconieri praestiti iuramentum « hac die 6 maii 1825. - Archiepiscopus Ravennatensis e sacro Audi- « torio fuit renunciatus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

644. *Horatius Vincentius Celestini*. Motuproprio dato nonis oct. an. IV (7 oct. 1826) Leo XII concessit Horatio Celestini, romano, clerico, i. u. d., Tribunalis Signat. Iustitiae Decano, Patritio romano locum vacantem per promotionem d. Pianetti ad episcopatum Viterbien. et illius processus coepit celebrari die 12 febr. 1827. - Natus in Urbe ex Fulvio et Sancta Nardoni de Gallesio die 12 feb. 1751, minores ordines susceperat 3 mart. 1803. Lauream doctoratus in utroque iure ad *honorem* suscepit die 7 aug. 1771. Adv. egerat et inter Praelatos domesticos fuit accensitus die 8 iun. 1814. – Praesul sacrarum Congregationum Bonorum Ecclesiasticorum, Rev. Fabricae, Immunitatis Ecclesiasticae; Votans Signaturae Iustitiae; Iudex privativus Commissionis Bonorum Ecclesiasticorum; Abbas Abbatiae Bellonae; Refer. utr. Signaturae; Praesul Commissionis pro Reaedificatione S. Pauli; Decanus Votantium Tribunalis Signaturae.[1] – Huius Auditoris admissio in Rota valde laboriosa fuit, quippe quae Auditoribus visa est minus S. Ordinis decori ac dignitati conveniens. Etiam sub Pio VII Celestini omnibus precibus contenderat ut in albo Auditorum Rotae recenseretur: Rota tamen palam fecerat Pontifici, se aegre hanc nominationem laturam; propter quod de ea amplius sub eo Pontifice cogitatum non fuit. Sub Leone, incoepta inquisitione, « facto comprobatum est, non immerito « S. Tribunali displicuisse illius nominationem » : quam tandem non admisit « sine suffragiorum discrepantia et totius Tribunalis aegritu- « dine ». Cum autem rocchetum in Camera acceperat, Celestini Auditoratui renunciavit; at illius renunciatio acceptata a Pontifice non fuit, et ideo suffragia ferre coepit in Rota diei 15 iun. 1827. – Paucos post annos Celestini declaratus fuit Emeritus et deinde absolute iubilatus die 6 april. 1835. Causas ob quas Pontifex motus fuit ad haec, refert *Diarium Camerale* sub die 18 nov. 1831 : inter has praecipue enumerantur, illius vel inconstantia vel irrationabilis tenacia in suo ferendo suffragio, ita ut identidem nullum in scriptis votum exhiberet Ponenti; spretus erga suos in studiis Adiutores « quod admodum « dedecere dignitatem S. Ordinis » aestimabatur a ceteris Auditoribus; quos « per saepe iniuriis et contumeliis afficiebat, quum prae- « cipue in discussione causae sibi contradictores eos agnosceret ».

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXXVII.

Denique apertis verbis enarratur: « non erubuisse (in quadam causa) « honorarium pacisci (decisionis) cum administratore » unius ex litigantibus in summa scut. 100 etc. Quapropter sub die 4 oct. illius anni 1831, Emus a Secretis Status enunciavit Rotae, Papam accessisse votis Rpd. Celestini « permettergli di ritirarsi dalla carica di « Uditore... esonerandolo dalle incombenze proprie dell'Uditorato di « Rota... e di ammetterlo alla giubilazione, lasciando che egli segua « a fruire di quanto l'Officio Rotale porta seco di utile e di onorifico, « con che vien'egli ad appartenere tutt'ora al Collegio Rotale ». Ideo, facta tunc non fuit subselliorum mutatio, quae tamen perfecta est die 6 april. 1835, qua die illi pensionem menstruam a publico Aerario tradendam assignavit Pontifex eique successorem dedit Rpd. de Petro. [1]

*L. I.*, pag. 51: « Horatius Vincentius Celestini iuramentum prae- « stiti hac die 1 iun. 1827. – Ob senectam, primum Auditor Emeritus, « deinde iubilatus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

645. *Petrus Marini*. Motuproprio dato VIII, idus octobr. anno IV Leo Papa « officium seu locum unius Auditoribus causarum P. A. « quod, seu quem, venerabilis Fr. Clarissimus Falconieri, modernus « Archiep. Ravennaten., tempore suae promotionis ad Metropolitanam « Eccl. Ravennaten. obtinebat, per promotionem huiusmodi vacans, « seu vacantem », concessit Petro Marini presbytero, i. u. d., ac Signaturae Iustitiae Votanti et patritio Romano declarato, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert diei 27 febr. 1827. – Natus die 5 oct. 1793 Romae ex Dominico Xaverio Marini, neapolitano, et Irene de Dominicis, romana, coniugibus parochiae S. M. in Via, laurea doctoratus in utroque iure ad *honorem* decoratus fuit an. 1816, Romae. Ravennatensi nobilitati adscriptus fuit: « ex quo enim Ale- « xander Card. Malvasia... legatus, tibi » (Petro scribit Ravennaten. Municipium eidem *illiusque fratri omnique eius ex agnatione posteritati* civitatem ac nobilitatem Ravennatensem concedens) « adsessoris « officium demandandum curavit, tanta illico solertiae, ingenii, fidei « argumenta praebuisti, ut penes totius Provinciae administratio, « aetate vix tantis matura rebus, tuo dirigeretur consilio. Unde factum « est, ut haec praesertim civitas in iis quae maxime Reipublicae « intersunt, innumeras hauserit utilitates ». – Referendarius utr. Sign., Praesul Congreg. S. Petri; Ponens S. C. Boni Regiminis; Auditor Camerariatus; Votans Signaturae iustitiae. [2] – Admodum laboriosa

[1] *Arch. Rot., Diaria;* cfr. inferius pag. 304, n. 651.
[2] Ibi, *Processus,* n. CLXXXVIII.

fuit illius admissio in Rota, praecipue quia « libelli propemodum infi- « niti » (inter quos unus typis excussus ab Hyeronimo Cristofori, causidico) Rote oblati fuerunt: quapropter Rota viriliter instetit penes Pontificem ut ab hac nominatione desisteret: sed flecti Pontifex non valuit; ideoque Marinius vota protulit prima vice in Rota 6 iul. 1827.

*L. I.*, pag. 40: « Ego Petrus Marini praestiti iuramentum hac die « 18 iun. 1827. – Creatus almae Urbis Gubernator die 21 april. 1845 « a S. Auditorio discessit - dein Cardinalis an. 1847 ».

Decisiones illius in tres tomos distributae et Petro cardinali Marini dicatae, solitis argumentis, summariis, et indicibus exornatae, publicis iuris factae sunt ab Camillo Baccelli Adv., olim in studiis Petri Adiutore, Romae typ. fratrum Pallotta an. 1853. Numero sunt 640. Legere eas est etiam inter *Volantes*.

646. *Ioseph Antonius Rivadeneira*. Martinez del Campo, Auditori pro Regno Castellae defuncto, suffectus fuit Ioseph Antonius Rivadeneira, presbyter, nobilis Compostellanus, Praelatus domesticus, Metropolit. eccl. Compostellan. Dignitarius, i. u. d., Motuproprio dato VII idus oct. an. IV et admisso in Rota diei 30 mart. 1827. Instrumentum inquisitionis illius coepit fabricari die 27 iul. 1827. - Cum creatus fuit Auditor Rotae, Ioseph Antonius in aetate 52 an. constitutus erat: doctor in utroque iure renunciatus fuerat in Universitate civitatis Oxomen. - Multa et gravia munia obierat in patria sua, propter quod Hispaniarum Rex illum Papae proposuit ut Auditorem Rotae renunciaret.[1]

*L. I.*, pag. 32: « Iosephus Antonius Rivadeneyra hac die 3 dec. « 1827 praestiti iuramentum. - Renunciatus Eps. Vallisoletanus die « 28 febr. 1831 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

647. *Alexander De Retz*. Motuproprio dato XII kal. dec. an. V et in Rota diei 23 nov. 1827 admisso, Leo XII locum vacantem per promotionem d. d'Isoard ad cardinalatus dignitatem contulit Alexandro de Retz de Bresoles de Pelamourque, presbytero, nobili Mimaten. dioec. et Praelato Papae domestico, cuius inquisitionis instrumentum fabricari occeptum est die 5 mart. 1828. - Natus loco Chanac in Gallia ex nobili Petro et Alexandrina de Filleul de la Chapelle die 2 oct. 1783, presbyter consecratus fuit Mimati 20 dec. 1806. Lauream doctoratus in utroque iure consequutus est Romae in Archigymnasio « Sapientia » die 8 ian. 1828. - Vicarius generalis archiep.

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXXIX.

Rhemensis, deinde episcopi Carcassonen.; Cappellanus Regius et Cappellanus Delphinae Galliarum.[1]

*L. I.*, pag. 47: « Ego Alexander Franciscus de Retz hac die « nona maii 1828 praestiti iuramentum. - Obiit die 15 oct. 1843 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

648. *Ioseph Antonius Zacchia*. Motuproprio dato v idus iun. an. VI et in Rota admisso 12 ian. 1829, Leo XII tribuit Iosepho Antonio Zacchia, nobili, clerico Lunen. Sarzanen., i. u. d., locum vacantem per promotionem D. Tiberi ad archiep. Athenarum ac Nuntiaturam Hispanicam, cuius instrumentum inquisitionis datam praesefert 4 feb. 1829. - Natus Vextiani Dioec. Lunen. die 22 febr. 1787 ex Francisco et Catharina Ferrari, Romae die 24 ian. 1816 primam clericalem tonsuram recepit et inibi an. 1819 laurea in utroque iure fuit cohonestatus. - Nobilis Anagninus, Viterbien., fuit adscriptus inter Referendarios utr. Signat.; inter Ponentes S. C. Boni Regiminis; inter Protonotarios Apost. supranumerar.; Delegatus Asculi, Firmi, Frosinonis, Spoleti et Viterbii; vice Legatus Ravennae; Ponens S. Consultae.[2]

*L. I.*, pag. 7: « Ego Ioseph Zacchia. Ianuensis,[3] iuramentum « praestiti die 22 iun. 1829. - Electus almae Urbis Gubernator « die 24 ian. 1842, e S. Auditorio discessit. - Creatus Cardinalis Dia- « conus in Consistorio diei 21 april. 1845. - Obiit die 28 nov. 1845 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

## § IV.

## Pius VIII.

### (*31 mart. 1829 – 30 nov. 1830*).

« Causae commerciales propositae non fuerunt die statuto, ob « electionem Summi Pontificis quae obvenit die 31 martii: nam « Emus Franciscus Xaverius Castilioneus (Castiglioni) - natus Cinguli « die anni 1761, Eps Tusculanus et summus criminibus expian- « dis Magister - Pontifex Maximus fuit renunciatus qui sibi nomen « imposuit Pii VIII ».

Die vero 27 aprilis illius anni « post absoluta comitia Ems « Card. Iulius Maria De Somalia, utpote Vice-Cancellarius, duxit « S. Rotae Auditores ad Pontificem Maximum, ut Ei aliquam honoris « et obsequii significationem praestarent. Pontifex idem eos perhu-

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CLXXXX.
[2] Ibi, *Processus*, n. CLXXXXI.
[3] In tenore Mp. non praedicatur Ianuensis, sed *Lunensis Sarzanensis*.

« maniter excepit, et Rmo Rotae Decano qui Tribunal Ei commen-
« daverat, respondit, nihil commendatione opus habere, siquidem Tri-
« bunal idem per se ipsum satis commendat, et eos denique ad pedum
« osculum clementer admisit.

« Aegrotante Summo Pontifice, constitutum est ut singulis die-
« bus Cappellani omnes cum magno curru se conferant ad Palatium
« Apostolicum audituri notitias de valetudine Sacratissimi Principis ...
« Non sine moerore adnotandus est pariter obitus Pii Pp. VIII qui ad
« horam fere quartam noctis die 30 novembris (1830) requievit in
« Domino. [1]

*Vice-Cancellarius* illi fuit card. Della Somaglia; card. I. Arezzo.[2]

« Veneris 7 ian. 1831. Congregatio commercialis. Sede adhuc
« vacante, Emi in ordine Priores ex Conclavi demandarunt fieri con-
« gregationem Rotalem de rebus commercialibus. Hac igitur impar-
« tita facultate, haedibus fuit conventus rotali pro... causis commer-
« cialibus in Palatio Apostolico Quirinali et in aedibus Emi et Rmi
« D. Cardinalis a Secretis Status *sine cappis* ». [3]

### Auditores ab Eo creati

Magistri:

649. *Iacobus De Cuppis*. Constantino Patrizi, Nuncio Apostolico in Hetruria, successit Iacobus de Cuppis, Fanen., nobilis, presbyter, i. u. d., Motuproprio dato a Leone XII quarto idus ian. an. VI et in Rota admisso 16 ian. 1829, cuius processus incoeptus fuit defuncto iam Leone, anno scilicet primo Pii VIII, die 6 april. 1829. - Natus Fani ex nobili Pompilio et Hyppolita Venerucci, baptizatus fuit die 19 oct. 1776: s. presbyteratus ordine fuit insignitus 1 mart. 1806 et Fani lauream doctoratus in utroque iure adeptus est. - Archidiaconus Fanen. et, sede vacante, illius Dioecesis Vicarius Capitularis et, sede plena, Vicarius generalis. Praesul domesticus 13 maii 1818; Vice-Legatus Ferrariae 12 aug. 1818; Protonotarius Apost. supranumerarius 28 maii 1822; Delegatus Reatis 10 mart. 1823; Delegatus Firmi ed Administrator provinciae Asculanae 12 iulii 1824; Ponens S. Consultae 1 oct. 1826; tandem Praesul S. C. Lauretanae, 29 ian. 1828.[4] – « Mense decembris 1836 Praesul de Cuppis, Romanus, collega
« noster, vidit supremum diem post longam adversamque valetudi-

[1] *Arch. Rot., Diarium De Cursiis.*
[2] Cristofori, l. c.
[3] *Arch. Rot., Diarium Bofondi.*
[4] Ibi, *Processus,* n. CXCII.

« nem, atque ita in irritum cessere tot tantaeque honorum et digni-
« tatum cupiditates, quae eius animum dire cruciabant. At nunc,
« favente Numine, ob eximiam rectitudinem pietatem et iustitiae spi-
« ritum, coelestium sedes occupabit: tenoris (?) enim morbi supplicia
« occasionem facilem ei praebuerunt sub hoc sole solvendi quidquid
« levitatis in eo fuit et... libidinem in humanis dignitatibus se altius
« semper extollendi ». [1]

*L. I.*, pag. 11: « Iacobus de Cuppis, Fanen., praestiti iuramen-
« tum die 26 iun. 1829. - Obiit Romae die 5 dec. 1836, commen-
« datus ab omnibus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

## § V.

### Gregorius XVI.

*(2 februarii 1831 - 1 iunii 1846).*

Die 2 februarii 1831 cardinalis Maurus Cappellari O. S. B. ad Summum Pontificatum evectus est, sibique nomen imposuit Gregorium XVI, quem Rota mox invisit ab eoque obtinuit licentiam sacrum tribunal aperiendi.[2]

« Ut primum ad supremi Pontificatus dignitatem evectus fuit,
« illico a sacro Ordine binis vicibus promotae fuerunt binae instan-
« tiae ad obtinendam largitionem scutatorum 3300, sibi de more
« impertitam a ceteris s. m. Pontificibus, pro adsistentia ab Audi-
« toribus praestita in custodia Rotarum durante Conclavi. Sed Pon-
« tifex, ob vicissitudines quibus in sui Pontificatus exordiis pontificia
« Ditio afflictabatur, nonnisi de mense iunio illius anni votis sacri
« Tribunalis fecit satis ». [3]

« Cum die 5 octobris 1831 .... latum fuisset Edictum ab Emo a
« Secretis Status quo innovabatur ordo tribunalium pontificiae Ditio-
« nis, ac nonnullae etiam praestituebantur novationes quoad S. Rotae
« Tribunal », Auditores in unum collecti decreverunt Pontifici instan-
tiam porrigere in qua praecipue haec adnotabantur, videlicet:
« 1° Sacrum Tribunal aegre tulisse abrogationem Commissionum, eo
« quod ad instar tribunalis appellationis Sacra Rota in posterum
« haberetur, et eam amitteret praestantiam ac dignitatem qua hono-
« rabatur, ita ut Commissionum usu S. Rota habebatur tanquam

[1] *Arch Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, l. c.
[3] Ibi, l. c.

« S. Sedis et Catholici Orbis Tribunal, potiusquam solius Pontificiae « Ditionis; - 2° adversari omnino praxi Sacri Tribunalis quod pro- « ponerentur causae *absque Dubio* seu *per Memoriale*, quemadmodum « de nonnullis causis in praefato Edicto instituebatur; - 3° dedecere « prorsus dignitatem Sacri Ordinis et perniciosum esse litigantibus « proponere in Sacra Rota causas quae parvi sunt momenti, uti earum « nonnullae in vim illius Edicti subiici debebant cognitioni illius; - « 4° periculosum admodum esse, etsi expeditissimum, accedere Po- « nentis votum in cuiusvis causae propositione, ut in ipsa primordia « propositione in promptu sit resolutio .... et improvidum quoque « videtur Ponenti suffragium tribuere, ea potissimum ratione, quia « acta omnia praecedentia causae propositionem, coram eo geruntur, « ita ut in ferendo suffragio, facile sit eius animum in gratiam ali- « cuius ex litigantibus occupari; quinimmo et illud haud difficile sit « evenire, quod in extendenda Decisione suis potius rationibus ser- « viat, quam iis in ceteris votis expositis et enucleatis; - 5° deni- « que ... quod in praefato Edicto diei 5 octobris absque *Sacri* titulo « (Tribunal) ... nuncupatum fuit, quo titulo se honoratum agnovit in « ceteris legibus Edictalibus quovis tempore latis ab Eminentissimis « a Secretis Status ». [1] - Et recursu hoc pendente coram Papa, Rota legi Edictali obtemperavit a die 21 novembris illius anni, quo causae omnes definitae fuerunt cum voto Ponentium. [2] - Notarii Rotae, e contra, « falsis de causis denegabant expeditionem decretorum ac « sententiarum » eo quod causae non amplius committebantur; quos tamen increpuit sacer Ordo, iisdem demandans « ut illico se prom- « ptos paratosque praeberent in iis quae necessaria forent, tum quoad « causas iam introductas, tum etiam quoad eas in posterum coram « sacro Tribunali ... proponendas ». [3]

Anno 1834, « Regolamento legislativo e giudiziario » cum Edicto cardinalis Gamberini prodiit, quibus legibus praecedens Edictum anni 1831 in multis abrogatum fuit iuxta Rotae placita: ita quidem sacro tribunali titulum *Sacri* relictum est: causae parvi momenti non amplius eidem committendae decernuntur: manet tamen lex de definiendis causis omnibus cum voto Ponentium et reliquae leges manent.

Sed anno 1832 suppresserat quoque Gregorius XVI usum sportularum et propinarum quas « finora ha percipito (la S. Rota) nel-

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Cfr. Vol. III, pag. 640, n. 531.
[3] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*

« l'esercizio della giudicatura »; quibus tamen subrogavit summam menstruam scut. 1000, « oltre gli scudi 600 ch' essa percepisce « attualmente per l'assistenza che presta al Sommo Pontefice nelle « pubbliche Cappelle. Questo assegnamento non andrà soggetto a dimi- « nuzione di sorta nei casi in cui alcun posto nel Collegio dei Pre- « lati Uditori di Rota fosse vacante ». [1] Aliquod emolumentum Nota- riis addidit « supplemento di onorario »: eis tamen sublato iure « di « esigere dalle parti litiganti veruno emolumento per qualunque causa « o titolo oltre quelli che sono stabiliti nel Regolamento sulle Tasse « giudiziarie ». [2]

Item eodem anno 1832 Gregorius XVI in pristinum revocavit antiquum Rotae stylum quoad solutionem expensarum iudicialium in causis contumacialibus, abolens articulus 41 « del Regolamento giu- « diziario » Leonis XII dati sub die 5 octobris 1824 et art. 55 Motusproprii illius Papae dati die 21 octobris 1827. [3]

Iussit insuper « affine di provveder meglio alle cause di com- « mercio ed alle altre incidentali, attribuite alla Rota dai nuovi Rego- « lamenti, (che) debbano tenersi nel mese di luglio, oltre le due adu- « nanze ordinarie, anche una terza, e due altresì in ciascun dei mesi « di agosto e di settembre da quegli Uditori i quali in sufficiente « numero risiedono in Roma, colle facoltà a Mons. Decano, o in sua « asssenza al più anziano Uditore, di surrogare il Ponente qualora « il Prelato destinato si trovasse lontano o fosse legittimamente impe- « dito ». [4]

Attenta vero nova iudiciorum et tribunalium forma inducta novis Regulamentis iudiciariis ab ipso Gregorio emanatis, finem habuit eo anno 1832 vetustissimus mos indicendi tribunalium ferias generales in ultima Rota ab A. C. Locumtenente. [5]

Mense octobris eiusdem anni statuit quod « I Prelati Ponenti « dovranno rimettere al pieno Tribunale le istanze per ottenere la « inibitoria (exsecutionis sententiae iam latae) senza nessuna clausola « sospensiva (earumdem sententiarum) ». [6]

Et die 1 octobris 1831 finem habuerat mos aperiendi Rotam cum solemni « cavalcata » : fuerat enim statutum mense iulio ante- cedenti « ut in posterum omnes in curribus ad Vaticanum accederent

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, l. c.
[3] Ibi, l. c.
[4] Ibi, l. c.
[5] Ibi, l. c.
[6] Ibi, l. c.

« qui antea in Rotae operitione equis evehebantur, ceterum servatis « aliis omnibus ceremoniis, solemnitatibus ac privilegiis in hac re « obtinentibus, et ex Constitutionibus, vel ex consuetudine, manen- « tibus ». [1]

Omnia haec suam nacta sunt sanctionem ultimam anno 1834, quo « Regolamento legislativo et giudiziario » Gregorius XVI edidit.

Ita quidem vetus Rota desiit et nova orta est quam genuit lex nova et vetus quae potuit cum nova componi. Num provide ac scite haec fieri consultum fuerit Pontifici, definire piget. Persuasum tamen est, extra Rotam, validiores clamores suos extulisse hostes Ecclesiae praesertim in Rotam, quam destrui nitebantur: intra Rotae septa, Auditores in duas partes divisi erant: pars maior vetera servari totis viribus satagebant; minor autem pars novitates ultro libenterque acceptabant. Huius partis praecipuum membrum fuit ille Emmanuel Muzzarelli, qui tandem aliquando, dimissa tonsura et Rota relicta, in Reipublicae castra migravit.

Anno 1835 Hetruriae Gubernium penes Pontificium Gubernium acriter conquaestus est quod Rota in quadam causa « Romana seu Florentina - Legati » tribus conformibus Decisionibus dixisset - quasi parvi pendendo iudicatum Supremae Curtis Florentinae - vi in pontificia Ditione carere interdictum quo mulctatum fuerat in Hetruria Eques Serristori. Ideo Decanus respondere debuit Cardinali a Secretis Status, plene latas Decisiones iustificans. [2] Ideo forsan die 24 decembris illius anni Gregorius XVI, assuetas recipiens ab omnibus Tribunalibus felicitationes Natalitii Domini, « unum sacrum nostrum Tri- « bunal ... excepit, ut ita ei redderet - quemadmodum proprio suo « ore dixit - suae satisfactionis et benevolentiae testimonium. Deinde « cum hortatorias miserit litteras Praesulibus in Pontificia Cappella « locum habentibus, ut in ea haud oscitanter, prout in praeteritum, « interessent, voluit speciatim ut dictum Tribunal exciperetur, quippe « quod sua diligentia hortationem illam haud certe merebatur ». [3]

Anno 1836 in Auditorem Rotae assumpsit Praesulem Ignatium Alberghini qui huc usque munus Adiutoris a Studio functus erat Rpd. De Cuppis: [4] et Rotae Decano facultates fecit reponendi in antiqua sede ad Vaticanum notarile archivium rotale quod postquam e Galliis cum ceteris s. sedis archiviis Romam anno 1818

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, *Liber S. Rotae*, 4, pag. 282 et ssq. (sub die 28 iulii 1835).
[3] Ibi, l. cit., pag. 291.
[4] Ibi, cit. pag. 291.

reverterat, « sine ordine iacebat in quodam incognito lacunari aedium « Vaticani cum gravissimo praeiudicio eorum quorum intererat acta « atque documenta inspicere, et cum maximo dedecore ipsius Supe- « rioris Auctoritatis, quae quoad Exteros, socordiae et impreviden- « tiae notam effugere haud certe quibat ».[1] - Et saeviente in Urbe morbo Cholera, anno 1837, Gregorius indulsit ut per mensem septembris Rotae non fierent.[2]

Die 31 ianuarii 1842 Gregorius XVI per edictalem legem Cardinalis a Secretis Status, Rotae Auditoribus restituit integrum salarium, cui iam 10 abhinc annis per singulos menses scutati nummi undequinquaginta fuerant exempti, sanctione alterius legis edictalis, favore publici aerarii.[3]

Denique, ex *Diario Camerali* exscribam notam quae aestum politicarum contentionum illius tempestatis redolet. Hac adnotatione obitus Gregorii XVI illiusque memoria signantur: « Die 1 iunii 1846. « Urgentibus magis ac magis humoribus redundantibus, Sanctissimus « Dominus Gregorius XVI voluit summo mane ut sacrum in suo « cubiculo fieret, et sacram Eucharistiam sibi subministrari; factaque « deinde extrema sacra Unctione, sub hora 13 cum dimidio in pace « animam Deo reddidit. - Rebus ecclesiasticis praeclare gestis illustris « quidem Pontifex. Utinam tantumdem dici posset de Principe Politico! « Honoris obsequiique paulo nimis cupidus, et inter timorem seditionum « Pontificatum auspicatus, durius severiusque cum iis egit qui seditiosi « censerentur, quam conditio Regni et vulgari opinio nostrorum tem- « porum consulere posset. Hinc eos administros sibi habuit qui obse- « quendi consuetudine ceteros praestarent, quique omnes subditorum « querelas seditiosorum improbitati verterent. Quare ministri obse- « quentes, sed ipsi obsequio inferiorum cupidissimi, omnia pro arbitrio « gerebant, dum Princeps molestiarum Regni pertaesus, subditorum « querimonias avertebat. Ex hoc factum est ut Economia publica sit « direpta, iustitia proculcata, et ipsa iurisprudentia coërcita. Collegia « eminentiora non semper illibatis viris ac capacitatis laude conspicuis « aperta fuere. In singulos annos sui Pontificatus debitum Publicum « auxit ad decies centena millia scutatorum. Qui haec scribit, libere « opinionem suam exprimit, tutus conscientia rotalis secreti ».[4]

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae,* pag. 297.
[2] Ibi, cit., pag. 323.
[3] Ibi, *Diarium Camerale.*
[4] Ibi, l. c.

*Vice-Cancellarium* gesserunt successive: card. F. Arezzo; card. C. Odescalchi; card. Pedicini; card. Bernetti.[1]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Cardinalatum:* Alexander Spada; Cosmas de Cursiis.
*Ad minora munia:* Ioseph Antonius Zacchia.

AUDITORES AB EO CREATI

Magistri:

650. *Petrus Ioseph de Avellà y Navarro.* Per assumptionem d. Marco y Catalan ad cardinalatus honorem, locum vacantem Auditoratus Rotae concessit Gregorius Petro Iosepho de Avellà y Navarro, presbytero, i. u. d.; cuius Motusproprius admissus fuit in Rota diei 21 febr. 1831 et incohata inquisitio die 8 apr. 1831. - Natus Petrus Ioseph ex Iosepho Mariano Avellà et Antonia Avellà y Navarro, baptizatus fuit in eccl. matrice Barchinonen. die 27 maii 1774. Barchinonae suorum studiorum curriculo emenso, in civitate *Cervara* studio utriusque iuris incubuit, lauream doctoratus in utroque assequutus in Universitate civitatis Huesca. - Advocatum egit Regiae Audientiae Barchinonen., Canonicus Barchinonen., Director Generalis Hospitalium et Membrum consilii superioris Principatus Barchinonen. Fuit Iudex « del Breve » electus ab epō. Gerunden. et denique Vicarius generalis Barchinonensis dioeceseos. Plurimum adlaboravit pro tuenda et conservanda catholica fide de an. 1820 saeviente in Hispaniis politica et religiosa rebellione; propter quod pulsus fuit in exilium et, depopulata domo habitationis suae, fere « per una speciale protezione del Cielo « ... potè salvare la sua vita ».[2] - *Diar. Cam.* sub die 27 iun. 1831 habet: « ... in locum Rpd. Marco ad nominationem Ferdinandi VII, Regis catho- « lici, iam a die 27 aug. elapsi anni 1830 emissam, sufectus fuit Illmus « et Rmus d. d'Avellà et Navarro quae nominatio sub die 18 febr. « curr. anni s. Ordini denuntiata fuit ». - Petierat D'Avellà abbreviationem terminorum in peragendis ceremoniis Novitiatus quia nominatus de mense augusti, Romam non venerat nisi mense decembris dum habebatur Conclave per obitum s. m. Pii VIII, « ita ut pontificium Mp. as- « sequi nequiverat ». Et Papa gratiam petitam illi concessit non obstantibus adversis reclamationibus s. Tribunalis. - Decanus post Muzzarelli a die 9 febr. 1849 ad diem 14 nov. 1851 quo declaratus est *Emeritus.*[3]

[1] CRISTOFORI, l. c.
[2] *Arch. Rot., Processus,* n. CXCIII.
[3] Parte I, caput III, *De Decano.*

*L. I.*, pag. 20: « Petrus Iosephus d'Avellà et Navarro Barcinonen-« sis Dioecesis, iuramentum praestiti die 17 iun. 1831. - Ineunte anno « Rotali 1850-1851 ob infirmam valetudinem a iudicando se abstinuit « et Decanus Emeritus declaratus est. - Obiit die 26 april. 1853 ».

Sed haec non cohaerent *Diario Camerali*, ex quo colligitur, d. De Avellà causas vel Memorialia proposuisse in Rota usque ad integram diem 22 aug. 1851. Hoc anno defuit Congregationibus rotalibus extraordinariis dierum 1 et 15 septembris et Rotae iuramenti quae celebrata fuit die *17 novembris:* sub qua, inibi haec adnotantur: « Ut aegrae valetudini Rñi pd. Decani nostri De Avellà S. Ponti-« fex prospiceret, atque ob eiusdem pene octuagenariam aetatem, « illum a cognoscendis ac iudicandis causis exemit, servato tamen « ei et titulo Decani et reliquis honoribus atque omnibus emolu-« mentis, quibus huc husque gavisus est ». Et referuntur ad verbum epistolia card. a Secretis Status, unum quo De Avellà comunicatur Papae dispositio, et alterum quo d. De Silvestris committitur munus et datur titulus Pro-Decani.

Decisiones illius inter *Volantes*.

651. *Camillus De Petro*. Horatio Celestini subrogatus fuit Camillus De Petro, qui Motumproprium praesentavit die 27 april. 1835 cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 30 iun. 1835. - Natus Romae die 10 ian. 1806 ex Dominico et Faustina Caetani, minores ordines recepit de an. 1826. Laureis doctoratus in Philosophia, Theologia, et utr. iur. decoratus erat; nobilitati Interamnen. et Spoletanae fuit adscriptus. – Praelatus domesticus; Praesul S. Consultae; Protonotarius Apost. supranumer.; Praesul S. C. Concilii; Delegatus Apostolicus Urbis Veteris, Spoleti. Fuit a Cardinalibus deputatus « a tessere e pronunciare la consueta Orazione in elogio del « defunto Som. Pontefice » an. 1830.[1] – Die 29 iul. 1839 *Diarium Camerale* adnotat: « Rpd. De Petro nihil - et abfuit, rogatus a Pa-« tribus, ne interveniret ut libere disputaretur quaenam sedes ei tri-« buenda esset uti Archiepiscopo Beryten, a S. Pontifice nuper « electo: quam disputationem tamen Rms. Decanus praevenire cura-« vit, distributo in Rota novo ordine sedendi, quem nuncupant « "*Rotino*,, ubi apparuit Rpd. De Petro in eodem loco sedere opor-« tere, assumpto titulo Locumtenentis; idque iuxta veterem S. Ordinis « consuetudinem a Rño Decano interea melius investigatam ». Rotae diei 19 aug. 1839 abfuit « *ob valetudinem* »; sed interfuerat Rotae

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CXCIV.

diei *5 augusti*. Et de eo in *Diario Camerali* non amplius fit mentio. *Diario Camerali* autem scimus, Camillo datum fuisse in successorem Angelum Quaglia, die 12 aug. illius anni.

*L. I.*, pag. 51: « Camillus Di Pietro iuramentum praestiti hac die « 16 nov. 1835. – Creatus Archiepiscopus Beryti in Consistorio « diei et Nuncius Aplicus. ad Regem Neapolis, Locumte- « nens in sacra Rota usque ad beneplacitum Ssmi, sedem tamen « non mutavit iuxta exquisita Maiorum exempla ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

652. *Petrus De Silvestris*. In Austriacum Rotae Auditorem electus et deputatus fuit die 28 nov. 1835 a Greg. XVI, in locum Rpd. Ruspoli Petrus De Silvestris de Rhodigio, nobilis, Adrien. dioeceseos, cuius processus coepit fabricari die 14 mart 1836. - Cum doctor utriusque iuris renuntiatus fuisset in Studio Patavino « ove fece il corso de' suoi studi legali », petiit et obtinuit ut Patavinus doctoratus approbaretur pro Romano. Praelatus domesticus.[1] – Pro-Decanus die 14 nov. 1851; Decanus 26 april. 1853; Cardinalis 15 mart. 1858.[2]

*L. I.*, pag. 35: « Petrus de Sylvestriis, Rhodiginus, praestiti iura- « mentum hac die 20 iunii 1836 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

653. *Ignatius Alberghini*, Alexandro Spada successit, clericus, nobilis Bononien., i. u. d., Motuproprio dato IV kal. mart. an. VI et admisso in Rota diei 29 febr. 1836, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 17 maii 1836. - Natus Centi die 6 nov. 1789 ex Francisco et Clara Comi, primam tonsuram clericalem Romae recepit anno 1836 die vero 11 martii; lauream doctoratus in utroque iure item Romae assequutus fuerat anno 1819. - In Rota fuerat per quinquennium Adiutor a Studiis Rpd. Constantini Patrizi, cuius Decisiones typis edidit an. 1832; et postea Rpd. De Cuppis; Praelatus domesticus.[3] - Post Petrum De Silvestris, sedem decanalem conscendit die 15 martii 1858, quam usque tenuit ad diem 16 sept. 1861 quo fuit declaratus *Emeritus*, et Rotae oblataeque sibi purpurae Romanae renunciavit.[4]

*L. I.*, pag. 43: « Ignatius Alberghini, Auditor, hac die 18 nov. 1836 « iuramentum praestiti. - Anno 1858, Decanus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CXCV.
[2] Parte I, caput III, *De Decano*.
[3] *Arch. Rot., Processus*, n. CXCVI.
[4] Vol. III, pag. 695, n. 590.

654. *Stephanus de Bubalo De Valle.* Locum vacantem per obitum Rpd. De Cuppis obtinuit Stephanus De Bubalo, Romanus, diaconus, nobilis, i. u. d., Motuproprio dato III kal. ian. an VI et in Rota admisso die 9 ian. 1837, cuius processus est sub data 21 mart. 1837. - Natus Romae die 5 iunii 1800 ex Rinaldo ex Marchionibus Del Bufalo a Calicio in Calabria et Rosalia Baldi Romana, diaconus ordinatus fuit an. 1823 cum esset iam Canonicus S. Petri Urbis. Laurea doctoratus in utroque iure cohonestatus fuit anno 1823. - Praelatus domesticus; Refer. utr. Sign.; Votans Sign. Iustitiae.[1]

*L. I.*, pag. 11: « Stephanus De Bubalo, Romanus, hac die « 3 iulii 1837 iuramentum praestiti. - Obiit S. Rotae Auditor mense « novembris 1837 ».

655. *Aloysius Bonini.* Successit Stephano De Bubalo defuncto Aloysius Bonini, presbyter Romanus, i. u. d. Illius Motusproprius fuit admissus in Rota diei 30 april. 1838 et illius processus incoeptus die 30 maii illius anni. - Natus erat die 11 febr. 1801 ex Petro et Anna Bracci Romae, ubi presbyteratus ordine fuit insignitus die 20 sept. 1823 et lauream doctoratus in utroque adeptus fuerat anno 1826. Erat nobilis Camerinen., Ausculanus, Altudonensis, Ripae Transonis, Romanus. - Advocatus, fuit in Rota Secretus Rpd. Marini; Praelatus domesticus; utr. Sign. Referendarius; Delegatus Apostolicus Provinciae Firmanae.[2]

*L. I.*, pag. 12: « Ego Aloysius Bonini, Romanus, hac die 3 dec. 1838 « iuramentum praestiti. - *Emeritus* declaratus ob infirmam valetu- « dinem, exeunte anno 1852. - Obiit 17 ian. 1853 ».

Sed male adnotatum est, Aloysium fuisse declaratum Emeritum exeunte an. 1852. Nam Camerarius Rotae in *Diario* refert, Aloysium fuisse declaratum Emeritum, relictis tamen illi honoribus omnibus debitis Auditori, die *30 novembris* illius anni *1852*. Sub die vero 24 ian. 1853 idem *Diarium* narrat, d. Bonini obiisse die 17 illius mensis, et addit funus illius « Patrum praesentia non fuisse deco- « ratum: quod erga Emeritos Auditores factum numquam traditur ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

656. *Angelus Quaglia*, sub die 12 aug. 1839 fuit nominatus Auditor Rotae in locum Camilli De Petro. Illius Motusproprius fuit admissus in Rota diei 18 nov. 1839 et incoeptus processus de anno 1840. - Natus in oppido Aspurio in Sabina die 27 aug. 1802 ex Iacobo Quaglia, Cornetano, et Victoria Bruschi, sacro presbyteratus ordine

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CXCVII.
[2] Ibi, *Processus*, n. CXCVIII.

fuit insignitus an. 1826, et lauream doctoratus in utroque iure consequutus est Romae an. 1835. Gens illius nobilis erat et titulo comitali fruebatur. - Referendarius utr. Sign.; Ponens S. C. Boni Regiminis; Delegatus Apostolicus Urbevetanae Civitatis; Auditor Tribunalis Sign. Iustitiae.[1]

*L. I.*, pag. 51: « Angelus Quaglia iuramentum praestiti hac die « octava maii 1840. - Anno 1852 a Secretis S. C. Concilii nomina- « tus - deinde Cardinalis S. R. E. ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

657. *Iacobus Baglioni Oddi*. Cosmae De Cursiis (*Corsi*) ad s. purpuram promoto successit Iacobus Baglioni Oddi, Perusinus, qui nominatus fuit die 21 ian. 1842. Motusproprius illius fuit in Rota admissus die 28 ian. 1842, et eius inquisitio datam praesefert 21 febr. 1842. - Natus die 8 ian. 1797 ex Comite Alexandro et Catharina Oddi, sacro presbyratus ordine fuit insignitus, et lauream doctoratus in utroque iure consequutus est Romae anno 1829. - Praelatus domesticus.[2]

*L. I.*, pag. 28: « Iacobus Balleonibus Oddus, Perusinus admissus « hac die 5 dec. 1842 et iuramentum praestiti. - Obiit die 17 maii 1844».

Decisiones illius inter *Volantes*.

658. *Ioannes de Petro*, Albanensis, nominatus fuit die 24 ian. 1842 in locum Iosephi Zacchia, Urbis Gubernatoris. - Processus incoeptus fuit die 18 febr. 1842, coram Iosepho Bofondi Decano. Ex eo eruitur, motumproprium illi fuisse concessum sub die 25 ian. 1842 qui praesentatus fuit et admissus in Rota diei 28 illius mensis. Erat Ioannes clericus, Romanus, i. u. d. - Natus ex Petro et Margarina Ferri in civitate Albani die 1 dec. 1781, in qua die 28 febr. 1841 ad minores ordines fuit promotus, Romae in Universitate Studiorum die 22 iul. 1803 lauream doctoralem *ad honorem* retulerat die 12 dec. 1831. Adv. Consistor.; die 11 ian. 1842 Praelatus dome sticus.[3] - *Libro Rotae* docemur, ipsum fuisse relevatum ab onere probandi nobilitatem suae stirpis eo quia nepos erat cardinalis De Petro et iam Papa eum fecerat Praelatum domesticum: dixerunt Domini nulla constitutione pontificia iuberi expresse Auditores teneri probare nobilitatem natalium.

*L. I.*, pag. 8: « Ego Ioannes de Petro, Albanensis, iuramentum « praestiti hac die 17 iunii 1842. - Obiit die 5 maii 1849 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CXCIX.
[2] Ibi, *Processus*, n. CC.
[3] Ibi, *Processus*, n. CCI.

659. *Spinellus Antinori*, Perusinus, electus fuit in locum d. Baglioni Oddi, praedefuncti, Mp. admisso in Rota diei 2 oct. 1844. - Natus Eugubii ex Iosepho, Marchione, et Celindora Alfani, legitimis coniugibus, anno 1802, primam clericalem tonsuram recepit anno 1839 Romae, ubi etiam consequutus est lauream doctoratus in utr. iure, die 2 ian. 1844. - Iudex penes Tribunal civile et criminale Perusiis et postea Professor in Universitate Perusina ac Ponens S. Consultae.[1] - Die 28 dec. 1855 Rotae comunicavit Emus. a Secretis Status, Spinellum a Pontifice petiisse et impetrasse facultatem, se abdicandi a Praelatura et consequenter ab Auditoratu Rotae.

*L. I.*, pag. 28: « Spinellus Antinori, Perusinus, admissus hac « die 2 maii 1845, iuramentum praestiti. - *Auditoris officio dimisso,* « *anno 1855, uxorem duxit* ».

Et rem explicat Moroni, testis oculatus, referens: « *Il Giornale* « *di Roma* de' *28 dicembre 1855* notifica: Il Marchese Spinello An- « tinori di Perugia che da vari anni aveva l'onore di sedere fra gli « Uditori della S. R. Romana, cioè da' 2 maggio 1845, non essendo « astretto da vincoli di sacri Ordini, implorò dal S. Padre la grazia « di dimettersi da quell'uffizio, ed abbracciare lo stato coniugale. La « Santità di N. S., mossa dalle ragioni addotte da quel prelato, si « è degnata accondiscendere alla domanda ». Prosequitur Moroni (*ibi*): « Noterò poi che il Papa lo dichiarò suo Cameriere segreto « di Spada e Cappa soprannumerario ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

660. *Ioannes Alexander De Magno*. In locum d. Rivadeneyra, promoti ad ecclesiam Vallisoletan. subrogatus fuit Alexander del Magno, Volaterran. dioecesis, Praelatus domesticus, Motuproprio dato v kal. sept. an. XIV et in Rota admisso die 2 oct. 1844, cuius processus datam praesefert diei 17 febr. 1845. - Natus die 20 april. 1811 in loco *Chianni* dioec. Volaterran. ex Ioanne Magni et Laura Bruni, primam clericalem tonsuram Romae recepit an. 1837. Lauream doctoratus in utr. iure consequutus est Romae die 17 febr. 1845. - Ponens S. C. Boni Regiminis; Ponens S. Consultae et Praelatus eiusdem S. Consultae.[2] - Sedem Decanalem conscendit, novissimus Decanorum, post Alberghini, anno 1861 ad 20 sept. 1870.[3] - Et die 20 septembris 1870 vidit finem Rotae, novissimus Decanorum.

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CCII.
[2] Ibi, *Processus*, n. CCIII; cfr. inferius, n. 671, pag. 319-320.
[3] Parte I, caput III, *De Decano*.

*L. I.* pag. 32 : « Ioannes Alexander De Magno hac die 28 aprilis « 1845 praestiti iuramentum ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

661. *Franciscus Xaverius La Grua Valdina*, i. u. d. - Illius Motusproprius fuit in Rota admissus die 1 dec. 1845 et inquisitio incoepta die 10 febr. 1846. - Natus in civitate Stockholm dum pater eius Hieronimus Ministri Extraordinarii Regis Catholici munere fungebatur an. 1800, primam clericalem tonsuram recepit Romae die 9 iun. 1846, cum iam fuisset electus et deputatus in Rotae Auditorem: postea vero alios ordines suscepit usque ad subdiaconatum. Romae, item, laurea doctoratus in utroque iure consequutus fuerat an. 1826. Eques Hierosolimitanus; Praelatus domesticus; Votans Signaturae iustitiae.[1] - « Rpd. La Grua Valdina, benedictionem a « s. m. Pontifice Greg. XVI acceperat, sed initium habuit Conclave « quum non adhuc ad postremam usque ex tribus audientiis Tribu- « nalis interfuerat; ac proinde S. R. Auditor declarandus adhuc « erat per notissimam formulam *Esto Auditor* . . . accidit autem ut « Conclave perstiterit spatio tantum duorum dierum, quo brevissimo « intervallo nullus haberi potuit coetus pro causis definiendis. Post « expletas solemnes functiones quae Summi Pontificis electionem sub- « sequuntur, primae sessionis, seu Audientiae dies fuit *26 iunii prox.* « *praeteriti*, eoque die renunciatus est S. R. Auditor. - His positis, « visum est participem eum fieri non debere summae scut. 3000, « quam Summus Pontifex Pius IX pro maxima sua munificentia per- « solvi iussit S. Tribunali, muneris gratia, et propter operam quam « Auditores praestant assistendo rotis eiusdem. ... Ad summam porro « illam impetrandam, supplicem obtulit libellum Rmus Decanus, dum « omnes Auditores simul cum ipso adessent coram Summo Ponti- « fice, pedes eius osculaturi, et praesens etiam esset Ems Vicecan- « cellarius a quo pro veteri consuetudine introducti prima vice ad « Pontificem fuerunt S. R. Auditores ».[2]

*L. I.*, pag. 40: « Ego Franciscus La Grua Valdina praestiti iuramen- « tum hac die 15 maii 1846. - Obiit S. R. Auditor die 24 ian. 1853 ». Et sub hac die *Diarium Camerale* adnotat: « Hodie hora circiter 4ª post « meridiem... d. Valdina La Grua... obdormivit in Domino. Vir pro- « bus atque integer, suavitate morum commendatissimus, sui magnum « desiderium reliquit. Eius corpus, sicuti et ipse optavit, privato more « ad templum S. Cordis Iesu a Confratribus, vulgo nuncupatis Sac-

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CCIV.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.

« coni bianchi, delatum est, ibique sepultum. Quae defuncti voluntas « ut servaretur S. Pontifex praecepit. Itaque cum publicae exsequiae « pro anima eximii viri celebratae non sint, nec noster Ordo iis « interfuit, ceu aliunde moris est, quoties aliquis ex Auditoribus, qui « in officio sunt, diem videat supremum ».

662. *Aloysius Ioachim D'Isoard de Vauvenargues.* - Motuproprio dato IV nonas dec. an. XV et in Rota admisso die 5 dec. 1845 electus fuit in Auditorem Rotae Aloysius Ioachim ex Marchionibus de Vauvenargues, i. u. d., cuius inquisitionis instrumentum est sub data 11 febr. 1846 c. Bofondi, Decano. - Natus in civitate « Aix » die 28 mart. 1801 ex Aloysio Gonzaga Isoard et Maria Polissena Rostolan, sacro presbyteratus ordine fuit insignitus Romae die 12 ian. 1846. Canonicus ad honorem eccles. Cathedr. Adiacensis et Massiliensis; et inter domesticos Praelatos fuit annumeratus die 29 nov. 1845. Fuit insuper Consultor S. C. Episcoporum et Regularium.[1]

*L. I.*, pag. 47: « Ego Aloysius Ioachim d'Isoard hac die « XXVI iunii 1846 praestiti iuramentum. - Obiit anno 1848 ».

Sed errate ponit *Liber iuramenti* datam mortis d. Isoard de anno 1848. Nam *Diarium Camerale* in fine mensis decembris 1847 eam refert, his verbis: « Eximius Collega noster d'Isoard ex hac « vita migravit nocte diei *19 nov.* (*1847*) cum esset in viridi aetate, « pustularum (vulgo: vaiuolo) eruptione correptus ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

## § VI.

## Pius IX.

### (*1 iunii 1846 - 20 septembris 1870*).

Defuncto Gregorio XVI die 1 iunii 1846, die 16 eiusdem mensis « rumor Urbem universam pervasit, electum esse in Ponti- « ficem Cardinalem Gizzi: et procedente nocte patuit non Gizzi, sed « Cardinalem Mastai esse electum Pontificem. - Die 17 iulii 1846. « De die in diem percrebuit fama ingenuitatis, charitatis, gratiae, « moderatique animi Ssmi D. Pii IX simulque exspectatio publica « aucta erat. Licet enim summus ille vir iamdiu Romae virtutum prae- « clarissimarum specimen in minoribus dedisset publice, attamen post- « quam ad Episcopatus dignitatem evectus fuerat, virtutum suarum « lucem splendoremque modeste intra fines unius alteriusve Dioecesis

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CCV.

« sibi concreditae coërcuit. Haec res causae fuit (ut in metropoli acci-
« dere solet) cur memoria eius ex animo vulgi pene deleta reperi-
« retur. Accidit praeterea ut in ipso pervigilio publicandae electionis,
« falsus rumor Urbem universam pervaserit quo per errorem fere-
« batur, Cardinalem Gizzi Pontificem esse electum, qui tunc gratus
« populo erat, propterea quod vir magnae expectationis habebatur.
« Hisce de causis, frigidius quam par erat, acceptum est nuncium
« quo e podio Palatii Quirinalis mane die 17 praeteriti iunii, sub
« hora 13 cum dimidio proclamatum est, Cardinalem Mastai esse
« Pontificem, qui nomen sibi imposuerat Pii IX ».

Haec adnotabat in *Diario Camerali* idem Camerarius qui adnotationem inibi exaraverat in morte Gregorii XVI. Vir politicis passionibus deditus, prouti die electionis Pii IX frigidius quam par erat de ea scripsit, ita die 17 iulii quo Pius IX edictum amnistiae promulgavit, summis laudibus novum Pontificem extollit, ac describit signa laetitiae qua a Populo Romano edictum exceptum fuit.

Pius IX humanissime excepit Rotae Decanum qui ei pedes deosculari voluit die 17 iunii:[1] ac mense augusto, in prima audientia Rotae Auditoribus concessa, praesente Vice-Cancellario qui eos ad novum Pontificem pro veteri more introduxerat, persolvi iussit solitum donativum scutatorum 3000 « propter operam quam Auditores Con-
« clavis tempore praestant assistendo rotis eiusdem Conclavis ».[2]

Exeunte mense octobris 1846 Rm̃um Bofondi Rotae Decanum Ravennam Pro-Legatum misit, eumque creavit Cardinalem *in pectore* in Consistorio diei 21 decembris eiusdém anni, quem tamen publicavit in Consistorio diei 11 iunii anni insequentis.[3]

Die 26 novembris anni 1848 Papa noctu et secreto ab Urbe discessit. Interea lex lata est « de causis italico tantum sermone
« dicendis: (ideo) sacrum Tribunal fuit coactum non modo defensiones
« italico exaratas sermone recipere, verum etiam eodem idiomate
« rescripta edere; quin tamen eadem lex Patribus ulla ratione pro-
« baretur ».[4]

Et in *Diario* suo Camerarius Rotae rescripta italico sermone concinnata signavit.

Sed die 19 februarii 1849 cognoverunt Auditores « Pontificem
« Pium IX O. M. temporali per summum nefas fuisse privatum

[1] *Arch. Rot., Liber S. Rotae,* 4, pag. 418, die 17 iunii 1846.
[2] Ibi, *Diarium Camerale.*
[3] Ibi, citat. *Diarium.*
[4] Ibi, citat. *Diarium.*

« potestate, Rempublicamque fuisse constitutam ». Emmanuel Muzzarelli, Decanus, qui hinc a die 9 - inscia tamen Rota - illius mensis Republicanorum castra ingressus fuerat, cum abesset, Auditores « statim Rpd. De Avellà commiserunt munus (quod tamen reve- « rendi patris domini De Silvestri fuit ob illius adversam valetudi- « nem) ut Rm̃um adiret Decanum ... eique significaret, sublato Pon « tificio regimine, Patres suo statim munere abdicare, nec fore ut « amplius convenirent in Tribunal, etiamsi iurisdictio qua antea pol- « lebant, fuisset prorogata. Praeterea iidem Patres statuerunt Ponti- « ficem morantem Caietae hac de re facere certiorem: hoc autem « officium a Rpd. De Avellà fuit susceptum ». - A Caieta Pius IX in Decanum Rotae declaravit Rpd. De Avellà.[1]

Siluit Rota ad diem usque 20 augusti 1849, quo restitutis una cum pontificia temporali potestate tribunalibus, Auditores congregati in domo Decani statuerunt « primum, unumquemque sciscitari « a singulis Adiutoribus a Studiis utrum amplius suo munere fungi « vellet; eo tamen consilio ut si postea innotesceret eorum quem- « piam anteacto Reipublicae tempore se haud recte honesteque ges- « sisse, statim is utpote indignus de honore deiceretur.

« Conventum praeterea fuit, Decisiones quae italico sermone « antea fuerunt exaratae, quaeque nondum ab Adiutoribus a Studiis « typis demandandae, fuerunt traditae, iterum latino elucubrarentur « sermone.

« Denique praestitutum fuit quod cum Congregatio rotalis ob « temporis angustias de more haberi non posset octavo idus augu- « sti, idcirco alia haberetur Congregatio sexto kalendas septembris, « atque hac de re Romana Curia certior fieret ».[2]

Pius IX Urbem repetiit die 12 aprilis 1850: eum Rota invisit insequenti die 13, qua ipse Papa Auditoribus pandidit « desiderium « suum ut expensae quas novi Rotae Auditores huc usque subie- « runt, delati muneris causa, in posterum quo magis fieri posset, « minuerentur ». Ideoque Auditores die 15 insequenti « de re habito « sermone, post subortam disceptationem », constituerunt res ita ordinare, videlicet; « post expletum processum, novus Auditor ab Emo Vice- « Cancellario argumentum accipit, ex canonico iure depromptum, quod « privatim apud eumdem pertractabitur, brevi a Novitio enarratione « praemissa de emenso studiorum curriculo et de anteactae vitae « ratione. Atque isthaec privata oratio loco erit conclusionum, sive

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Ibi, l. c.

« publicarum sive privatarum, quas iam Rotae Auditoribus praescri-
« pserant Bullae s. m. Martini V, quasque in desuetudinem abire,
« in tanta rerum vicissitudine et temporum asperitate opportunum
« esse plurimi ex Patribus censuerunt, dissentientibus tamen reve-
« rendi Patres Domini Bonini, Quaglia et De Magno. Consequen-
« terque desuescent munera quae tunc distribuebantur, vulgo nun-
« cupata " barrette, guanti, pizze, fiaschetti ,,. - Modus itidem coërcitus
« est quoad " le mancie ,, et " regalie ,, in quibus normam ser-
« vari placuit iam inductam ingressu ultimi electi Auditoris Rpd. Mer-
« tel. - Ea praeterea die qua electo Auditori os a Decano aperitur,
« data ei facultate in causis pronunciandi, assueta formula: *Esto*
« *Auditor*, de more Tribunal ad domum eiusdem se conferet, ut prae-
« sertim inspiciat, an cubiculum a studiis ita instructum sit ut legibus
« ac consuetudinibus sacri Ordinis prorsus conveniat. At oeconomiae
« gratia, calidae gelidaeque potiones quae tunc offerebantur praesen-
« tibus, omittentur.

« Deputati deinde fuerunt Rm̃us Recanus et Rpd. Alberghini
« qui haec Pontifici referrent », [1] et die 29 aprilis omnia Pontifex probavit, [2] quae exsecutioni mandari occeperunt die 14 iunii 1850 in admissione Rpd. Serafini. [3]

Post haec, notabiliora pontificatus Pii IX ad diem usque 20 septembris 1870, pauca sunt quidem: anno 1852 obtinuit ut Aloisius Napoleo, Gallicae Reipublicae Praeses, Gallici Auditoris ad nominationem venisset, [4] et studiorum Adiutores ac Rotae Secreti a Papa petierunt ut sibi constitueretur certum curriculum in officiis publicis. [5]

Et die 20 septembris 1870, Rota, militaribus copiis Italicis Urbem intrantibus, a iudicatu cessavit, siluitque.

*Vice-Cancellarius* illi fuit card. Bernetti; card. Amat. [6]

AUDITORES AB EO PROMOTI:

*Ad Cardinalatum:* Petrus De Silvestris.

*Ad Episcopatum:* Petrus Giannelli; Carolus de la Tour d'Auvergne; Carolus Place.

*Ad munia minora:* Angelus Quaglia; Theodulphus Mertel; Antonius de Witten; Augustus Negroni.

[1] *Arch. Rot., Diarium Camerale.*
[2] Cfr. vol. III, pag. 658, n. 562.
[3] *Arch. Rot.*, citat. *Diar. Camer.*
[4] Ibi, citat., *Diar.* die citata.
[5] Cfr. vol. III, pag. 692, n. 588.
[6] CRISTOFORI, l. c.

Auditores ab Eo creati

Magistri:

663. *Theodulphus Mertel.* « Fungebar munere Adiutoris a Studiis « Rpd. mei Quaglia », scribit, narrans in suo *Diario*, ipse Theodulphus - « cum mense aug. an. 1843 a s. m. Greg. XVI, inter Dome- « sticos Praesules adlectus fui, illicoque in Collegium VII Virorum « Signaturae iustitiae Votantium cooptatus. Mox, anno 1844, ad « Tribunal Auditoris Camerae translatus, cum eiusdem pro-praefe- « cturam gererem, a S. P. Pio IX mihi, *exeunte mense sept. 1847* « *collatum fuit officium Auditoratus Rotae*, vacans ob promotionem « ad Cardinalatum Rmi Bofondi, iam Decani. - Expedito illico, die « 1 oct. in Dataria Motuproprio super nominatione praedicta, illud « die 3 eiusd. mens. in Cancelleria Apost. subscriptum fuit a Card. « Vicecanc. ac postea exhibitum in prima Rota habili, scilicet in prima « post iuramentum, quae fuit die 22 novembris (1847), servataeque « fuerunt reliquae consuetae solemnitates usque ad decretum super « formatione Processus, seu inquisitionis, quod latum fuit in Rota « diei 6 decembris. - Dum consuetum trimestre pro confectione Pro- « cessus elabebatur, erupit illa generalis rerum publicarum commotio « cuius praecedentia signa, subrepentemque praeparationem ac mox « crescentes, lateque demum debacchantes vices, nos vidimus et « historiae enarrabunt.

« Ineunte mense febr. an. 1848, ita temporum conditione impel- « lente, Summus Pontifex Congregationem instituit quae expenderet « quomodo temporali ditioni S. Sedis attemperandae forent gubernii « formae quae non solum in Italiam, verum etiam fere in universam « Europam invectae fuerant. Huius Congregationis collatum mihi « munus fuit Secretarii *cum voto;* itaque ancipitis, salebrosi, arduique « huiusmodi mandati onus pars maxima mihi obtigit. Eo mandato « expleto, adscitus fui in aliam Congregationem super reformationem « legum quae vigebant, ac moderabantur censuram scriptorum typis « edendorum, et cum temporis interim cessissent PP. Societatis Iesus, « uti Secretarius patrimonio tuendo, Collegii Romani Studiorum « rationi moderandae ac Collegio Germanico-Hungarico gubernando « electa fuerat. - Hisce gravissimis distentus negociis, aliquando visi- « tationes ac petitiones quae in coeremoniali instructione pro Rotali « Processu electo Auditori praescriptae erant, personaliter non peregi, « et epistolam ea de re mittebam Decano Rotae ». - Prosequitur ipse describens novam rationem habendi disputationes, quam ego

retuli part. I in cap. *De Novitiatu electi Auditoris*, et concludit, inquiens: « In Adiutorem a Studiis assumpsi d. Ioan. Bapt. Santelli « in R. Curia Adv.; in unum autem alterumve e Coadiutoribus seu « Secretis, R. D. Iosephum Can. Franchi, iam eodem munere fun- « gentem penes Rpd. Antinori, et Peregrinum Pellegrini i. u. d. ». – Processus illius datam praesefert diei 9 dec. 1847, coram Muzzarelli, Decano. Eo scimus patrem Theodulphi Isidorum filium Ioannis Georgi de Elphia dioeces. Augustanae in Germania fuisse, matrem Mariam Franciscam Lunadei, Alumeriensem. Natus erat Alumeriae die 9 febr. 1806; clericali tonsura insignitus anno 1843; Doctor in utr. iure renunciatus Romae an. 1828; in albo Advocatorum adscriptus an. 1831 et, demum, inter Praelatos domesticos annumeratus die 9 aug. 1843.[1] – In suo *Diario* d. Mertel non omittit adnotare, se sibi in tertium a *Secretis*, ex rescripto Ssmi, de mense april. 1851, assumpsisse *Iosephum* illum *Bondini* qui ann. 1854 typis Fratrum Pallotta, Romae edidit opusculum « *Del Tribunale della S. R. Rota* » saepius a me citatum. - Concluditur *Diarium* Theodulphi his verbis: « Die 10 curr. (mart. 1853) ex Ssmi D. N. Pii IX « munificentia, munus mihi collatum fuit Praefecti ab Internis Status « negociis moderandis, cum nuper praefecturae huiusmodi in vim . . . « edicti diei 10 sept. 1850, altera accesserit Gratiae et Iustitiae nun- « cupata . . . Hac mane tamen S. Tribunal adivi ad hoc ut de more « RR. PP. DD. meis notitiam praeberem oneris quammaximi mihi « noviter commissi. Quo debiti officiique munere expleto, in causis « decidendis suffragium tuli; inde, testimoniis dilectionis ultro habitis, « cum maxima animi mei pertubatione, discessi ».

*L. I.*, pag. 24: « Ego Theodulphus Mertel, Alumerien, iuramen- « tum praestiti die octava maii 1848. – Mense mart. 1853 Minister « renunciatus est pro Interioribus negociis Status, necnon Iustitiae « et Gratiae - et deinde S. R. E. Cardinalis ». Obiit Romae Vice-Cancellarius, et egomet suis interfui exsequiis.

Decisiones illius in 1 vol. collegit et evulgavit Romae, ann. 1853, typ. fratr. Pallotta, Adv. Casimirus Guglielmotti qui fuerat alter a secretis suffragiis d. Mertel, easque solitis summariis, argumentis et indicibus locupletavit. Sunt numero 74. Et eas legere est etiam in Collect. *Volantium*.

664. *Aloisius Seraphini*. Ioanni de Petro, defuncto, subrogatus fuit Aloisius Seraphini, clericus Sabinen., i. u. d., nominatione facta

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CCVI.

prius a Cardinalium Commissione Status, sed a Rota non acceptata utpote quae a Summo ipso Pontifice non videbatur procedere, [1] deinde Motuproprio dato XIV kal. febr. an. IV et admisso in Rota diei 28 ian. 1850 cuius inquisitionis instrumentum fabricari coeptum fuit die 18 mart. 1850. - Natus Manleani apud Sabinos, baptizatus fuit die 7 iul. 1808. Parentes illi fuerunt Ioseph Seraphini et Anna Giorgi, Romana: prima clericali tonsura insignitus fuit die 31 dec. 1843; utriusque iuris doctoratus laurea decoratus fuit in Archigymnasio Sapientiae an. 1832 de mense april. Gens Serafinia aggregata erat nobilitati civitatum Urbini ab anno 1732; Sabinensis ab anno 1800 in vim Motusproprii Pii VII diei 6 dec.; Ravennae ab die 7 aug. 1820; Asculi in Picenis ab die 27 april. 1822; denique Interamnensi. - In albo Advocatorum Curiae admissus die 4 iul. 1836; Consultor Provinciae Reatinae die 19 ian. 1843; tandem Praelatus domesticus die 28 dec. 1843. [2] Fuerat Secretus S. Ordinis penes Rpd. Bonini. [3] Fuit admissus in Rota in loco Auditoris Germanici; sed cum anno 1858 Austriae Imperator suum Auditorem iterum nominare coepisset, Seraphini fuit translatus ad locum vacantem Coronae Aragoniae, salvis tamen omnibus iuribus etc. De anno vero 1861 iterum translatus fuit in locum Auditoris Bononien. in quo successit Alberghini, defuncto, et est Bononiensium Auditorum novissimus. [4] - Obiit cardinalis et Praefectus S. C. Concilii, eoque Praefecto eiusdem S. Congregationis, ego praxi Advocatiae manus apposui anno 1894.

*L. I.*, pag. 8: « Ego Aloysius Serafini, Manleanensis, iuramentum « praestiti hac die 26 iunii 1850 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

665. *Aloysius Antonius De Witten.* « Officiali littera Emi Cardi- « nalis Antonelli, qui a Secretis Status officio fungitur, Decano « S. Tribunalis significatum est, electum in Rotae Auditorem fuisse « Rpd. Antonium De Witten. Is Romae natus in Advocatorum « numero adlectus aliisque muneribus publicis perfunctus, mox inter « Ferrarienses Patricios adscitus. Pro hac provincia in Ordine nostro « cooptatus, in locum Comitis Muzzarelli succedit, suumque Motum- « proprium is Tribunali exhibebit in Rota iuramenti proximi futuri « anni . . . . . ». [5] « Motuproprio . . . Cum unum officium, seu locus « unius Causarum P. A. quod, seu quem, *quidam* Carolus Emma

[1] Vol. III, pag 657, n. 561.
[2] *Arch. Rot., Processus,* n. CCVII.
[3] Ibi, *Diarium Camerale.*
[4] Ibi, *Ex Diariis et Libro Iuramenti.*
[5] Ibi, *Diarium Camerale,* sub die 2 sept. 1850.

« nuel Muzzarelli alias obtinens ob notissima ab eo perpetrata crimina « poenam privationis dicti officii seu loci eo ipso incurrit, per priva- « tionem huiusmodi vacaverit et vacet ad praesens, nos volentes dile- « ctum filium Magistrum Aloysium Antonium De Witten, Clericum, « nobilem Ferrarien., Praelatum nostrum Domesticum, in Romana « Curia iampridem Advocatum, ac i. u. d. . . . favore prosequi. . . « eumdem magistrum in Palatii Auditorem eligimus, assumimus ac « deputamus ». Ita Pius IX sub die III nonas sept. anno v. Et Motus-proprius fuit admissus in Rota diei 18 nov. 1850. - Processus coepit fabricari die 2 ian. 1851 coram De Avellà, Decano. Filius erat Aloisius d. Natalis De Witten et Mariae Ioannae Zappati, natus die 6 iul. 1805 Romae, ubi et an. 1850 clericali tonsura fuit insignitus, et laurea doctoratus in utroque iure cohonestatus die 23 iul. 1827. Consultor Legalis S. C. de Prop. Fide; Auditor Legalis S. C. Rev. Fabricae; Consultor Legalis Doganae Status; Repraesentans Gubernii in Administratione Salium et Tabaccorum; Consultor Legalis Camerae Spoliorum. [1] - « 17 nov. 1865 Rm̃s Decanus patefecit Auditoribus, Rpd. « De Witten electum fuisse a clementia supremi Pontificis Pii IX ad « Interna negocia Status gerenda, ideoque sedium mutatio statim « expleta ». [2]

*L. I.*, pag. 15: « Ego Aloysius Antonius de Witten, Romanus, « civis Ferrariensis, hac die 28 april. 1851 iuramentum praestiti. - « Nominatus Minister a negociis Internis Status, decessit in illo « officio an. 1868 ».

Illius Decisiones inter *Volantes*.

666. *Salvator Nobili Vitelleschi.* Angelo Quaglia, electo in Secretarium S. C. Concilii, fuit subrogatus Salvator Nobili Vitelleschi, Romanus, cuius nominatio adnotatur in *Libro S. Rotae* sub die 18 mart. 1852. At omni et cuicumque iuri sibi dato per Motumproprium Salvator cessit et renuntiavit, uti constat ex tenore Motus-proprii successoris eius, Petri Giannelli, dati die 10 dec. 1852. [3]

667. *Gasto e Comitibus De Segur.* Motuproprio, dato VI idus iunii an. VI et admisso in Rota diei 11 ian. 1852, Aloisio d'Isoard de Vauvenargues, defuncto, fuit subrogatus Gasto e Comitibus de Ségur, presbyter, Parisien., in civili iure doctor, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 10 iul. 1852. - Natus ex Comite Henrico et Sophia Rostopsine, baptizatus fuit die 17 april. 1820, Parisiis,

[1] *Arch. Rot., Processus,* n. CCVIII.
[2] Ibi, *Diarium Camerale.*
[3] Vide inferius n. 668, pag. 318.

ubi sacro presbyteratus ordine fuit insignitus die 18 dec. 1847. Romae lauream doctoratus iuris utriusque consequutus est die 2 iul. 1852 postquam fuerat iam in Auditorem Rotae electus. Praelatus Domesticus, die 21 maii 1852.[1] - « Dalla Segreteria di Stato « *8 ian. 1856*. Per la spontanea dimissione di Mgr. Gastone De « Ségur dall'officio di Uditore della S. R. Rota, la Santità di N. S. « si è benignamente degnata di nominarvi Mgr. Carlo de La Tour « d'Auvergne, ecc. ». Lumina ex integro perdiderat et iam ab die 4 aug. 1854 studio causarum incumbere nec poterat, nec, iussu Ssmi, debebat.[2]

*L. I.*, pag. 47: « Ego Ludovicus Gasto de Ségur hac die « 10 ian. 1853 praestiti iuramentum ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

668. *Petrus Giannelli*. Angelo Quaglia electo in Secretarium S. C. Concilii, eius in locum Rotae fuit suffectus, prius Salvator Nobili Vitelleschi, qui tamen omni et cuicumque iuri se abdicavit eodem anno, et postea Petrus Giannelli, presbyter, Interamnen., i. u. d., Magister S. Theologiae, cuius Motusproprius fuit admissus in Rota diei 10 dec. 1852 et inquisitionis instrumentum datam praeserfert 21 febr. 1853 coram De Silvestris, Pro-Decano. Natus die 11 augusti 1807 ex Andrea et Olimpia Petroni, Interamnae, ibique sacerdos consecratus fuit die 3 oct. 1830. Lauream doctoratus in utr. iure consequutus est Romae in Archigymnasio Sapientiae die 25 maii 1831. – Praelatus domesticus.[3] – Post Rotam diei 22 martii 1858 adnotat in suo *Diario* Rpd. Negroni: « Rpd. Giannellio ad Archiepisco- « palem dignitatem evecto atque Apost. Sedis apud utriusque Siciliae « Regem legationis munere condecorato, hoc ordine sedebunt abhinc « Patres, etc. ».

*L. I.*, 52: « Petrus Giannelli, Interamnensis, iuramentum prae- « stiti hac die 3 iunii 1853. - Archiepiscopus Sardien. et Legatus ad « Regem Siciliae renuntiatus die 6 iun. 1858 ».[4]

Decisiones illius inter *Volantes*.

669. *Augustus Negroni*. Locum Rotae « quem Mag. Aloysius Bo- « nini nuper obtinebat, ex eo quod Nos eidem Magistro .... iubilationis « veniam concessimus » vacantem Pius IX concessit Augusto Negroni,

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CCIX.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] *Arch. Rot., Processus*, n. CCX.
[4] Ibi, Corrige datam *Libri iuramenti* iuxta superiorem adnotationem *Diarii* Negroni.

presbytero Romano, i. u. d., Motuproprio, dato XVI kal. ian. an. VII et admisso in Rota diei 7 ian. 1853. Inquisitionis instrumentum datam praesefert diei 1 martii 1853. - Eo scimus, Augustum natum fuisse Romae die 14 febr. 1820 ex Comite Stanislao Negroni et Coelestina Aquaroni: presbyterum fuisse ordinatum die 18 sept. 1852, cum iam esset Canonicus Vaticanus: lauream doctoratus in utr. iure die 9 augusti 1843 assequutum fuisse. Praelatus domesticus; Ponens S. C. Boni Regiminis et S. Consultae. [1]

*L. I.*, pag. 12: « Ego Augustus Negronius, Romanus, iuramentum « praestiti hac die 13 iunii 1853. - Mense martii 1868 nominatus « Minister pro internis negociis Status ».

Decisiones illius inter *Volantes.*

670. *Aeneas Sbarretti.* Motuproprio, dato pridie idus martii anno VII et in Rota diei 16 martii 1853 admisso, locum vacantem per promotionem d. Mertel ad officium Administri a negociis publicis Pontificiae ditionis, obtinuit Aeneas Sbarretti, presbyter dioec. Spoletanae, iur. utr. doctor, cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari sub die 10 maii 1853. - Natus ex Carolo et Magdalena Bonafede, baptizatus fuit die 27 ian. 1808 in sacr. Basilica Lateranen.; presbyter ordinatus an. 1830, et an. 1832 laurea doctoratus in utr. iure cohonestatus in Archigymnasio *Sapientia* Romae. Praelatus domesticus; Iudex Tribunalis civilis Almae Urbis. [2]

*L. I.*, pag. 24: « Ego Aeneas Sbarretti, Spoletinus, iuramen- « tum praestiti die 13 ian. 1854 ».

Die 20 sept. 1870 vidit Rotae finem.

Decisiones illius inter *Volantes.*

671. *Emmanuel Rodriguez y Sanchez.* Motuproprio dato VI idus aprilis an. VII, admisso in Rota diei 10 iun. 1853, Pius IX locum « quem « iam per promotionem Ven. Fratr. n. magistri Antonii Ribade- « neyra ad Episcopalem Eccl. Vallisoletanam. vacantem usque adhuc « retinuit dilectus filius noster Magister Ioannes Alexander De Magno, « quem Nos nuper, vigore Motusproprii, manu nostra signati, ad « aliud officium seu locum huiusmodi per obitum vacans, seu vacan- « tem, transtulimus, itaut de primodicto officio, seu loco, sic vacan. « providere possimus aliquem Filium nostrum ex Hispana Regione « quem pro Regno Castellae aliarum Causarum eiusdem Pal. Ap. « Auditorem numero et consortio aggregari contingat. Et illud, seu « illum, adhuc ut prius per promotionem eamdem vacare decrevimus,

[1] *Arch. Rot,, Processus,* n. CCXI.
[2] Ibi, l. c., n. CCXII.

« prout ad praesens vacat », contulit Emmanueli Rodriguez y Sanchez, presbytero Hispan., ac i. u. doctori, cuius inquisitionis instrumentum est sub data 15 aug. 1853. - In loco Casabermaja, die 31 oct. 1799 natus erat Emmanuel noster ex Aloisio et Maria Sanchez, dioec. *Malaga*. Die 24 sept. 1825 presbyter fuerat consecratus Romae, ubi anno insequenti lauream doctoratus in utr. iure est consequutus. Praelatus domesticus, die 10 iun. 1853. [1]

*L. I.*, pag. 32: « Emmanuel Rodriguez et Sanchez, Malavitanae « dioec., hac die 20 ian. 1854 praestiti iuramentum. - Obiit die « veneris V aug. 1864, hora circiter prima post meridiem ».

Et iste Auditor concludit series Auditorum loci Coronae Castillae assignati in Rota et in *Libro iuramenti*.

Decisiones illius inter *Volantes*.

672. *Carolus Amabilis de la Tour d'Auvergne*. Motuproprio, dato VIII kal. febr. an. X et in Rota admisso die 15 febr. 1856, Pontifex in locum, vacantem per liberam dimissionem facta a Gastone ex Comitibus de Segur, suffecit Carolum Amabilem de la Tour d'Auvergne, presbyterum Atrebaten. dioeces. Magistrum in Theologia, cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari die 27 febr. 1856. – Natus die 6 dec. 1826 ex Comite Bernardo et Maria Felicitate de Chauvigny in civitate *Moulins* in Gallia fuit presbyter ordinatus an. 1849. Canonicus eccl. Atrebaten.; Vicarius Generalis Atrebaten., et Praelatus domesticus ac Protonotarius Apl. *ad instar*. – [2] « 29 iun. 1861. In hac rotali congregatione defuere RR. PP. DD. « De Magno, Rodriguez, La Tour d'Auvergne: primi, eo quod « ab Urbe absint: postremus vero ob novum episcopale munus « susceptum ». [3]

*L. I.*, pag. 47: « Ego Carolus Amabilis de La Tour d'Auver- « gne, Atrebatensis, hac die 17 nov. 1856 praestiti iuramentum. - « Deinde Archiepiscopus Bituricen ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

673. *Antonius Pellegrini Amadori*. Per liberam dimissionem praelaturae ab Spinello Antinori factam, vacantem locum Rotae concessit Pontifex Antonio Pellegrini, presbytero Suanen., i. u. d., Motuproprio dato XI kal. mart. an. X et admisso in Rota die 22 feb. 1856 cuius inquisitionis instrumentum coram De Silvestris Decano coepit fabricari die 5 martii 1856. - Natus ex Iosepho et Liberata Paradisi

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CCXIII.
[2] Ibi, l. c., n. CCXIV.
[3] Ibi, *Diarium Camerale*.

in loco Piancastagnaio die 27 febr. 1816, sacro presbyteratus ordine fuit insignitus die 30 mart. 1839 : lauream utriusque iuris consequutus est anno 1842 Romae. – Praelatus domesticus. [1]

*L. I.*, pag. 28 : « Antonius Pellegrini, Suanensis. Hac die 26 « nov. 1856 praestiti iuramentum ».

Et ipse claudit seriem Auditorum Etruriae in *Libro* praedicto *iuramenti;* viditque finem Rotae die 20 sept. 1870.

Decisiones illius inter *Volantes*.

674. *Antonius Caiani*, clericus Nucerinus, i. u. d., Praelatus domesticus, Motuproprio dato XII kal. april. an. XII et in Rota admisso 24 mart. 1858 obtinuit locum quem Petrus Giannelli ante obtinebat quam ivisset Nuntius apud Regem utriusque Siciliae, Ferdinandum II. Processus illius coepit fabricari coram Alberghini Decano an. 1858, die vero 2 iunii. - Natus in loco *Gualdo Tadino*, ex Laurentio Bernardino et Clementina, baptizatus fuit die 13 iun. 1804. Primam tonsuram recepit Romae, die 17 iul. 1846. Philosophiae doctor Romae renuntiatus anno 1858 ; lauream doctoratus in utroque iure assequutus die 22 iul. 1826. Advocatus anno 1836 ; Cappellanus intimus Papae, die 16 octobris 1846 ; Praelatis adscriptus die 13 aug. 1847. Fuit etiam S. Consultae Ponens et Adiutor Tribunalis Signat. Iustitiae ; Iudex Tribunalis civilis Urbani et Vice-Praeses eiusdem. Illius gens inter nobiles civitatis *Gualdo Tadino* reperiebatur et aliarum civitatum pontificiae ditionis. [2]

*L. I.*, pag. 52 : « Ego Antonius Caiani Nucerinae Dioec., iura- « mentum praestiti hac die 7 ian. 1859. - Obiit extremum diem ... « . . . . ».

Die 20 septembris 1870 vidit Rotae finem.

Decisiones illius inter *Volantes*.

675. *Franciscus Nardi*. Translato ad aliud officium, seu locum, Rotae d. Serafini, Pius IX locum sic vacantem tribuit Francisco Nardi, presbytero Ceneten. nobili genere nato, philosophiae ac iuris utr. doctori, Praelato domestico, ut collegio et consortio Auditorum Causarum Palatii posset aggregare *aliquem pro Regno Longobardo.*[3] - Motusproprius, datus pridie nonas sept. an. XIII, fuit in Rota admissus die 19 nov. 1858, quae fuit Rota iuramenti. Instrumentum inquisitionis datam praesefert 1 dec. 1858. - Natus erat Franciscus in loco *Vazzolla* ex nobili Ioanne et ex Maria Curti, patritia Veneta,

[1] *Arch. Rot., Processus*, CCXV.
[2] Ibi, *Processus*, CCXVI
[3] Cfr. supra n. 664, pag. 315-316.

die 18 iun. 1808. In Universitate Patavina lauream doctoratus in utr. iure consequutus est die 13 nov. 1844; adscriptus Collegio Theologico Patavino die 8 iun. 1838, professor iuris Canonici in Universitate Patavina, fuit renunciatus Defensor vinculi matrimonialis ad ecclesiasticum tribunal Patavii, quo munere functus fuit etiam Examinatoris Pro-Synodalis. Praelatus domesticus renunciatus die 27 aug. 1858.[1]

*L. I.*, pag. 8: « Ego Franciscus Nardi, Ceneten., iuramentum « praestiti hac die 2 maii anni 1859 ».

Die 20 sept. 1870 vidit finem Rotae.

Decisiones illius inter *Volantes*.

676. *Aloysius Flir.* Motuproprio dato kal. sept. an. XIII et in Rota admisso die 19 nov. 1858, Pontifex locum, quem Petrus de Silvestris promotus ad cardinalatum, obtinebat, tradidit Aloysio Flir, presbytero Brixien. Dioec., Praelato domestico, philosophiae ac i. u. doctori, cuius processus est sub data 10 dec. 1858. - Natus in Landeck ex Paulo et Clara Neuruter die 7 oct. 1805, presbyter fuit consecratus an. 1835 et Viennae studiis theologicis incubuit. Rector Universitatis Oenipontanae; Consiliarius scholaris in Tirolo; Consiliarius Ecclesiasticus ad honorem Brixiensis Dioec.; Consultor S. C. Indicis et Praelatus domesticus nominatus an. 1858. Laurea doctoratus in utroque iure cum careret, Pius IX per *Breve* diei 3 sept. 1858 titulum doctoris in utroque iure ei concessit.[2] - Die 11 mart. 1859, « data fuit notitia mortis Rpd. Flir, Auditoris electi Austriaci »; scilicet, occubuit antequam Novitiatum expleret.[3]

677. *Henricus Comes de Bellegarde.* Aloysio Flir, defuncto, fuit subrogatus Henricus Comes de Bellegarde, presbyter Olomucen., Praelatus domesticus ac i. u. d., Motuproprio, dato XVII kal. april. an. IV et in Rota admisso die 16 april. 1860, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 22 iun. 1860. - Natus die 5 nov. 1825 ex Augusto, I. R. Ciambellano, et Iulia filia Baronis de Gudenus, Viennae in Austria, die 4 aug. 1858, sacro presbyteratus ordine fuit insignitus. Per *Breve* fuit renunciatus doctor in utroque iure die 13 martii 1860, et eisdem die et anno Praelatus domesticus.[4] - D. De Bellegarde a Rota se absentavit die 7 dec. 1866 « ex venia obtenta « per 15 dies »[5] et postea non amplius ad Tribunal revertit. Ita ut « die 11 mart. 1867 » Emus a Secretis Status sacro Tribunali notum

[1] *Arch. Rot., Processus*, n. CCXVII.
[2] Ibi, *Processus*, n. CCXVIII.
[3] Ibi, *Liber S. Rotae*, 4, pag. 638.
[4] Ibi, *Processus*, n. CCXIX.
[5] Ibi, *Diarium Camerale*.

fecerit, Rpd. Bellegarde « cum per multum tempus absens fuerit ab « Urbe Roma, sit habendus tamquam dimissus ab officio; ideoque « eius sedes vacat, ac contigit immutatio subsellii ». [1] Illi successit de insequenti mense aprili, A. Apolloni.

*L. I.*, pag. 36: « Ego Henricus Bellegarde, Viennensis, iura- « mentum praestiti hac die 7 ian. 1861 ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

678. *Carolus Lavigerie*. In locum Rpd. De La Tour D'Auvergne promoti ad eccl. Colossen. *in partibus*, et deputati in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione Metropolitanae eccl. Bituricen., fuit electus et deputatus in Auditorem Rotae Carolus Lavigerie, presbyter Baionen, dioecesis, doctor Theologiae, Motuproprio dato pridie idus nov. an. XVI et admisso in Rota diei 18 nov. 1861, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert diei 22 ian. 1862. – Natus die 31 oct. 1825 ex Leone Philippo et ex Aloysia Laura Latriche, presbyter fuit ordinatus Parisiis die 5 iun. 1849 ac laurea doctoratus in utr. iure fuit insignitus per *Breve* Pontificis die 6 dec. 1861 postquam fuerat in Auditorem Rotae electus. In Universitate Parisien. Magister; Canonicus Honorarius Cathedralium ecclesiarum Massilien. et Montispessulanae, ac Praelatus Domesticus. [2] – « 16 martii 1863. Hodie mane Sanctitas Sua in Consistorio secreto « Rpd. Carolum Lavigerie S. N. O. Auditorem, Episcopali dignitate « insignivit, eumdemque Ecclesiae Nancy, et Toul. praeposuit ». Et e Rota exivit. [3]

*L. I.*, pag. 47: « Ego Carolus, Martialis, Allemand, Lavigerie, Pari- « siensis, iuramentum praestiti die 5 maii 1862. - Deinde Archiepi- « scopus Algerin. ». - Obiit Cardinalis sub Leone XIII et Archiepiscopus Carthaginen.

Decisiones eius inter *Volantes*.

679. *Martialis de Avila*. « Motuproprio etc. Cum unum Officium seu « locus unius Auditoratus Causarum Palatii Apostolici, quod seu quem, « usque adhuc retinuit dilectus Filius Noster Magister Alosius Sera- « fini, quem Nos nuper, vigore Motus Proprii manu Nostra signati, « ad alium officium seu locum, per liberam dimissionem dilecti etiam « Filii Magistri Ignatii Alberghini in manibus Nostris sponte factam « et per Nos admissam, vacans seu vacantem, transtulimus, ita ut « de primo dicto Officio seu loco providere, et in aliorum Causarum

[1] *Arch. Rot., Diarium Serafini.*
[2] Ibi, *Processus*, CCXX.
[3] Ibi, *Diarium Camerale.*

« eiusdem Palatii Apostolici Auditorum numero et consortio aggre
« gari aliquem possimus pro Regno Aragonensi, [1] per translationem
« eamdem vacaverit et vacet ad praesens, Nos volentes dilectum
« quoque Filium Magistrum Martialem De Avila Presbyterum Cano-
« nicum Provisorem, ac Vicarium in Spiritualibus generalem Metro-
« politanae Ecclesiae Burgensis, Praelatum Nostrum Domesticum,
« ac iuris utriusque Doctorem... favore prosequi gratioso, Motupro-
« prio... eumdem Magistrum Martialem in P. A. huiusmodi Audito-
« rem tenore praesentium eligimus, assumimus et deputamus et in
« locum dicti Magistri Aloisii quoad officium... substituimus seu subro-
« gamus ». Ita Pius IX in Motuproprio collationis Auditoratus, die 18 nov. 1861 admisso in Rota, et ad calcem instrumenti inquisitionis illius allegato, quod instrumentum coepit fabricari die 25 ian. 1862. - Natus ex Ioanne et Maria Theresia Laglera baptizatus fuit die 10 ian. 1812. Nobilis erat, nam Henricus nobilis Rex Castillae genti Avilae, soeculo XVI, nobilitatem haereditariam cum omnibus honoribus et praerogativis adnexis concesserat. Presbyter ordinatus fuit die 28 maii 1836 Hispali. Secretarius episcopi Salamantini, illiusque eccl. Canonicus et deinde Canonicus in Metropolitana Burgen. « Romam
« etiam Episcopos Hispanos definitionis dogmaticae Immaculatae Con-
« ceptionis Virginis Deiparae causa convenientes, comitatus est; ibique
« Ssmus D. N. Pius... IX in Cubicularium intimum supernumerarium
« eum adscivit ». Postea die 3 dec. 1858 constituit idem Pontifex Martialem Praelatum domesticum. Fuit etiam Vicarius Generalis et Examinator Synodalis Burgensis. [2]

*L. I.*, pag. 20: « Ego Martialis de Avila iuramentum praestiti
« die 2 maii 1862. Astigitanus, Dioec. Hispalensis ».

Die 20 sept. 1870 vidit finem Rotae.

Decisiones illius inter *Volantes*.

680. *Carolus Place*. In locum vacantem per promotionem d. Lavigerie ad ecclesiam Nanceyen. et Tullen. fuit electus et deputatus in Auditorem Rotae Carolus Place, presbyter Parisien., i. u. d. et Praelatus domesticus, Motuproprio dato XV kal. maii an. XVII et in Rota admisso die 5 iun. 1863, cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari die 3 aug. 1863. - Parisiis baptizatus fuerat die 15 febr. 1814, natus ex Philippo et Maria Camilla Lefebvre. Inter domesticos Praelatos die 27 mart. 1863 adscriptus. - Cum laurea in utroque iure

[1] Cfr. supra n. 664, pag. 315-316.
[2] *Arch. Rot., Processus*, CCXXI.

careret, illi Pius IX titulum et iura doctoratus in utroque contulit per *Breve* diei 28 iul. 1863.[1] – Sub die 21 aug. 1866: « Rms. Decanus... « patefecit S. Tribunali Epistolam ab Emo Card. a Secretis Status « transmissam qua Praesul Aloysius Isoard designatus est uti S. Rotae « Auditor in locum Rpd. Place ad sedem Archiep. Massiliae evecti; « simili modo Rms. d. Decanus expressit S. Ordini desiderium Rpd. « Place, auctoritate fulcitum R. Praesulis Borromeo S. P. Magistri, eo « directum ut S. Tribunal sequenti die Dominico 20 aug. curr. ad « consecrationem accedat ipsius Rpd. Place, cuius sacri ritus perficien- « tur a Ssmo D. N.... Pio IX ».[2]

*L. I.*, pag. 48: « Ego Carolus Philippus Place, Parisinus, hac die « 22 ian. 1864 iuramentum praestiti ».

Decisiones illius inter *Volantes*.

681. *Aloysius Giordani*. Aloysio Antonio de Witten, translato ad officium a negociis publicis pontificiae Ditionis, fuit subrogatus Aloysius Giordani, presbyter Ferrarien., i, u. d., Praelatus domesticus, Motuproprio dato XVIII kal. dec. an. XX et in Rota admisso die 17 nov. 1865, cuius inquisitionis instrumentum datam praesefert 28 ian. 1866. - Natus Ferrariae ex Francisco et Gertrude Buriani die 13 oct. 1822, doctor in utroque iure *ad honorem* fuit renuntiatus die 16 decembr. 1850. Inter Praelatos domesticos adnumeratus an. 1852 die 23 martii.[3]

*L. I.*, pag. 15: « Ego Aloysius Giordani, Ferrariensis, hac die « 16 april. 1866 iuramentum praestiti ».

Die 20 sept. 1870 vidit finem Rotae.

Decisiones illius inter *Volantes*.

682. *Aloysius Isoard*. Motuproprio dato IX kal. sept. an. XXI et in Rota admisso die 19 mart. 1866, subrogatus fuit Carolo Place, promoto ad ecclesiam Massilien., Aloysius Place, presbyter Parisien., cuius inquisitionis instrumentum coepit fabricari die 9 febr. 1867. - Natus die 19 iul. 1820 ad S. Quintini Dioec. Soissons ex Antonio et Iosephina de Lamme, presbyteratus ordinem recepit Parisiis die 17 dec. 1853. - Inter pontificalis Aulae praesules adscriptus die 14 aug. 1864. - Cum laurea doctoratus in utroque iure careret, Pius IX illum doctorem in utroque apostolica auctoritate renunciavit per *Breve* diei 6 febr. 1867.[4]

*L. I.*, pag. 48: « Ego Aloysius Isoard, Parisiensis, hac die VI maii 1867 « iuramentum praestiti ».

[1] Ibi, *Processus*, CCXXII.
[2] Ibi, *Diarium Camerale*.
[3] *Arch. Rot., Processus*, CCXXIII.
[4] Ibi, *Processus*, CCXXIV.

Et die 20 sept. 1870 vidit finem Rotae.

Decisiones illius inter *Volantes*.

683. *Achilles Apolloni*. Motuproprio dato pridie idus aprilis an. XXI et in Rota admisso diei 29 april. 1867, officium seu locum vacans seu vacantem per liberam dimissionem d. Henrici Comitis de Bellegarde, contulit Pontifex Achilli Apolloni, presbytero Anagnino, i. u. d., cuius inquisitionis instrumentum est sub data diei 13 iunii 1867. - Natus erat Anagniae mense maio 1823 ex Vincentio et Aloisia Giannuzzi et tum ex parte patris, tum ex parte matris, nobilis erat Anagninus. Sacerdos fuit ordinatus Romae die 20 mart. 1850 et Romae lauream doctoratus in utroque iure consequutus fuerat die 23 april. 1847; Praelatus domesticus renunciatus die 11 mart. 1853; Delegatus Apostolicus Provinciae Maceraten. [1]

*L. I.*, pag. 36: « Ego Achilles Apolloni, Ananiensis, iuramentum « praestiti hac die 13 ian. 1868 ».

Et vidit finem Rotae die 20 sept. 1870.

Decisiones illius inter *Volantes*.

684. *Antonius Sibilia*. - Novissimus Auditor ab Pontifice nominatus ante diem 20 sept. 1870, quo Rota siluit. - Antonius noster, Anagninus, locum obtinuit vacantem per promotionem d. Negroni ad officium Administri a negociis publicis pontificiae Ditionis, Motuproprio dato die 7 martii 1868, cuius inquisitionis processus coepit fabricari die 9 maii illius anni coram De Magno, Decano. - Natus die 16 ian. 1807 ex Aloisio et Anna Maria Pizzicaroli in civitate Anagnina, sacerdos ordinatus die 19 sept. 1829, Romae lauream in utroque iure die 9 aprilis 1842 consequutus est. Inter XII viros S. Consultationis adscitus die 2 oct. 1850; inter Protonotarios Ap. *ad instar*, die 11 mart. 1853. – Munere Iudicis in civilibus et criminalibus dioc. Anagninae, Vicarii Generalis eiusdem Dioec.; Praesidis Tribunalis S. Consultae, et denique Votantis S. Tribunalis Signaturae Iustitiae functus. [2]

*L. I.*, pag. 12: « Ego Antonius Sibilia, Anagninus, iuramentum « praestiti hac die 20 nov. 1868 ».

Et die 20 sept. 1870 vidit finem Rotae.

Illius decisiones inter *Volantes*.

[1] *Arch. Rot.*, *Processus*, CCXXV.
[2] Ibi, *Processus*, CCXXVI.

# CAPUT XII.

## Huius secundae partis summa.

1. - Coronidis ad instar, lubet heic summam huius voluminis redigere. - Hac igitur mea nominum Capellanorum Papae et ap. sedis Auditorum causarum s. p. a. serie, genuinis documentis eruta iisdemque conflata, ostenditur:

2. - *a*) Capellanos Auditores semper condecoratos fuisse titulo et nomine *Magistri;*

*b*) saltem a pontificatu Innocentii III ad diem usque 20 septembris 1870 Papam non interrupta continuitate opera Capellanorum suorum usum fuisse ad videndas certas causas,

*c*) quae a pontificatu Innocentii IV dictae fuerunt vel *curie domini pape*, vel *sacri palatii apostolici:*

*d*) apostolicos subdiaconos, acolythos vel Notarios, quoties dati vel concessi fuerunt Auditores in causis toties titulo Capellanorum Papae decoratos fuisse; episcopos, denique, appellatos fuisse Locumtenentes Auditorum.

3. - Ex hisce 684 Capellanis Auditoribus quorum heic nomina collegi,

quinque fuerunt electi in Papam,

nempe: 1. Hippolitus Aldobrandini (Clemens VIII) soeculo XVI-XVII.
2. Alexander Ludovisi (Gregorius XV) soeculo XVII.
3. Ioannes Baptista Pamphili (Innocentius X) soeculo XVII.
4. Petrus Otthoboni (Alexander VIII) soeculo XVII.
2. Carolus Rezzonico (Clemens XIII) soeculo XVIII.

94 saltem fuerunt e Rota promoti ad cardinalatum, nempe: soeculo XIII — 1, seu n. 14.[1]

» XIV — 9, » nn. 96, 115, 116, 123, 148, 178, 179, 180, 181.

» XV — 2, » nn. 247, 285.

» XVI — 26, » nn. 342, 345, 347, 348, 365, 366, 372, 383, 389, 393, 396, 398, 399, 404, 409, 411, 412, 420, 422, 425, 426, 435, 436, 437, 440, 441.

» XVII — 27, » nn. 447, 449, 451, 454, 455, 456, 460, 468, 469, 472, 475, 482, 486, 487, 488, 490, 496, 500, 502, 505, 508, 517, 521, 523, 526, 527, 529.

» XVIII — 21, » nn. 537, 538, 543, 546, 549, 554, 555, 558, 562, 563, 570, 574, 588, 600, 601, 606, 612, 613, 617, 619, 620.

» XIX — 8, » nn. 623, 625, 627, 633, 637, 638, 639, 652.

—

94

[1] Numeri sunt huius meae seriei prout iacent in hoc volumine. - Petrum de Colle medio (cui respondet num. 14) accensui inter cardinales promotos e Rota, non quia Rota proprie dicta tunc temporis existeret, sed quia *Regestris* constat ipsum Auditorem causarum egisse fere ad diem quo creatus fuit cardinalis.

179 saltem promoti fuerunt ad episcopatum,
nempe: soeculo XIII — 4, seu nn. 27, 44, 50, 55.
» XIV — 37, » nn. 96, 98, 110, 115, 116, 120, 127, 133, 139, 141, 148, 149, 158, 159, 160, 161, 166, 167, 168, 170, 172, 173, 174, 175, 176, 181, 203, 204, 205, 206, 214, 215, 216, 217, 221, 230, 234.
» XV — 36, » nn. 235, 236, 242, 246, 254, 256, 259, 267, 269, 273, 283, 285, 286, 287, 288, 291, 294, 295, 296, 301, 307, 309, 311, 315, 317, 327, 331, 335, 339, 340, 341, 345, 347, 348, 351, 353.
» XVI — 44, » nn. 360, 363, 365, 366, 367, 370, 372, 374, 375, 379, 381, 382, 385, 387, 389, 393, 396, 397, 398, 400, 402, 405, 406, 407, 408, 409, 411, 412, 415, 416, 418, 420, 424, 428, 431, 438, 440, 444, 449, 451, 452, 453, 454, 455.
» XVII — 21, » nn. 462, 467, 471, 475, 477, 479, 483, 484, 492, 493, 497, 500, 505, 508, 509, 514, 516, 517, 520, 522, 528.
» XVIII — 27, » nn. 533, 535, 536, 539, 545, 550, 552, 554, 556, 557, 559, 566, 567, 572, 573, 578, 579, 580, 586, 589, 592, 594, 595, 599, 602, 613, 614.
» XIX — 10, » nn. 632, 637, 638, 640, 643, 646, 651, 668, 678, 680.

179

28 saltem promoti ad Nunciaturas,
nempe: soeculo XIII — 1, n. 14.
» XIV — 1, n. 223.
» XV — 5, nn. 245, 260, 282, 288, 354.
» XVI — 7, nn. 375, 378, 389, 396, 411, 440, 455.
» XVII — 6, nn. 460, 462, 475, 493, 517, 522.
» XVIII — 5, nn. 536, 556, 593, 594, 599.
» XIX — 3, nn. 632, 649, 668.
—
28

2 saltem munere functi sunt Vice-Cancellarii,
nempe: soeculo XIII — 1, seu n. 42.
» XIV — 1, » n. 100.

7 saltem censura digni fuerunt,
nempe: soeculo XIV — 1, seu n. 190.
» XV — 2, » nn. 301, 335.
» XVII — 3, » nn. 471, 482, 496.
» XIX — 1, » n. 641.
—
7

2 praevaricati sunt, nempe Aegidius Bellemera soeculo XIV, et Emmanuel Muzzarelli soeculo XIX.

2 saltem cum fama sanctitatis mortui sunt, nempe:
soeculo XIV Bertrandus de Sancto Ginesio, *Beatis* scriptus, et
soeculo XVI Gabriel Paleottus, declaratus *Venerabilis*.

4. – Mirum videri potest, seriem hanc meam 684 tantummodo Capellanorum Auditorum nominibus constare. Ast, ceu in *cap. I* fassus sum, hodie, deficientibus documentis, impossibile est omnium quotquot fuerunt nomina Capellanorum Auditorum reperire: praeterea, omnia quae saltem ex Regestris Paparum soeculi XIII potuissem legere, non collegi, utpote quod ex institutione operis omnia colligere non erat, ita ut putem alia ex iisdem Regestris 20 aut 30 nomina legere me potuisse. Sed, etiam his additis, numerus non multum excrevisset.

5. – A pontificatu aùtem Martini V, omnia quot reperire valui, nomina collegi et sunt numero 438 (a n. scilicet 247 seriei ad n. 684 inclusive) coaequantia fere annorum numerum 453 qui defluxerunt

ab anno 1417 (1° Martini V) ad diem 20 sept. 1870. – Forsan et haec, pauca videri possunt cum 12 ad minus esse debuerint Auditores.

6. – Ast, 1) *facto*, non semper duodenarius numerus plenus fuit: 2) quamplures Auditores sederunt in Rota per 10 annos; 3) plurimi per 12, 15, 18, 19 annos; 4) 63 saltem sederunt per 20-41 annos. Hi sunt insequentes:

1 - n. 251. *Geminianus* ab anno 1418 ad annum 1458 quo eum documenta non perhibent adhuc defunctum.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 2 - n. 450. | *Coccinus*, | ab an. | 1600 | ad an. | 1641 | (41 an.) |
| 3 - n. 420. | *Seraphinus*, | » | 1564 | » | 1604 | (40 an.) |
| 4 - n. 491. | *Albergatus*, | » | 1649 | » | 1686 | (36 an.) |
| 5 - n. 301. | *Ceretani*, | » | 1448 | » | 1482 | (34 an.) |
| 6 - n. 410. | *de Rubeis*, | » | 1556 | » | 1590 | (34 an.) |
| 7 - n. 512. | *Cesarei*, | » | 1784 | » | 1817 | (33 an.) |
| 8 - n. 291. | *de Coca*, | » | 1440 | » | 1472 | (32 an.) |
| 9 - n. 327. | *Porcarius*, | » | 1471 | » | 1503 | (32 an.) |
| 10 - n. 519. | *Molines*, | » | 1685 | » | 1717 | (32 an.) |
| 11 - n. 458. | *Pirovanus*, | » | 1610 | » | 1641 | (31 an.) |
| 12 - n. 319. | *Mattheus de Porta*, | » | 1464 | » | 1494 | (30 an.) |
| 13 - n. 470. | *Amatus du Nozet*, | » | 1627 | » | 1657 | (30 an.) |
| 14 - n. 482. | *Cerrus* (senior), | » | 1639 | » | 1669 | (30 an.) |
| 15 - n. 531. | *Lancetta*, | » | 1696 | » | 1725 | (29 an.) |
| 16 - n. 270. | *Walling*, | » | 1430 | » | 1459 | (29 an.) |
| 17 - n. 601. | *de Bayane*, | » | 1773 | » | 1802 | (29 an.) |
| 18 - n. 493. | *Bevilacqua*, | » | 1652 | » | 1680 | (28 an.) |
| 19 - n. 506. | *Iacob. Emerix* | » | 1668 | » | 1696 | (28 an.) |
| 20 - n. 609. | *Resta*, | » | 1781 | » | 1809 | (28 an.) |
| 21 - n. 536. | *Aldrovandus*, | » | 1706 | » | 1733 | (27 an.) |
| 22 - n. 617. | *Gardoqui*, | » | 1789 | » | 1816 | (27 an.) |
| 23 - n. 335. | *Brevius*, | » | 1484 | » | 1508 | (26 an.) |
| 24 - n. 418. | *Robusterius*, | » | 1562 | » | 1588 | (26 an.) |
| 25 - n. 564. | *Canillac*, | » | 1735 | » | 1761 | (26 an.) |
| 26 - n. 596. | *Origo*, | » | 1766 | » | 1792 | (26 an.) |
| 27 - n. 639. | *Muzzarelli*, | » | 1823 | » | 1849 | (26 an.) |
| 28 - n. 658. | *de Magno*, | » | 1844 | » | 1870 | (26 an.) |
| 29 - n. 347. | *de Iacobatiis*, | » | 1492 | » | 1517 | (25 an.) |
| 30 - n. 563. | *P. F. Bussius*, | » | 1734 | » | 1759 | (25 an.) |
| 31 - n. 588. | *Riminaldus*, | » | 1760 | » | 1785 | (25 an.) |
| 32 - n. 619. | *Bardaxi*, | » | 1791 | » | 1816 | (25 an.) |

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 33 - n. 653. | *Alberghini*, | ab an. | 1836 | ad an. | 1861 | (25 an.) |
| 34 - n. 365. | *Simonetta*, | » | 1511 | » | 1535 | (24 an.) |
| 35 - n. 426. | *Blanchettus*, | » | 1572 | » | 1596 | (24 an.) |
| 36 - n. 439. | *Poenia*, | » | 1588 | » | 1612 | (24 an.) |
| 37 - n. 455. | *Ioan. B. Pamphilius*, | » | 1604 | » | 1629 | (24 an.) |
| 38 - n. 472. | *Hier. Verospius*, | » | 1628 | » | 1652 | (24 an.) |
| 39 - n. 485. | *Leo Verospius*, | » | 1642 | » | 1666 | (24 an.) |
| 40 - n. 496. | *Taja*, | » | 1657 | » | 1681 | (24 an.) |
| 41 - n. 602. | *Soderini*, | » | 1773 | » | 1797 | (24 an.) |
| 42 - n. 379. | *Van der Worst*, | » | 1526 | » | 1549 | (23 an.) |
| 43 - n. 523. | *A. Priolus*, | » | 1689 | » | 1712 | (23 an.) |
| 44 - n. 530. | *Ansaldus*, | » | 1696 | » | 1719 | (23 an.) |
| 45 - n. 590. | *Mannelli*, | » | 1761 | » | 1784 | (23 an.) |
| 46 - n. 623. | *F. Serlupi*, | » | 1800 | » | 1823 | (23 an.) |
| 47 - n. 626. | *Isoard* (senior), | » | 1804 | » | 1827 | (23 an.) |
| 48 - n. 637. | *de Cursiis*, | » | 1819 | » | 1842 | (23 an.) |
| 49 - n. 360. | *Vipera*, | » | 1505 | » | 1527 | (22 an.) |
| 50 - n. 396. | *de Sanctacruce*, | » | 1543 | » | 1565 | (22 an.) |
| 51 - n. 449. | *Sacratus*, | » | 1599 | » | 1621 | (22 an.) |
| 52 - n. 471. | *Ghislerius*, | » | 1627 | » | 1649 | (22 an.) |
| 53 - n. 555. | *Millini*, | » | 1725 | » | 1747 | (22 an.) |
| 54 - n. 611. | *Strasoldo*, | » | 1784 | » | 1806 | (22 an.) |
| 55 - n. 372. | *P. P. Capisuccus*, | » | 1512 | » | 1533 | (21 an.) |
| 56 - n. 465. | *Merlinus*, | » | 1621 | » | 1642 | (21 an.) |
| 57 - n. 494. | *Hier. Priolus*, | » | 1653 | » | 1674 | (21 an.) |
| 58 - n. 648. | *d'Avellà*, | » | 1831 | » | 1853 | (21 an.) |
| 59 - n. 551. | *Nuñez*, | » | 1724 | » | 1744 | (21 an.) |
| 60 - n. 435. | *Hier. Pamphilius*, | » | 1584 | » | 1604 | (20 an.) |
| 61 - n. 497. | *Bourlemont*, | » | 1659 | » | 1679 | (20 an.) |
| 62 - n. 507. | *Rondanini*, | » | 1669 | » | 1689 | (20 an.) |
| 63 - n. 664. | *Serafini*, | » | 1850 | » | 1870 | (20 an.) |

7. – Tandem, duo Auditores, auditoratu dimisso, duxerunt uxorem: *Soderini* et *Antinori* (nn. 602 et 659).

FINIS II PARTIS.

# NONNULLORUM ERRORUM

# QUI HOC IN VOLUMINE DEPREHENDUNTUR CORRECTIO

| | ERRATA | CORRIGE |
|---|---|---|
| Pag. 2 linea 1 | absoluta, quo | absoluta, qua |
| » » » 5 | tribunale | tribunali |
| » » 10 | tationes varias | tationes varium |
| » 32 » 21 | numerus « sum unus » | « numero sum unus » |
| » 33 » 25 | altera | tertia |
| » 54 | Auditores ab Eo creati | Auditores ab Eo creati Magistri: |
| » 65 » ultima | pag. 35 | pag. 25 |
| » 78 » 19 | Dragatii | Dragatius |
| » 89 » 13 | Auditor ab Eo creatus *(forsan)* | Auditor ab Eo creatus *(forsan)* Magister: |
| » 92 » 4 | Gomesius Episcopus | Gomesius, Hispanus, Episcopus |
| » 95 » 27 | Iacobus Puteus | Iacobus de Puteo |
| » 96 » 25 | ad die | ad diem |
| » 103 » 4 | decreto quo | decreto quod |
| » » » 5 | dedit Hippolito | dedit d. Hippolito |
| » 111 » 13 | 4 aug. 1591 | 4 aug. 1581 |
| » 122 » 18 | Litta - Auditor | Litta, Mediolanen - Auditor |
| » 135 » ultima | ure | iure |
| » 137 » 14 | *L. I.* pag. 21 | *L. I.* pag. 26 |
| » 138 » 4 | Verospius - Auditor | Verospius, Romanus.- Auditor |
| » » » 29 | biganiae | bigamiae |
| » 139 » 31 | Auditor 26 | Auditor die 26 |
| » 140 » 11 | maii doctoratus | maii lauream doctoratus |
| » » » 34 | ditor 3 | ditor die 3 |
| » 157 » 19 | manent: manet | manet: manent |
| » 159 » 16 | promotum | promotus |
| » 160 » 21 | obiit lunae | obiit die lunae |
| » 169 » 18 | sede decanalem | sedem decanalem |
| » » » 35 | Rotae per | Rotae 1669 per |
| » 172 » 18 | Romae die | Romae sub die |
| » 176 » 9 | Auditore | Adiutore |

| | ERRATA | CORRIGE |
|---|---|---|
| Pag. 179 linea 34 | *Iuramenti:* » | *Iuramenti* pag. 38: » |
| » 182 » 32 | Innocenzo | Innocentio |
| » 184 » 29 | locum Rondanini | locum b. m. Rondanini |
| » 188 » 2 | Auditor 3 iul. | Auditor die 3 iul. |
| » » » 23 | virtrtum | virtutum |
| » 189 » 19 | cessavit | cessaverit |
| » 192 » 23 | P. R. Ioseph | P. D. Ioseph |
| » 197 » 28 | die 10 maii | die 20 maii |
| » 198 » 4 | archiepiscopatum | episcopatum |
| » » » 5 | dec. | oct. |
| » 204 » 12 | tantem | tandem |
| » 205 » 12 | peraguntur; quae | peraguntur; quod |
| » 206 » 12 | Scottus - Auditor | Scottus, Mediolanen.- Auditor |
| » 209 » 16 | Februarii | Ianuarii |
| » » » 35 | Romanus - die | Romanus - Auditor die |
| » 214 » 13 | Mimuten. | Mimaten. |
| » 250 » 30 | decoratum | decoratus |
| » 264 » 32 | ordine fuerat | ordine fuit |
| » 268 » 12 | bris 1785 | bris anni 1785 |
| » 273 » 14 | tribunale | tribunali |
| » 287 » 8 | sima exornata | sime exornata |
| » 288 » 10 | Praesbiter | Presbiter |
| » 294 » 18 | unius Auditoribus | unius ex Auditoribus |
| » 295 » 3 | Rote | Rotae |
| » 301 » 21 | mulctatum | mulctatus |
| » 316 » 10 | Sabinensis | Sabinensi |
| » 319 » 36 | aliarum | aliorum |
| » » 37 | Auditorem | Auditorum |

6252